NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
6 C
13

M

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

516

CELSI MANCINI RAVENNATIS C. R. L.


DE IVRIBVS PRINCIPATVVM.

LIBRI NOVEM.

AD ILLVSTR.[MVM] AC REVER.[MVM] D. D.
CYNTHIVM ALDOBRANDINVM
S.R.E. CARDINALEM AMPLISSIMVM
PATRONVM COLENDISSIMVM.

Cum Indice copioſo.

SVPERIORVM PERMISSV.



ROMAE, Ex Typographia Gulielmi Facciotti.
Ad inſtantiam Io. Angeli Ruſſinelli. M. D. XCVI.

13 6 C.13

ILL.^MO AC REVER.^MO D. D.

CYNTHIO ALDOBRAN.^NO

S.R.E.CARDIN. AMPLISSIMO.

PATRONO COLENDISS.

Celſus Mancinus Rauennas C. R. L. S.

IN mundi ſcenam exeunt *labores noſtri,* De Iuribus Principatuum,*proprias acturi partes, Illuſtriſsime, ac Reuerendiſs. Cynthi, Cardinalis Ampliſsime. Quos quidempartum mentis imperfectum, & abortiuum ingenue poſſum appellare. Etenim veluti precepti immemor. Nihil edendum fore,quod non premateur in annum nonum, & tamquam alienum non perpendatur refrigerato inuentionis amore, vix*

ſcribendi finem feci, quod permiſi eos in lucem prodire. Celeritatis cauſa fuit non alienæ gloriæ æmulatio inculpata, ſed ardens deſiderium præſtandi auxilium illud Sæculo noſtro ægrotanti, quod exiguæ animi mei vires poſſunt ſubminiſtrare. Languet Orbis, & varijs, ac diuerſis languoribus affligatur. Cruciatur autem præcipue, Sanctarum legum ad Populos regendos attinentium corruptione, quorundam Scriptorum iniuria. Hi neſcio quo ſpiritu ducti, relictis limpidiſſimis veritatis fontibus, ad mendacia prophana conuerſi, leges impietatem, & errores paſsim redolentes, ſcriptis commendarunt: perinde ac ſi Barbaros, & Scythas ad Ciuitates, et Populos regendos informare ſtuduiſſent. Inde veritatis obſcuratio, Iuſtitiæ neglectus, ordinum perturbatio, prauaque opinio Principi licere omnia, dummodo propriam tueatur ditionem. De ijs audio Dominum conquerentem illis vocibus, quibus olim Ochoziæ ægrotantis temerariam repreſsit temeritatem. Numquid non eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad Conſulendum Belzebub, deum Accaron? *Mira certe hominum inſcitia, qui dum ſatagunt moribus animos imbuere, inſtituunt erroribus, ac vitijs. Dum geſtiunt remedium adhibere, venena, &*

na & mortem afferunt. Video morbum ingraueſcere, indieſq. augeri. Aſpicio Beatiſsimum P. N. Illuſtriſsimæ Amplitudinis tuæ Auunculum, laborantem pro Chriſti grege, Vigilantem, nudis pedibus ambulantem ad Sanctas huius Almæ Vrbis Baſilicas, cæleſte auxilium implorantem, haſce calamitates corporis myſtici SALVATORIS noſtri profuſis lachrimis deplorantem. Anxie curantem, vt mores boni, & diſciplina excolãtur, præcipue partẽ illam Theologiæ, quæ ad humanas ſpectat actiones, ſomniculoſam (quaſi vitæ noſtræ bona pars in actione non ſit collocata) excitantem, vt animi Chriſtianorum illuminentur vera luce, & a ſordibus purgentur. His veluti acutiſsimis ſtimulis punctus, quæ vix ſcripſeram, de Iuribus Principatuum, in apertum exire non negaui, vt mendacij fugatis tenebris, veritas eluceſcat, & iura Principatuum conſeruentur in proprio candore. Illuſtriſsimæ autem Amplitudini tuæ nuncupantur, cui præteritis diebus me ipſum dicaui. Romam ingreſsus, ab eaq. cognitus, benigniſsime receptus fui, & ſemper gratiæ oculis agnitus. Ei iure donantur, quæ in ſtudijs bonarum artium verſata, præcipue in iure Cæſareo, & Pontificio, quæ ad Iura Principatuum attinent, libenter aſpiciet. Vtinam ea

ſince-

ſinceritate ab omnibus legantur, qua ſcriptæ ſunt meditationes iſtæ. Si enim proprias partes abſolute non peragent; manus imitando in parietibus pictas ad viarum angulos, ſemitam alijs indicabunt, qua fæliciſſime iter poſſint agere. Ego vero cum Amplitudini tuæ Illuſtriſſimæ probari ſenſero, ſi tempus permittet, ad illas præpoliendas, & augendas me accingam. Valeas diu fælix Ampliſſime, & Illuſtriſſime Cardinalis, memor obſeruantiæ meæ erga Amplitudinem tuam Illuſtrimam, cuius vota Deus ſecundet, & proſpera faciat. Romæ VII. Non. Feb. CIↃ. IↃ. XCVI.

Ioannes Angelus Ruffinellus, Bibliopola Lectori Candido S.

HAbes benigne lector opus refertum varia doctrina, clara, lucida, diſcuſſa, nec ſtylo incompto ſcriptũ. Varietas, diſcuſſióq. doctrinæ delectationem, & voluptatem afferet. Ex argumento vero operis, vtilitatem hauries. magni ponderis eſt argumentum, nec minoris quæ obiter pertractat auctor. methodus qua cuncta digerit facilitatem parit. libenter, & æquo animo illud typis excudendum curaui, certior factus, quod eſſet veritati adiumento, & Principibus vtilitati, quorum mens eſt, illam agnoſcere, at ſequi. idem impoſterum faciam ſemper, ſimilem, occaſionem quando fuero nactus. Vale.

Nos Aſcanius Brixienſis totius Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium S. Auguſtini de obſeruantia Rector Generalis.

Dilecto nobis in Chriſto filio D.Celſo Rauennati Ordinis noſtri Canonico concedimus licentiam, vt poſſit typis excudendum tradere opus ab eo compoſitum. De Iuribus Principatuum, ſeruatis tamen ſeruandis. In quorum fidem, &c, Datum Romæ die 21. menſis Iunij 1594.

D.Aſcanius Brix.Generalis.

D.Vrbanus Cremonenſis Beatæ Mariæ de Pace Vrbis Canonicorum regularium Ordinis ſancti Auguſtini Congregationis Later. Abbas, eiuſdemq. Congregationis Procurator Generalis.

Concedimus licentiam D.Celſo Rauennati, Ordinis ac familiæ noſtræ Canonico, vt poſsit imprimi facere nouem libros quos compoſuit de Iuribus Principatuum, ex commiſſione noſtra viſos, & approbatos. In quorum fidem &c. Dat. Romæ ex cænobio noſtro die 28. Iulij 1595.

Ego Vrbanus, qui ſupra.

AVCTORIS SCOPVS.

CAPVT I.

PRISCAE illius ætatis, qua Græcia ſtudijs, ac ſapientia alias orbis partes antecelluit, gloria, ac nitor Plato, rogatus à Cyreneis, ſumma rerum proſperitate fruentibus, vt ad moderandam illorum Remp. leges condere vellet, libere onus iſtud recuſando, dixit, ſummum eſſe laborem, ac nimis graue pondus, illis ſtatuta promulgare, qui, felici rerum euentu, amica nimis vterentur proſperitate. Habuit pro conſtanti magnus ille Philoſophus, nil minus tractabile, nil minus flexibile, nil ve durius illo viro poſſe reperiri, cuius voluntas rerum proſperitatis facta fuerit ancilla, quiq. dignitatum ſplendore, ac opum amore ſit percitus. cuius Idolum eſt rerum felix ſucceſſus, dubitat ſemper, anxieq. timet, ne, dum legibus ſe ſubijciat, Principatui detrahat, dignitatemq. imminuat. Verum, qui talia meditatur, in hancq. incidit opinionem, Principis ſplendorem, gloriamq. caligine quadam obtenebrat, ſubiectorum bono detrahit, legi aduerſatur. Lex, vt Pindarus aiebat, rerum mortalium, ac immortalium eſt Regina: *Pindarus.* quæ omnia hæc inculpata prudentia moderatur. illa mentes cæleſtes proprios ſeruant ordines: cæleſtia corpora perpetuis circumferuntur motibus, admirabili harmonia laudibus a Pythagoricis celebrata: quattuor prima corpora obtinent propria loca, ad illaq. feruntur, & mutua pugna miſcentur: atque omnia, quæ in hoc ſublunari mundo cernimus, ſiue plantarum, ſiue brutorum, ſiue rationalium vitam degant, huic præſtant obſequium, famulantur, tributa reddunt. Quod ſi Princeps, hac neglecta, viuere ſe poſſe arbitratur, ſe ipſum ſumma afficit iniuria. Qui ceteris dominatur, & populos regit, ſpeculum eſt lucidiſſimum, in quod ſubditi inſpicientes viam virtutis aſpiciunt, & iter ad immortalitatem addiſcunt. Si regula, (vt Plutarchus doctiſſime ſcripſit) quæ ipſi adhærent, *Ad Princ. in Doct.*

& adiunguntur, debet dirigere, neceſſe eſt, vt careat obliquitate. Imperiti non eſt, alios erudire; collabentis, erigere; incompoſiti, componere;inordinati,ordinare;legi non parentis, ceteris imperare. Neceſſe eſt,vt ſit compoſitus,ordinatus,rectuſq. Princeps,ſi populos ordinare, regere,& componere debet. Turpe eſt,(nullus certe hoc negabit) priuatum hominem errare,quoniam, in quolibet peccatum exiſtat,deformitas apparet: at in Principis perſona multo magis eſt indecens, vt dicebat Ariſtoteles, diſputans de moribus. Actio namque Principis, vt ibidem obſeruabat Aſpaſius, in aperto exiſtentis, geſtaq. illius, cum ab omnibus cernuntur, ad illũ imitandum excitant ſubiectos: priuatæ vero perſonæ in obſcuro latentia opera ad imitationem ſui nequeunt alios mouere. Plato, ſcribens Dioni, Syracuſarum Regi facto,inter alia,quæ Regem hũc certiorem fecit,hoc vnum ait præcipuum, quod ita ſe præpararet, tamquam ab omnibus conſpiciendum, adeo, vt referret Lycurgũ, & Cyrum,& ſi alius quis vmquam, & morum grauitate, & Reip.diſciplina præſtare viſus eſſet.quoniam rerum ſtatus talis erat, vt homines ex vniuerſo orbe terrarum in vnum locum venirent reſpicerẽt,præcipueq. in illum. Magiſtratibus Aegyptiorum Reges iubebant, illos iuramento deuincientes, ne quid agerent contra leges, etiam ſi ab ipſis met Regibus mandato illis præciperetur: huiuſmodi actione oſtendentes, quod ſecundum leges viuere volebant, licet legibus non eſſent omnino adſtricti. Iulius Druſus, Romanus, Plebis Tribunus, ſummopere commendatus eſt, quod, cum domum haberet, ob feneſtrarum multitudinem, vicinorum oculis nimis patentem, fabro cuidam murario, promittenti eas immutare quinque talentorum mercede, reſponderit, *Decem potius dabo, ſi totam domum meam conſpicuam effeceris, ut ciues omnes, quemadmodum uitam inſtituam, cernere poſſint.* Voluit uir ille ſtudioſus nos docere, eum, qui ceteris præeſt, eam vitã debere viuere, vt omnibus tamquam exemplar ſit. quod cum alios omnes,tum vero eos maxime decet,qui clauum tenent, atque ſedẽt in puppi. Nam, quemadmodum vinum ſumptum initio a virtute potantis vincitur,deinde,leniter calefaciendo, diffuſum per totum ſanguinem, partes omnes corporis mouet; ita Principis virtus, quam acquiſiuit,ciues omnes mouet, alterat,& ſimiles illos dominanti efficit. Nec ſecus & vitium. Ceterum, quoniam difficillimũ eſt, ab vno ſolo innumeros propemodum homines, temperie, moribus, opinioneque diuerſos,

Mille hominum ſpecies,& rerum diſcolor vſus,

in vnũ redigere,& veluti ex multis vnũ efficere hominẽ; hac de cauſa nõ poteſt Princeps niſi ſummopere, cupere,& ardẽti voto deſiderare,

2. Mor. *Aſpaſius.* *Epiſt. 4.*

rare, eũ ipſum ſe eſſe, quẽ intuentes inferiores, animos componãt moribus, vitam legibus inſtituant; vt tandem vna ſit voluntas omnium, regulæ dominantis ſimillima. Priſci, celebrantes illos heroas, qui propria virtute, præclariſque geſtis impie inter Deos ſunt relati, varijs imaginibus hoſce viros nobis poſuerunt ob oculos; hunc, fulmen geſtantem; illum, fuſcinam manu tenentem; illum, ſceptrũ; hunc, haſtam habentem. hæc eo conſilio (vt exiſtimo) fecerunt, vt nobis indicarent, fuiſſe iuſtos, clementes, ſeueros, in illiſque has, ac alias virtutes fuiſſe collocatas. Iuſtinianus, Imperatoriam Maieſtatem legibus armando, & decorando armis, in hanc ſententiam deueniſſe viſus eſt, Principis nimirum tutam poſſeſſionem magis in legibus, & in ſapientia eſſe poſitam, quam in vi armorum, inq. fortitudine exercitus. Nec ſecus ſenſit Alexander, quando videns Diogenem, parua illa pannorum ſarcina viuentem, animi maiori tranquillitate, & tute magis, quam ipſe, munitiſſimis arcibus, magnoque militum præſidio circumuallatus, dixit: *Niſi Alexander eſſem, Diogenes eſſe uellem*. Varia, & propemodum innumera ſunt accidentia, quæ Principatibus, ac dominijs ſolent in dies euenire. quis illa perfecte numerare poteſt? quis certo numero concludere? quis ad certam redigere qualitatem? quis mentis acie illuc penetrate? Ideo recte iudicauit proprios honores Alexander graue, ac intolerabile pondus. Rite, & ſapienter Iuſtinianus Imperatoriam Maieſtatem armauit legibus. Hæ, & aliæ his ſimillimæ meditationes excitarunt antiquos ſapientes, ſanctoſque viros, nec non recentiores, ad congerendas leges, præcepta, ac documenta ad inſtituendam Principum vitam, populoſque regendos attinentia, vt omnibus viribus animi Principibus ſeruirent, ſibique metipſis perſuadentes communi bono valde profuturos eſſe, ſi ſpeciatim de IVRIBVS STATVVM, (vt dicunt) peculiariq. ſtudio agerent. Celebrauit Xenophon Cyrum ſuum, laudibus ad ſidera illum extollere tentauit, ponens tamquam exemplar contemplandum vitam illius, geſta, mores, & actiones, ceteris Principibus, quæ deberent æmulari. Idque, magis vt gratiam eius, & beneuolentiam conſequeretur, quam quod vere talis exiſteret, vt credo, Cyrus. Plato doctiſſimas, eaſque prolixas, elegantes, ac luculentas habuit de Republica diſputationes. Ariſtoteles quoque, libris Politicorum varia regiminum genera amplexus, de vno quoque illorum diligenter, ac ingenioſe egit. Diuus Thomas, Theologorum ſupremus, quem nil latuit, de regimine Principum doctiſsimas diſputationes ſcriptis commẽdauit. Illum ſecutus Aegidius Romanus dignum de eadem re edidit commentarium. Noſtra hac ætate non defuerunt viri doctiſſimi, qui o-

nus hoc ſcribendi ſumpſerunt, alij de Republica, vt Bodinus Gallus; alij de Iuribus dominiorum, vt Ioannes Boterus Beneuſis, libros, quos ediderunt, inſcribentes; Iuſtus item Lipſius de doctrina ciuili labores ſuos prænotauit. An vero cumulate ſatisfecerint huic diſputationi viri iſti de IVRIBVS Principatuum, aliorum eſto iudicium. Vnum hoc poſſum affirmare, (omni ſit ſemper reuerentia dictum, omnes magni facio, nullum contemno, ab omnibus libenter diſco) ab horum ſcriptis, quid ſit Dominij Ius, non ſatis lectorem moneri. Ego, non illorum honoris inuidus, ſed alienæ gloriæ ingenuus, ac inculpatus æmulator, huiuſmodi onus imponam humeris meis, &, lege Deuteronomij vtens, ſpicas colligam, quæ in magna ſegetum meſſe & copioſa fuerunt a colonis relictæ; proprijſq. laboribus vtendo, proprio contendam Marte, veritati eſſe adiumento, materiam hanc pertractando de Principum auctoritate, ſeu de Dominiorum iuribus. Quemadmodum enim de re propoſita diſputatum eſſe, ſatis intelligo, ita videre videor nonnulla ſummi ponderis omiſſa, quæ a multis deſiderantur, & auide expectantur. Nonnulla etiam ſunt, quæ maiorem deſiderant explicationem, & nonnulla etiam alia diligentioris indaginis egentia. Noſtris Deus Optimus & Maximus ſua infinita bonitate faueat cœptis, oramq. ſoluentibus felicem concedat auram, vt, læti, tandem, ſcopulis euitatis, itinere peracto, portum attingamus. Vnum hoc poſſum libere polliceri, ſincere me ea, quæ veritatis, & modeſtiæ leges patiuntur, ſcripturum eſſe. Qua via, Dei gratiam, ac Principum, promeriturum me fore ſpero. Gratia igitur Dei munitus, incipiam, qua fauente, proſequar, & finem faciam.

Deut.c.20.

Hominibus regimen neceſſarium. Caput I I.

INter omnia, quæ vel mente intelligimus, vel oculis corporeis cernimus, quibus etiam, tamquam gradibus, ſuperna ſcandens animus noſter, accedit ad contemplandam Dei Optimi & Maximi celſitudinem; præcipuum, & celeberimum eſt, rerũ Ordo. ab hoc mens noſtra ducta, non tantum percipit, Deum rebus omnibus ſupereminere, verum ab illo Cælum, Naturamq. pendere. Antiquiores philoſophi tantum Ordini tribuerunt, vt generationem, & eſſe vniuerſi ei adſcripſerint. Anaxagoras, ex illa confuſione miſta, confuſaq. miſtione, ordine cuncta componens, Mundum generat. Empedocles, rite cuncta ſeparando, & ordine collocando, Mundum produxit.

producit. Ariſtoteles, poſt doctas diſputationes, quas de beatis mentibus habuit, ad bonum vniuerſi conuerſus, nullum certe aliud bonum nouit, aut reperire potuit, niſi Ordinem, qui in rebus exiſtit, ab eo in prima mente exiſtente prouenientem. is vniuerſi bonum, eſt reputatus: cum ab illo rerum perfectio emanet, & ab eodem ſuperiorum bonitas rebus inferioribus communicata ſplendeſcat. bonum ſuapte natura fecundum diffunditur: ſui autem effuſione, ipſum met, & alia a ſe perficiuntur. ipſum quidem, quoniam non minuitur, ſed augetur; alia vero, quoniam, hac effuſione, bonum, & eſſe participant, quædam clarius, quædam obſcurius, ſic enim ordinis requirit natura. atqui, vti vnico hoc actu ſuperiora, & inferiora perficiuntur, ita ratione ordinis, qui regunt, & regũtur, vno, eodemq. actu perfectionem obtinent. qui regunt quidem, quoniam illorum auctoritate, ſimulacrum Dei non obſcurum præſeferunt; qui reguntur, quoniam alieno ductu tranquillitatem, & felicitatem conſequuntur. Id probe teſtantur mentes cæleſtes, ab omni concretione materiæ immunes. Omnes a Deo fuerunt creatæ, vt ab illo regerentur, & felicitate donarentur. Harum, quæ illi ſe ſubiecerunt, ſummam felicitatem ſunt conſecutæ, gloriaq. perpetua hõneſtatæ, & locupletatæ fuerunt. quæ vero, a Creatore deficientes, huiuſmodi ſubiectionem recuſauerunt, a Cælo factæ exules, in obſcuriſſimos, ac miſerrimos illos carceres ſubterraneos detruſæ, acerbiſſimis cruciantur pœnis ſempiternis. Bonum hoc agnoſcentes bruta, a meliori Natura edocta, magiſtra illa non errante, ducem ſibi conſtituunt, ſub cuius regimine tranquillam vitam ducunt, concordia, & pace fruendo. Grues ſub illarum duce, grex ſub ariete, timore depoſito, viuit: præſentit, naturæ impulſu, quid ſibi boni contingat a Duce, & Rectore: hunc iccirco cognoſcit, illi paret, illumq. ſequitur. Homo porro, qui ſuapte natura, propriaq. condicione eſt ciuile animal, tum Naturæ inſtinctu, tum proprijs actionibus cogentibus, ad vitam ſub Principe degendam excitatur. Naturæ quidem impulſu, quoniam quoſdam ad imperandum, quoſdam ad parendum natos eſſe videmus. Hinc Plato in Gorgia, cuius ſententiam amplexus eſt Ariſtoteles, dicere ſolebat, Ius naturæ expoſcere, vt, qui melior, prudentiorq. exiſtit, dominetur. Et alibi ſcripſit, ſecundũ variam hominum naturã diuerſa a Deo fuiſſe munera cõſtituta. In ortu illorũ varia dona præparauit Deus, aurum, argentũ, ferrũ, & æs. ijs, qui ad imperandum naſcebantur, aurum; qui ad auxiliandũ, argentũ; qui ad agricultura, nec nõ ad alias artes, quibus vita hæc noſtra miſerrima indiget, æs, & ferrum. Ex ijs autem tribus partibus ciuile imperium coagmentatur, & coaleſcit. Sunt in Republica, qui cognoſcunt, iudicant, &

Plato in Gorg. Polit. 3. De rep.

dirigunt. ſunt, qui ciuitatem cuſtodiunt, & iniurias propulſant. ſunt, qui, lucro, & quæſtui dediti, vt nihil a ciuibus ſit deſiderandum, præparant, quæ exiſtunt neceſſaria. Ariſtoteles quoque hominem in ciuitate clarum virtutibus Regem eſſe aiebat. Si igitur hominum propenſiones, & aptitudines conſulemus, quorum alios ad parendum, ad imperandum alios naſci videamus, & nationes quaſdam experimento cognoſcamus, quibus expedit magis regi, quam alios regere, ſeruire, quam imperare, propenſiones autem a principijs naturæ proueniant, iure quidem poterimus affirmare, a Natura quoquo modo prouenire domínia. Verum obijciet mihi forte aliquis id, quod Philo Iudæus ſcriptis conſignauit, Seruitutem ſummopere opponi Naturæ. illa namque nos omnes liberos genuit, auaritia autem legum contemptrix ſeruitutem induxit. Naſcimur (reſpondeo) profecto natura liberi, at noſtra voluntate, quæ libera eſt, conuentione facta, ſæpe efficimur ſerui. Senſuum illecebris nimis indulgendo, animi affectibus inſeruientes, efficimur ſerui: ab ijs capti, acerbiſſima vexamur tyrannide. Sophocles iccirco dicere ſolebat, quamplurimum ſe ſenectuti debere, cuius auxilio, a ſenſibus, tamquã ab atrociſſimis tyrannis, liberabatur. Efficimur fortuna ſerui, quãdo accidit, vt ex alto loco eiecti in infimum, exiſtẽtes pauperes, & egeni, miſeram vitam ducamus: vt, ſi comparemur cũ diuitibus, ſæpe cogamur illis ſeruire, nedum dici Serui. vel, ſi bello captus infidelis, vel fidelis, qui olim liber erat, fiat ſeruus. Verum, cum dicimus, natura dominos, & ſeruos eſſe, hoc certe non eſt intelligendum ratione principiorum, ex quibus conſtat humana ſpecies. ijſdem namque principijs concreſcimus omnes, vbique eadem humana caro, eadem materia, eademq. forma humana. Hæc æqualiter omnibus inſunt, omnibuſq. conueniunt: hacq. ratione æque naſcimur omnes ad imperandum, & ſeruiendum. at varia hominum temperatio, proprietateſque, vt dicunt, indiuidua les ſunt illæ, quæ ſunt cauſſa, vt alios ad imperandum, alios ad ſeruiendum natos eſſe dicamus. Naturæ igitur inſtinctu, quam non ſolum in brutis, verum in nobis ratione vtentibus magiſtram agnoſcimus, Principem debemus habere. Ad hæc, ſi actiones humanas, noſtrumq. viuendi inſtitutum vix conſiderabimus, duce, & Rege nos egere fatebimur. Naſcimur, o Deus immortalis, multis rebus indigentes. Hinc diuerſæ habent ortum artes, variæ diſciplinę, variaq. hominum negotia. quidam in illas incumbunt artes, quæ victui ſubminiſtrant neceſſaria, Agriculturæ, Piſtoriæ, Vinariæ, ac Macellariæ. Alij illis vacant, quæ nedum victum, ſed cibos lautos nobis ſuppeditant, Farctoriæ ſcilicet, Cauponiæ, & Condimentariæ. Alij Architectonicæ, Fabrili, Tonſoriæ, Lanariæ, Sericariæ, Pluma-

1. Pol.

Lib. de vit. cont.

riæ, Caligariæ, Sutoriæ dant operam, ac alijs artibus, ſimilibus his, quæ homines perducunt ad comm odiorem, & aptiorem victus regulam, quæ ve corpus expurgant a ſordibus. Alij eis ſunt intenti, quæ homines ab hoſtium incurſionibus tuentur, Militari nimirum, ac ijs, quæ bellica condũt inſtrumenta, quæ ve fabricandis præſunt. arcibus. Alij lucrum parantibus, ac quæſtũ, vti Mercatoria, & Nummularia. Omitto liberales artes, diſciplinas, ſcientias, & iuris vtriuſque peritiam: quibus omnibus animum ita componimus, vt beatam demum, ac felicem traducamus vitam. Summatim dicam, varias eſſe artes, vnam alterius indigentem, vt homo homine eget, ciuitas ciuitate, prouincia prouincia.

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi:

cecinit Virgilius, quod vni prouinciæ deeſt, altera afluit eodem, vnaq. alteri eſt adiumento, ac è contra ab eadem recipit auxilium, vt manus manum lauat. Hæc fecit Deus, vt, memores noſtræ imperfectionis, omnis auferretur ſuperbiæ locus, nullus ve daretur diſcordiæ, ſed pax in nobis ſumma eſſet mutuis officijs, qua tandẽ tranquilla frueremur vita, mutua neceſſitate, & beneficẽtia nos connectendo, tũ vt iuſtitia cuncta cõpenſaret. ciuis agricola agricola ciue, princeps militibus, milites principe, mercator nauta; nauta mercatore, & ſic vnus alio indiget, vnus alteri auxiliatur, ab illoq. recipit auxiliũ, cui iã præſto fuit. Hinc conuentiones, cœtus, emporia, negotiationes, pacta, tranſactiones, emptiones, venditiones, diſſenſiones ab ijs, diſcordię animorũ, iudiciorum differentiæ, iurgia, cõtentiones, rixæ, lites. Hæc principem neceſſario requirunt legibus omnia moderantẽ, ſtatutis, & decretis cũcta gubernantem, iuſtitia lites dirimentem. In contentionibus ægre quidem vnus alteri cedit, vbi virtus non regit animum, vbi lex appetitus nõ eſt ductrix, & auriga. Neceſſe eſt, vt iudex adſit, qui ſedet contentiones, repellat rixas, abigat iurgia, conciliet animorum diſſidia, litibus imponat finem, iuſtitiamq. miniſtrando, efficiat, vt, quod ſuum eſt, vnicuique tribuatur. *Ecce Palæmon*, dixit ille paſtor, iudicem requiri oportere, indicans, qui iudicet, vbi eſt altercatio, vbi amor ſuimet iudicium cæcum facit. verſamur in continuis negotijs, nec ab illis poſſumus abſtinere, aut otiari. Pythagoras ſimilem faciebat humanam vitam emporio, ad quod ex omni parte confluerent homines, quorum nonnulli merces tantum intuendo paſcebant oculos, alij emebant, rei autem emptæ tædio affecti, illam vendebant, aliãq. emebant; nec vmquam contenti, modo hanc, modo illam deſiderantes, hanc, & illam emebant, eaſq. vendebant. hinc in omnibus emporij angulis murmur, & contentiones. hoc gratiſſimo exemplo nos inſtruens, dum hac fruimur luce, varijs miſceri nos negotijs, ac

innu-

In Georg.

Pythagor.

innumeris contentionibus, (niſi virtus inhibeat) quæ iudicem omnino requirunt. Iudex autem, ſi ſupremus ſit, erit Princeps; ſi autem dependens, à Principe debet conſtitui. Non adſit Princeps, homo vitijs cuncta ſubuertit, aliena rapit, alterius thori euadit violator, honori aliorum detrahit, iniuria hos afficit, illos plagis lædit, hoſpitia nulla tuta, viæ inſidiarum plenæ, merces non aſportantur, negotia auferuntur, orator non perſuadet, medicus nō medetur, iureconſultus non conſulit, malitia omnia perturbat, vitiū cuncta peſſumdat. Adſit Princeps qui legibus res moderetur, vitium remouetur, malitia exulat, iureconſultus conſilijs proſpicit, medicus propinat, & ſanat, orator cauſſam agit, a negotijs iuſtis non otiamur, merces portantur, & aſportantur, viæ carent inſidijs, nemo plagis læditur, nullus afficitur iniuria, honor exiſtit illæſus, hoſpites ſinceri, thorus eſt inuiolatus, vnuſquiſque fruitur proprijs. Qui ceteris præeminet, errantes corrigit, errataq. caſtigat. Ex duplici portione compactus eſt homo, ex Senſu, & Intellectu. Hic, quoniam illo eſt præſtantior, ideo illum regit, & frenum imponit, ac dominatur. Senſus non corrigit errores mentis noſtræ. Quod ſi nonnumquam tyrannide imperium ſibi vſurpat, talis homo monſtrum eſt horrendum viſu. Hi ſunt homines a Circe in bruta mutati: inter quos Diogenes, face accenſa meridie in clara luce Solis ambulans, hominem quærit. ita ſane in populo, qui eſt pręſtantior, ceteris dominabitur, publicæq. conſulens vtilitati, legibus omnibus proſpiciens, homines concinnos, & probos efficiet, ex curuis rectos, omnia iudicabit. In cauſſa propria aduocatum eſſe quærendum, nos monent iuris prudentiam callentes. pauci admodum ſunt, qui de ſe ipſis ſupplicium ſumant, ſponteq. luant pœnas proprij erroris. Quare, ſiue naturæ ordinem, ſiue naturam noſtram, ſiue humanam vitam, ſiue partes, ex quibus conſtamus, vix conſiderabimus, fateri neceſſe erit, Rectorem, principem, ac ducem nobis neceſſarium eſſe. At, quando fuerit Dominiorum initium, nunc explicandum nobis ſeſe offert.

Ortus Regnorum, & Principatuum.
Caput III.

REgnorum, ac Principatuum initia inquirentibus, procul ſint Philoſophorum meditationes, ac reperta. ſi enim, quæ hominum memoriæ, & ſcriptis fuerunt ab illis commendata, ſequemur, quis finis huic diſputationi ſit imponendus, quæ meta ſit in hoc curſu attingenda non ſatis

video.

video. Ocellus Lucanus, a quo doctus Ariſtoteles multa conſcri-pſit, Mundum æternum facit; ortus ac interitus omnino expertem at, ſi hunc ſequemur errorem, quis primus omnium regnauerit, dicant alij. ſin autem infinities mundum generari dixerimus, cum alijs quibuſdam, res etiam ad reſtim redibit. Has ob cauſſas forte Plato, ſi non dubius, ſaltem non ſatis tutus in hac re, ſcribens, Reſtauratores Rerum publicarum, tamquam principia, a quibus emanarunt, eſt arbitratus. ideo de legibus ſcripſit, quod, popularibus morbis, ac inundatione, copia hominum maxima amiſſæ, vrbibus dirutis, & funditus euerſis, pauci ſeruati fuerunt in cacuminibus montium, & ſemina gentium primordiaq. Principatuum extitere. Siquidem, cum Principatus, ſiue ſit vnius, ſiue ſit multorum, gentes ſibi ſubiectas requirat ſimul coniunctas, & adunatas, ex familijs namque conſtituuntur Reſpublicæ, nam ex familijs pagi, oppida, & ciuitates, in quibus locum habet Principatus, familiæ autem ex vnione maris, & feminæ, ex patre, & filijs, ex domino, & ſeruis, prodeunt. ab ijs in antris degentibus regnum ſumpſit exordium. ex illis natu maiores Principatum obtinebant, quorum mores, ac voluntas erat illis lex, & ſanctio. Horum numero demum creſcente, ad montium radices deſcendentes, ex varijs, multiſq. familijs magna facta eſt hominum adunatio: cuius proceres, maioreſq. natu ſimul iuncti, conſulentes de vitæ munimine, quomodoue in tanta multitudine tuto viuere poſſent, aggeres loco murorum, & ciuitatum conſtruere decreuerunt, vt ſe ipſos ab incurſionibus ferarum, prauorumq. hominum tuerentur, iniuriaſq. propulſarent inuadentium eos. mores vero, & inſtituta ſapientiorum, quibus familiæ ipſorum regebantur, tamquam leges, ac plebiſcita, alijs promulgarunt obſeruanda. Abhiſce maioribus, ceteris parentibus, & obſequium præſtantibus, orta eſt regendi auctoritas, & Principatus ille, qui reperitur inter optimates. Hi deinde, numero aucti, & temporis vſu, ac natura duce, peritiores facti, artes vſui humano neceſſarias adinuenerunt, vt agros colerent, & alimenta, ac veſtimenta ſibi pararent; atque tum demum ædificia, & vrbes condiderunt, vitaq. ciuilis magis reſplenduit. Quæ omnia nec aliter fere tractata ab Homero didicimus. Narrat magnus hic Poeta, Cyclopes in ſpeluncis montium vixiſſe, alios vero ad montium radices, ſimilitudine vero Ilij mœniorum tertium. Ariſtoteles alia via eſt philoſophatus; a præceptore (vt hominis eſt inſtitutum) diſſentiens. ait primo, Regem fuiſſe conſtitutum duplici ratione: quarum prima hęc eſt: Qui regit, virtutibus, & moribus alios debet antecellere, ſplendoreq. vincere: iccirco, quoniam arduum nimis erat, tales viros plures

De vniu. natu.

Ar. 8. Phy. & de Ca.

Plato de Rep. Dial. 3.

Homerus.

3. Pol. c. 11

reperiri, eoq. magis, quia tunc paruæ erant ciuitates, Rex omnium ille eſt conſtitutus, qui ceteris ſupereminerer. Secunda cauſſa fuit Gratitudo: Naturæ leges nos grates eſſe iubent, eoſq. venerari, ex quibus in nos beneficia ſunt profecta. ideo, cum quis populo alicui, gentiumq. multitudini aliquod præſtiterat beneficium, grati, & memores beneficij accepti viri illi, vt ſummis honoribus hunc honeſtarent, Regem ſuper eos conſtituebant. Ceterum, labentibus annis, cum eueniret, vt plures pari virtute adinuenirentur ſplendentes, Regem renuentes, & communitatem amantes, Reſpublicas ordinarunt. Deterioribus demum factis, lucro inhoneſto deditis, ortum habuit illud dominandi genus, cum pauci alijs imperant, paulatimq. in Tyrannidem Principatus eſt mutatus. Hæ Philoſophorum meditationes vmbræ ſunt, non veritatis lumina: quando ortum habuerit Regnum, haud nos inſtruunt: ac deficiunt: quoniam, quis fuerit Mundi ortus, vnus & alter, aut ſaltem Ariſtoteles non nouit. explicant potius, quomodo orta ſint varia dominiorum genera: at, quando initium habuerint, minime docent. Illud in Platone non eſt indignum animaduerſione, nimirum poſt diluuium dominia incepiſſe. id autem ex ſacra Geneſi colligunt aliqui. quorum ſententia iam iam referetur, atque reijcietur. Laudanda eſt Platonis doctrina, tamquam Moſaycæ adhærens. Platonem quis leget, dicebat Numenius, is videbit Moſen Attica lingua loquentem. Relictis Philoſophorum placitis, alia via eſt ineunda, aliorumq. doctorum adducendæ ſententiæ.

Numen.

Variæ ſententiæ de ortu Regnorum, & Principatuum. Caput IV.

NVmine clariori alij illuſtrati, ad veritatem prope magis accedentes, aiunt, poſt diluuium Regna ſumpſiſſe initium, vi gentibus illata. primumq. omnium, qui Regno fuerit potitus, volunt fuiſſe Nemrodum, de quo in Sacra Geneſi legitur fuiſſe venatorem coram Domino, & cœpiſſe eſſe potentem ſuper terram. Gloſſa, alijq. doctores, vocabulum interpretando *Venator*, aiunt, Oppreſſorem eſſe intelligendum. Hoc teſtimonio adductus Bodinus, aſſeruit, ante aquarum illam vniuerſalem inundationem Regnum, aut Principatum non extitiſſe. Cui ſententiæ fauere quamplurimum videntur Scriptu-

Cap. 10.

In lib. de Rep.

Scripturæ verba ita legit. *Porro Chus genuit Nemrod. ipſe cæpit eſſe potens in terra, & erat robuſtus venator coram Domino.* Inquit, *Cæpit*. Verbum iſtud *Cæpit*, initium Regnorum indicat. Cuius viri doctrina ſi eo ſenſu intelligatur, vt verba docent, nimirum, nullum fuiſſe Principatũ ante generale illud diluuium,(pace tanti viri ſint hæc ſcripta) omnino eſt reijcienda. Etenim, quod ij, qui ante diluuium extiterunt, magna illa, ac nimis numeroſa, copioſaq. multitudine, nullo duce, nulloq. Principe, ac rectore vixerint, penitus incredibile eſt: vt etiam adnotauit Sotus. Erant tunc temporis artes, erant & negotia: naſcebantur homines ijſdem conſtantes principijs, quibus & nos coaleſcimus: erant differentiæ illæ, quas indiuiduales appellamus. hinc varia ſtudia, diuerſa vitæ inſtituta, animorum diſparitates, igitur ſupremæ poteſtates, quibus populi regerentur. Ad hæc, Mundus nec caſu regitur, nec caſu eſt conditus. Deus, qui nunc omnia moderatur, poteſtate hominibus conceſſa, tunc cuncta regebat. aliqua ergo debuit eſſe politica viuendi regula, aliquiſue Princeps omnium conſtitutus, qui homines regeret. Ad hæc, ordine ablato, omnia ruunt: vbi autem reperitur ordo, ibi prius, & poſterius. Quare, cum magno illo temporis interuallo Mundus perdurauerit habitatoribus copioſiſſimus, regimen neceſſe eſt extitiſſe, quo pax ſeruaretur, ius ſuum cuique tribueretur. Ea propter numquam duxi contemnendam Soti doctrinam, aſſerentis, fore exiſtimandum, Patriarchas illos, quos meminit Sacra pagina, & familiarum primos patres, fuiſſe Principes, ac veluti Reges. Ad hæc, Diuus Pater Auguſtinus de Ciuitate Dei ait: Cain, qui primus omnium Ciuitatem ædificauit, quam, a nomine filij, Enoc appellauit, primus eſt cenſendus, qui ceteris imperauerit. Præterea accipiamus caput illud decimum Sacræ Geneſis pro Bodino adductum, illudque haud oſcitanter conſideremus. Ante aquarum tremendam inundationem, Noe, cum quingentorum eſſet annorum, tres genuit filios, Sem, Cham, & Iaphet. horum filiorum mentionem faciens hiſtoria diuina, in capite adducto, poſtquam ceſſit aqua terræ, Dei omnipotentis ira ceſſante. Ex Iaphete geniti ſunt hi filij; Gomer, Magog, Madac, Iuan, Thubal, Moſoch, Thiras. Ex Iuan, Noe nepote, Eliſa, & Tharſis, Cethim, & Dotanin: a quibus inſulæ gentium fuere diuiſæ in regionibus ſuis: vnuſquiſque, dicit hiſtoria, ſecundum linguam ſuam, & familias, in nationibus ſuis. Ex Cham Chus fuit genitus, ex Chus Nemrodus. Eodem tempore fuerunt filij Iuan, & filij Chus: at a filijs Iuan diuiſæ ſunt orbis regiones. Non igitur principium regnorum ac dominiorum omnino adſcribendum eſt Nemrodo. qui enim Mundum partiti ſunt, & ipſi quoque Principes fuerunt, non tamen a

De Iuſt. & iu. 4 ar. 4.

Lib. 15.

Nemrodo Regnum acceperunt, aut illi ſucceſſerunt. Quare dicendum exiſtimo, ſi adſpiciamus tempus, & homines, quorum meminit ſacra hiſtoria, verborumq. ſolam apparentiam, ac quæ manifeſte dicuntur, in eam deueniemus opinionem, quam Bodinus amplexus eſt. at, ſi mente ponderemus ſenſa, & hominum viuendi genus, cogimur fateri, ante diluuium fuiſſe Principatus, ac Regna, vt de Caino, Diuo Patre Auguſtino duce, ac præceptore, iam diximus. Exactis primis parentibus a deliciarum paradiſo, ab illis montium antra, & ſpeluncas fuiſſe inhabitatas ferarum more, eo conſilio, vt ab iniurijs aquarum, æſtus, ventorum, ac aliarum incomoditatum tuerentur ſe ipſos. nondum ædificandi tecta, domuſq. arſ erat in vſu, vt quamplurimæ ſunt demum inuentæ, ſic initio temporum omnes latentes. Numero creſcente hominum, præfuit primus pater illi copioſæ multitudini, omnium qui erāt pater, & principium. Natura genitrice iubente, præbebant omnes famulatum, præſtabant obſequium. ipſe autem apud illos Regis, ac Principis fungebatur officio. Numero adhuc hominum aucto, neceſſitate illos inſtruente, brutiſq. nidificando docentibus, domus & ipſi cœperunt conſtruere, pagoſq. ædificare. Quæ ſecum meditando Cainus ciuitatem condidit, atque, vt eſt indubie credendum, multitudini ipſum ſequenti, ac obſequium præſtanti, imperauit. Huic ſimiles varij ac diuerſi extiterunt Principes, donec, ingraueſcente Mundo, in principio ætatis ſuæ, ante tempus, præcoci, ac præmatura nimis decrepitate, ſeneſcente, peccatiq. fetore nares Dei omnipotentis penetrante, aquarum vaſtiſſima voragine vniuerſa terra obruta fuit, brutis, ac omnibus hominibus conſumptis, illis exceptis, qui cum magno Noe in naui ſunt ſeruati. Aquis exſiccatis diluuij, retinente Principatum Noe, pronepotes, ex Iaphet filio, & ex Iuan nepote generati, orbem terrarum in prouincias diuidentes, dominio ſunt potiti. Ex Chus nepote, filio Cham, ortus eſt Nemrodus, qui cœpit regnare, vi gentes opprimente, & tyrannide illas vexante. Primum Regnum fuit Aſsyriorum, ſi nomen Regni germana accipiamus ſignificatione. Rex primus fuit Ninus, modo attente, quæ in capite decimo nunc adducto leguntur, adſpiciamus, is, ex Belo patre oriundus, magnam Ciuitatem, Niniue appellatam, condidit, vt Euſebius aſſerit, quam ab Aſſur, filio Sem, fuiſſe ædificatam, tradunt Hebræi. Qui vi, & oppreſſione Regnum obtinuerit, fuit Nemrodus. Eodem modo multa quin etiam Regna ſumpſerunt exordium, Regnum Medorum, ac Perſarum Balthaſſaris cæde peruenit ad Darium. Darij Regni Alexander inuaſor, ac aliorum fere omnium, quibus præfuit, factus eſt poſſeſſor. Turcarum Principatus, nunc tanti roboris, & magnitudinis, originem habuit circiter annū

800. ſicut Otho in ſuis Chronicis teſtatur, a quibuſdam Sarmatis, in extrema Scythia degentibus, violentia regiones occupantibus, vt legimus apud Plinium, & Pomponium Melam; vel, vt alij aſſerunt, ante illud tempus initium habuit a quibuſdam, depopulando, & ſibi ſubiectas faciendo nonnullas Aſiæ minoris prouincias. Hi, armorum vi, inſitaq. barbarie & feritate primo Ciliciam ſubiugarunt, deinde hac via Regnum ſemper dilatarunt: Tamburlanus circa annum 1490. viliſſima proſapia ortus, filius cuſtodis armentorum, violentia ſubiecit ſibi prouincias, & loca, quorum Rex fuit, ſemper formidabilis, ſemper tremendus. Ratione iam dicta, & ſimilibus forte adducti nonnulli, dixerunt, Regnum, & Principatum a vi, atque tyrannide habuiſſe initium, licet poſtmodum, temporum ſucceſſione, populorum electione, facta fuerint legitima. Horum primus, quos legerim, qui hanc doctrinam profeſſus fuerit, fuit Durandus: cuius ſententiam amplexus eſt venerabilis pater Franciſcus ab Oſſuna, ordinis Minorum, in ſuis ſermonibus Quadrageſimæ. Quæ opinio quanti roboris ſit, vnuſquiſque videre poteſt. Diximus namque, imperia, ſeu Principatus fere omnes incepiſſe non vi, ſed ſubiectorum voluntate. Primus omnium, qui Tyrannide populum inuaſit, fuit Nemrod: præter quem alij legitime, iuſtoq. titulo regnarunt. Infra, Dei Optimi & Maximi gratia, ac beneficio, explicabimus, quo modo Regna a Deo ſint inſtituta. Sufficiat nunc oſtendiſſe, quo modo, & quando Regna inceperint. Horum ſpecies ſunt enumerandæ.

Otho. *Plinius li. 6.* *Pomp. Mela in fin lib. 1.* *Tract. de antiq. iur.* *In Dom. Pal.*

Principatuum ſpecies variæ, eorumq. fines.

Caput V.

Vir ſummi ingenij, admirandæq. doctrinæ Ariſtoteles, de rebus naturalibus diſſerens, in perquirẽdis illarũ principijs ſtudioſus, ac diligentiſſimus extitit, illud pro explorato, & conſtanti habens, hiſce cognitis, ſtatim rerum definitiones nobis innoteſcere, illarumq. naturã patefieri. Et dubio procul plumbeus ille eſt, omninoq. ſaxeus, cui cum notum ſit, quidnam ſit humana anima, illico etiã nõ videat, quid ſit homo ipſe. Hac de cauſſa, diligẽter, & exacte de ſpeciebus colorũ, ſaporum, & odorũ egit, quodãmodo odoroſi, & ſaporoſi corporis diſputatione neglecta. Hunc ſtylum ſi ſequemur, de Principatibus differẽdo, forte nõ aberrabimus, ſiquidẽ, & faciliori negotio

De ſenſ. & ſenſ.

& bre-

Plato. & breuiori ſermone finis attingetur. Plato igitur, & Ariſtoteles, Ariſtot. vnus, & alter, recte philoſophatus, principia quædam certa Principatuum eſſe dixerunt, a quibus, tamquam a fontibus, & principijs, ſpecies aliæ, veluti riui, ſcatendo, emanant. De legibus hæc Lib. 3. verba ſcripſit Plato. *Duæ gubernationum ciuilium quaſi matres quædam ſunt, ex quibus dixerit alias originem ducere, recte vtique dicet, quarum alteram Principatum vnius, alteram populi appellare decet. Alterius quoq. ſummum tenere Perſarum genus, alterius nos putandum eſt: cetera vero formæ omnes (ut dixi) hinc componuntur.* Hæc Plato. 4. Polit. c. 3 Quam ſententiam retulit Ariſtoteles, de Republica diſſerens; atque, vti hominis eſt inſtitutum, illam non eſt amplexus, ſed potius abiecit. ita ſcripſit: *Maxime uero duæ uidentur eſſe, quemadmodum de uentis dici ſolet, alios eſſe Boreales, alios Auſtrales; ceteros autem uentos horum eſſe exuperantias.* ita etiam Reſpublicas duas eſſe, popularem ſcilicet, & paucorum potentiam. Et, paucis interpoſitis, propriam Platonicæ ſententiæ addens opinionem, inquit: *Sed certe uerius, ac melius eſt, ut nos diuiſimus, duarum, uel unius recte conſtituta, ceteras eſſe transgreſſiones.* Vnicum vult eſſe principium, quo ceteræ gubernationes ſint dijudicandæ. hoc autem erit Principatus, vbi virtus dominium habet. quæ vero declinant ab hoc gubernationes, dominiaue, imperfecta ſunt a nobis exiſtimanda: magis autem, ac minus, vt acceſſus, & receſſus ab hoc primo permittit. veluti in metallis datur aurum purum optimum, & perfectum, cetera metalla, ac ipſius auri ſpecies perfectas, & imperfectas appellamus, vt magis ac minus accedunt ad primi ſpeciem. Plato vero, attendens miſtionem Principatuum, ac adminiſtrationem, duas primas conſtituit ſpecies, ex quarum miſtione ceteras coaleſcere, voluit. In genere colorum (vt alibi, nec forte ingratis diſputationibus, diximus) dantur duo primi ſimplices colores, qui principia ſunt aliorum, candor, & nigredo. ex horum autem miſtione aliæ generantur colorum ſpecies. ita duæ ſunt gubernandi ſpecies: quæ principia ſunt aliarum. hæ ſi miſceantur, ceteræ omnes conſurgunt. tales autem ſunt Principatus vel in vno, vel in multis, ſeu in pluribus. ſi in pluribus, aut in paucis, aut in multis. Omne dominium iuſtitiam reſpicit: hac ſiquidem ablata, ruit & dominium. Iuſtitia vero, vt ceteræ aliæ virtutes morales, in medio conſiſtit, cum poſſimus errare ad nimium, aut ad paucum declinantes, magis, vel minus boni, quam ſit æquum, alijs tribuendo. medium porro, vt 2. Ethic. c. 2 Ariſtoteles nos docet, de moribus agens, vel ſecundum rem, vel ſecundum nos. Medium ſecundum rem, eſt medium ſecundum Arithmeticam proportionem; quo ad nos, ſecundum Geometricã proportionem. Seruatur proportio Arithmetica, quando medium

tantum

tantum excedit vnum extremorum, quantum ab alio exceditur. hoc modo ſenarius numerus dicitur medium inter binarium, & denarium. etenim, vt exceditur a denario numero, quatternario; ita ipſe excedit binarium eodem numero quaternario. Aequaliter hoc modo ab extremis diſtans, nec vni tribuit, ab altero auferendo, nec aufert ab vno alteri tribuendo. Tale medium eſt idem apud omnes, vt ibidem docebat Ariſtoteles. Medium ratione noſtri, quod Geometricum diximus, ſeu ſecundum Geometricam proportionē eſt, quando comparatum cum vtroque extremo ſemper ſeruatur proportio ſeſquialtera. Senarius numerus is eſt inter nouenarium, & quatternarium collocatus. Numerus nouenarius continet ſemel ſenarium, eiuſq. medietatem: ita ſenarius quatternarium ſemel, & eius medietatem complectitur. Tale medium non eſt idem apud omnes. Milo Crotoniata, vt in eodem loco habes, qui Taurum iuſtæ magnitudinis geſtaſſe dicitur ſpatio vnius ſtadij ſine quietis interpoſitione, de quo memorandum illud fertur, quod Euſtratius, ſiue Aſpaſius ſcripſit, quiſquis ille fuerit, nihil refert, cum domus, 2. *Ethic. c.* 2 ad quam cum ſocijs, cauſſa diſciplinæ Pythagoricæ, frequenter venire conſueuerat, repentino quodam caſu ſubruiſſet, adeo, vt omnes eſſet oppreſſura, ipſe confeſtim humeros proprios parti labenti oppoſuit, tamdiuq. ſubnixus corpore, collabentem tectum, partemq. ruentem ſuſtinuit, quoad omnes exierint incolumes. Plurimi vir nutrimenti non eſt alendus ea menſura potus, cibi, quo philoſophus, ac ciuis. nam, comedere ſex minas cibi, ſuperfluum eſſet: tanti autem ponderis alimentum Miloni Crotoniatæ, nimis exiſteret paucum. Non vnum ſtatuas mediocrem eſſe calceum: qui pedi meo eſt aptus, is mihi eſt mediocris; qui excedit, maior; qui deficit, minor. Cum itaque medium duplex ſit, ſecundum proportionem Arithmeticam, & Geometricam, Iuſtitiaq. conſiſtat in medio, hinc duplex oritur iuſtitia, Arithmetica, & Geometrica. illa æqualiter omnibus tribuit æquale: hæc merita, & ſubiecta reſpicit: cui plus tribuit, magis meretur. Vtrauis iuſtitia ſeruatur in dominijs. Arithmetica quidem, quoniam, quod ſuum eſt, æqualiter omnibus tribuitur. Geometrica autem, in Republica optimatum, quæ reſpicit merita ex virtute prodeuntia. In populari, vbi quæritur libertas, benemerita vniuſcuiuſque reſpiciuntur. Verum, vt redeamus eo, vnde ſumus digreſſi, &, quæ nunc ſunt dicta, magis fiant conſpicua, dicamus, Principatum vel eſſe apud vnum, vel apud plures: ſi apud plures, aut apud paucos, aut apud multos. Dominium illud, quod eſt in vno legitime, virtutibus ornato, a virtute directum, in ſalutem populorum, appellatur Regnum; Quod ſi in paucis virtute nitentibus, dicitur Dominium Optima-

tum,

tũ. Si vero in multis; legibus, virtutibuſq. fulgentibus, Popularis Prin-
De Regno. cipatus nuncupatur. Hæc Plato, tum loco citato, tũ alibi. Differunt
hi Principatus non ſolum ratione regnantium, ſed & ſcopi. Qui re-
gnat ſolus, virtutibus præditus, eius eſt finis bonum commune,
honeſtum, gloria, & quæ cum virtute habent affinitatem. idem
ſcopus eſt dominij, optimatũque. at popularis Principatus, eſt liber-
1. De vn. tex. 85. tas, legum terminis contenta. Ceterum, quoniam rectum eſt iu-
dex ſui, & obliqui; cognitis veris, ac legitimis Principatibus, adul-
terinos, & nothos facile erit cognoſcere. Etenim, quemadmodum
ille vere dicitur Rex, eiuſq. dominium proprie appellatur Regnum,
cuius finis eſt commune bonum, populi ſalus, & virtus: cuius ſco-
pus eſt proprium commodum, propriæq. cupiditates, huius domi-
nium minime Regnum erit, ſed Tyrannis abominanda. Regnum
namque, cum ſit dominium legitimum, cuius finis eſt honeſtum,
bonumq. commune populi libere obedientis; ita e contra Tyrannis
eſt dominium illegitimum, vi, & oppreſſione populorum coacte
obedientium, cuius finis ſunt propriæ cupiditates, ac vtilitas do-
minantis. Atque, vti Ariſtocratia, ſeu optimatum dominium eſt
principatus nobilium, virtutibus nitentium, cuius finis eſt commu-
ne bonum; ita e contra, cum talis Principatus fuerit deprauatus;
erit principatus nobilium auide proprium bonum quærentium,
propriam vtilitatem, propria commoda. Nouiſſime, vti legitimus,
ac verus popularis ſtatus, ſeu principatus; eſt dominium vilium,
communem libertatem; communemq. vtilitatem quærentium, le-
gibus vtentium, ita e regione talis Principatus corruptus, eſt domi-
nium multorum ignobilium, neglectis legibus, procurantium li-
3. Pol. c. 5. centiam quandam viuendi contemnibilem. Hæc Ariſtoteles lucu-
lenter docuit, de Republica agens. quæ nec oſcitanter inſpexit Pla-
to. Is namq. in libro de Regno diſtinxit Reſpublicas, vno, paucis,
multis, paupertate, diuitijs, violentia, voluntate, legibus, & ar-
bitrio. Hæ ſunt primæ ſpecies; immo, vt diximus, prima princi-
pia, quibus ceteri coagmentantur principatus miſti, ex optimati-
bus ſcilicet, ex populari, & optimatibus legibus ſubiectis, quando
nobiles, & ſtudioſi iuncti infimis Rempublicam gubernant, labo-
7. Pol. c. 8. rantes pro virtute, libertate, & commodo vniuerſali. Huius men-
tionem faciens Ariſtot. de Republica, dum diſſerit, Principatum
hunc nomine Reipublicæ præcipue, ac maxime debere appellari,
hancq. illam eſſe, quam vulgus Libertatem appellat, ſcriptum re-
liquit nobis: In ea æque ciues omnes ſuo tempore imperant, ſiue
nobiles ſint, ſiue ignobiles, ſiue diuites, ſiue pauperes. Aequalitas
huiuſmodi; Libertas, Reſpublicaq. appellatur. Eſt demum altera
ſpecies (ſi detur) dominij, ſi Rex cum populo imperaret, ex popu-

lari,

lari, & regia miſta. Aliæ ſunt ſpecies, ac totidem, ſi e regione ſimplices principatus & illegitimi ſimul iungantur. Ex deprauatis ſimplicibus, erunt etiam dominia compoſita corrupta tot ſpecie differentia, quot puri, & legitimi principatus adnumerauimus cōpoſitas ſpecies. Rogabit aliquis, quis Principatus, omnium, quos memorauimus, ſit præſtantiſſimus, qui ve omnibus ſit præferendus; an Regis, an Optimatum, an Popularis? Nunc aperio.

Principatus quis dignior, an Regius, an Optimatum, an Popularis. Caput VI.

ARiſtotele duce, & præceptore, diximus, vnum eſſe principatum, vnumue dominandi modum, omnium perfectiſſimum, qui, cum ceteros vincat præſtantia, aliorum eſt menſura, ac veluti lapis Parius. Lis eſt, horum quodnam ſit iſtud. Diuerſæ, hactenus ſunt adnumeratæ ſpecies (loquor de ſimplicibus) dominiorum, quarum vnaquæque de poſſeſſione litigat, vt prima ſit, ac alijs ſupereminea t. Hæc diſputatio non tantum Auguſtinum Triumphum, & Franciſcum Piccolomineum ætatis noſtræ ſplendorem, verum & antiquos ſcriptores excitauit, illiſq. fuit labori, ac vigilijs. Eam nunc tractemus, ne laborem videamur ſubterfugere, aut ſaltem problema dignum negligere. Et primo, quod dominium vnius ſit omnium digniſſimum, hiſce rationibus videtur poſſe perſuaderi. Beatus Hieronymus, ad Ruſticum monachum ſcribens, cuius verba habes 7. quæſt. 1. docet, dominium eſſe debere in vno ſolo, non autem in pluribus. In apibus princeps vnus eſt: & genus vnum ſequuntur ordine literato. Imperator vnus, iudex vnus, prouinciæ. Roma autem condita duos fratres ſimul reges habere non potuit, & fratricidio dedicatur. In Rebeccæ vero vtero Eſau, & Iacob bella geſſerunt. Singuli Eccleſiarū Epiſcopi: ſinguli Archiepiſcopi: ſinguli Archidiaconi: & omnis ordo Eccleſiaſticus ſuis rectoribus nititur. ad hoc pertinet Gloſſa, diſtinct. 21. c. nunc autē, in verb. Diocletiani. Præterea dominiū iſtud imitatur regimē vniuerſi, atque naturā. Vniuerſum ab vno principe Deo regitur, Natura vero vnū primū membrum Cor generat, vnde virtus emanat, a qua cetera membra vitam recipiunt. Confirma hæc, quoniā virtus, quanto magis ad vnitatem, tanto magis ad robur, ac fortitudinem vergit.

Auguſtin. Triumph. Franc. Piccolom.

Ad hæc, poteſtas eſt ordo quidam, quod infra manifeſtum fiet, at in ordine omnia referuntur ad vnum primum, igitur principatus vnius erit præſtantior principatu multorum. Poſtremo, vbi multitudo dominantium, ibi diuerſæ temperationes corporum, varij mores, variæq. hominum voluntates; & per conſequens id, quod vni placet, alteri diſplicet; quod huic prodeſt, illi obeſt; ibiq. diuiſio proxima. igitur melior eſt principatus vnius multorum principatu. E regione non deſunt rationes, quibus probatur, principatum multorum hoc non eſſe inferiorem: quandoquidem, cum principatus ſint in ſalutem, & bonum commune, magis profectò, ac multo exactius plures vident, intelligunt, magiſq. poſſunt, quam vnus, ad coercendum malum, ad propulſandas iniurias, & conſer-
3. Pol. c. 11 uandos ciues. Ariſtoteles hæc me docuit, dum dixit, plures homines probos dominantes exquiſite magis omnia cognoſcere, rectius deliberare, minus a recto per præmia diſtrahi, minus duci a perturbationibus. Quibus verbis videtur Ariſtoteles primas dare regno optimatum. Præter hæc, in vno dominante ſolo, hoc vnum præcipue ſemper debet reperiri, nimirum vt virtute dominetur vitijs, nec ab animi affectibus vincatur: ſiquidem, cum illi ſuperant in homine rationem, non eſt, quod dubitemus, omnia ab hoc ſus, deq. ferri: at facilius eſt, vnum peruerti; facilius, a vitijs ſuperari animum vnius, quam multorum: igitur melius eſt dominium, vbi multi regnant, quam vbi vnus. Nouiſſime fato cedat Rex, anſa populis datur tumultus excitandi, periculumq. fit prope mutationis ſtatus; at, ſi multi regnant, vno defuncto; ceteri ſuperuiuentes de electione eius agent, omni ablata populo tumultuandi occaſione. Verum nec miſtus ex his alijs videtur poſtponendus, immo in prima ſede collocandus. etenim in illo, cum Regius, & optimatum principatus reperiuntur, vnum & alterum extremum participando, vtriuſq. complectitur dignitatem, & amplitudinem, ijſq. caret difficultatibus, incommodis, ac periculis, quibus cetera afflictantur dominia. Rex, ſiue Dux, aut Princeps, vnit alios, & veluti glutine quodam illos connectit. illi vero conſilio, ac prouidentia efficiunt, quod voluntas bona Principis præſeruetur, ne ve ex Rege fiat Tyrannus. Popularis principatus, ea ratione, ſuſpicabitur aliquis, quod ceteris ſit præferendus, quoniã finis illius eſt, vt retro diximus, libertas: nos, liberi naſcentes, non ſerui, videmur profectò ſecundũ Naturæ legẽ dominari, ſi hoc modo imperemus. Addatur, quod in hoc Principatu omnes ſunt ſoliciti, omnes vigiles, impigri omnes in habẽda ſalutis cura, quoniã omnes ſunt regnaturi. Cũ igitur vnũ quodque pro primatu certet & de prima ſede, explicãda eſt veritas, vt, cui primi debeantur honores, omnibus fiat conſpicuum.

Regius

Regius Principatus præponendus. Caput VII.

AVguſtinus Anconitanus in lib. de pot.Eccl.problema *Quæſt. 35. ar. 8.* propoſitum examinando, vbi quamplurima adduxit, in hanc declinauit ſententiam, quod, ſi loquamur de regimine recto, & naturali, non autem tyrannico, melius eſt ſimpliciter regi ab vno Principe, quam a pluribus. ratio eſt, quia plures principes vel dominantur vt plures, atque inter ſe diſſidentes, vel vt vnus, habentes inter ſe concordiam. Si primum concedatur, illorum regnum nequit perdurare. Saluator enim dicebat, *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet*. *Luc. xi.* Sin autem dominantur vt vnus, illiſq. ſit vna voluntas, vnum cor, vna ſententia, quoniam dominium iſtud bonum eſt ratione vnitatis, perinde ac ſi eſſet vnus regnans, melius erit ſane regnum vnius, quam plurium. Probatur hoc, quoniam ſemper, propter quod vnum quodque tale, & illud magis, ſcripſit Ariſtoteles. Magni huius viri doctrinam ſemper propria infirmitate laborantem cognoui. docet (ſi quid ſolidi habet) melius eſſe dominium vnius, non autem quod ſit præſtantius. *Primo poſter. tex. 5. & 2. metu. 4.* Melius eſt comparatiuum ſupponens bonum, vt pueri etiam norunt. bonum autem (vt paſſim philoſophi docent) vel eſt honeſtum, vel vtile, vel delectabile. dum inquit, melius eſſe ab vno principe regi, quam a pluribus, debuit certe diſtincte loqui, & explicare, quid intelligeret nomine Melioris, an honeſtius, an vtilius. Ad hæc, ſi vnus ſit, qui regnet, moribus deprauatus, abſtineat tamen a tyrannide, e regione optimates ſint virtute præditi, quis, obſecro, dixerit, melius eſſe regnum vnius, optimatum principatu, vel optimatum, & Regis ſimul dominio, vbi Rex & optimates nitent virtutibus? Præterea, faciamus eſſe, vt Rex virtutibus fulgeat, ſint etiam optimates virtutibus ſplendentes, adeo, vt vnuſquiſque illorum ab optimo Rege moribus, & vita non ſuperetur ſtudioſa, quis audebit affirmare, veram eſſe huius doctoris ſententiam? Probatio quinetiam, cui, tamquam baſi, totum innititur ædificium, nullius eſt roboris. Propoſitio illa (vt omittam ſilentio, quod Pomponatius dixerit, tunc eſſe veram, quando vera eſt) tribus condicionibus ſeruatis eſt vera. ſcilicet, ſi adſit aliqua affectio, quæ denominet vnum, & aliud formaliter, ſuſcipiat magis, & minus, & primo conueniat cauſſæ, qua media euentui quadret, ac compe-

Theor. Tex. 5. tat, vt ſcripſit Zimara, & ex lucidiſſimo Themiſtio colligitur loco citato, primo de Demonſtratione. quæ condiciones quomodo omnes ſimul poſſint huic rei adaptari, aliorum eſto iudicium. Quare rectius erit quidem, ſi primo dixerimus, dum loquimur, quod horum dominiorum ſit bonum, & alia vincat bonitate. nomine boni vel intelligere poſſumus honeſtum, vel vtile. ſecundo, quoniam hic ſit comparatio, comparatiueq. loquimur, neceſſe eſt, vt vnum & alterum dominium ſemper communicet, & ſit particeps qualitatis illius, cuius cauſſa vnum cum alio comparatur. verbi gratia, cum loquimur de honeſto, dum quæſtio eſt, quod nam dominium ſit melius, an Regium, an Optimatum, neceſſe eſt, vt accipiamus regnum vnius, & dominium plurimorum, ſecundum propriam naturam, conſideratum ratione nobilitatis, non autem vnum horum vt nobile, alterum vero magis accommodatum, & melius populorum ratione. Ad hæc, quando dicimus, vnum principatum melius altero eſſe, meliuſq. regi ab vno, quam a pluribus, opus eſt, vt ſemper dominantes accipiātur eodem modo, ac ratione. Hiſce præaceptis, nodus facillime ſoluitur. Si enim loquamur de dignitate, & excellentia dominiorum, accipiendo dominia vt ſunt Poteſtates, præſtantius eſt Regale dominium principatu multorum id nāque Dei dominio, naturæq. imperio eſt valde perſimile: totaq. dignitas in vno collocata refulget: quæ in dominio optimatum, ac multorum in pluribus conſpicitur. Si autem quæramus, quodnam dominium ſit melius, ideſt accommodatius hominibus, tunc haud ſimpliciter eſt interrogationi reſpondendum: ſiquidem vnica, ſimpliciq. reſponſione non poteſt eſſe contenta illa interrogatio, quæ eſt, vt plures, *1. Elen.* vt docuit nos Ariſtoteles, homines ſunt conſiderandi, illorumq. conditiones ponderandæ, nec imperij conſideratio qualitatum nos debet effugere. Res digniſſima eſt imperium, onuſue, quod virtutibus eſt portandum: ideo, qui imperat, qualitatibus optimis animi, ſtudijs, diſciplinis, ac virtutibus debet eſſe præditus. hæc ſunt, quæ faciunt hominem imperio dignum. Hoc ſenſu loquendo, dominium optimatum dicitur melius. Si vero conſideremus condiciones communes omnibus conuenientes hominibus, dominium populare melius dicetur. ſi enim, quod omnibus eſt commune, mente voluemus, nulla proculdubio ſeſe nobis offeret ratio, cur hic imperet, alter vero ſit ſubiectus. quare, vti ratione condicionum imperij, ac imperantium, quæue his, & illis conueniunt, melius dicitur imperium optimatum; ſic, ratione condicionum conuenientiū communiter omnibus, melius erit imperium populare. Loca vero adducta ex Sancto Patre Hieronymo, & Gloſſa, de dignitate Principatus in ſe conſiderati loquuntur. Hoc etiam probant rationes

acceptæ

acceptæ a Dei Opt.Max. dominio, ab operibus, & ordine naturæ. Alia vero ratio accepta a condicionibus, & virtutibus regnantis probat, dominium non in ſe conſideratum eſſe præſtantius, ſed ſecundo modo, vt explicauimus. ſcilicet, qualitatibus imperantibus, ac imperio congruentibus. Vltima ratio gratis eſt concedenda. nec enim oſtendit, vnius dominium omnium non eſſe digniſſimũ, ſed non eſſe accommodatius condicionibus conuenientibus vel ſpeciatim imperanti, vel omnibus in vniuerſum. Secundæ claſſis rationes minime opponuntur determinationi factæ: illarumq. prima omnino inualida eſt ad probandam concluſionem. Talis erat ipſa. Principatus eſt in ſalutem communem: exacte autem magis vident plures, quam vnus: igitur melior erit Principatus Optimatum Regio. Reſpondeo, Regem videre non tantum mentis, & corporis oculis proprijs, verum & aliorum. quod autem Regis imperium non ſit dignius, inde non probatur. Secunda vero ratio non reſpicit Principatum in ſe conſideratum, ſed populum rectum, & perſonam dominantis. hocq. ſenſu loquebatur Ariſtoteles. Quod addebatur periculum de morte Regis, reſpondeo, quod filius ſuccedens omnem auferet populo tumultus occaſionem. Ad hæc, non probat ratio, Optimatum imperium eſſe dignius, ſed melius, ſecundo modo a nobis retro enarrato. Ratio, quæ pro ſtatu & imperio miſto adducebatur, ea tollitur conſideratione, quoniam, quæ miſta ſunt ex duobus, diſtant ſemper ab extremis, ex quibus compacta ſunt, & iccirco ab illis etiam valde differunt. colores medij, qui ex extremis componuntur, ſummopere ab illis diſtant. color viridis ab albo, ac nigro valde differt. Porro, cum miſtus Principatus ſit quid diuerſum a Monarchia, inde fit, vt illa miſto Principatu ſit præſtantior. Vltima in popularis dominij gratiam allata ratio, in quo cum nec vnus, nec optimates regnent, omnium eſt infimus, inualidam nimis habet ſequelam. Verum illud non eſt; nos naturam imitari, & exequi præcepta illius, ſi omnes dominamur. Naturam imitamur in partibus nobilioribus honorandis, hoc autem arguit præſtantiam. Quod liberi exiſtamus ſub dominio, indicat ſubiectorum nobilitatem, non autem dominantium. Quot igitur, & quæ ſint dominiorum ſpecies, quæ ve illarum præſtantior, & quod neceſſe ſit Principem nobis præeſſe, hactenus diximus. Nunc de dominiorum iuribus agendum eſt.

LIBER

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LIBER SECVNDVS

Ius Status, quid. Caput I.

VARIAS Principatuum, dominiorumq. ſpecies, quaſi figura quadam, tenui declaratione expoſuimus. Nunc vero, quid ſit ius illorum, quod, domeſtica Lingua, Rationes Statuum ſolemus dicere, eſt conſiderandum: Hoc iure quodcumque agunt Principes, firmum, & conſtans eſſe exiſtimant, adeo vt omnia Principum maiora negotia, ac ſummi ponderis, licet paruam videantur vulgaribus habere conſiſtentiam, nihilominus iure dominij, ſeu principatus valida exiſtant. Temporibus hiſce voces iſtæ STATVS RATIONES in ore verſantur omnium, omneſq. contendunt, quæ a Principibus fiunt hac norma iudicare, an recte fuerint facta, & an iure dominij eis licuerit talia facere. Lapis Parius eſt Principum actionum Ius Principatus, quo geſta Principum cognoſcuntur. ea propter examinanda eſt ſummi iudicij trutina, omniq. diligentia curandum, ne quid dicatur, quod legentis animum dubium relinquat. Quidam doctor (rem ordior) ita definiuit IVS DOMINII, Seu Principatus, vulgo RAGIONI DI STATO. Ius principatus eſt notitia mediorum, aptorum ad inchoandum, conſeruandum, & ampliandum dominium. Quæ definitio (pace illius, ac bona venia hæc ſint dicta, veritatis illuſtrandæ, non imminuendæ alienæ gloriæ ſtudio) quid ſit Ius dominij,

minij, & proprietates illius, non aperit: vt veræ definitiones efficere ſolent: nec artem ſapit definiendi. Oſtendo hæc omnia. Ius dominij eſt illud, (vt diximus) quo, veluti perpendiculo, Principum actiones metimur. dicimus, a Principe nouum onus populis impoſitum, bellum fuiſſe excitatum, quoniam iure dominij hæc vtique facere potuit, ac debuit. Quo iacto fundamento, ita mihi liceat argumentari. Mediorũ notitia nec abrogat Principum geſta, ac leges, nec illa confirmat. igitur non eſt ius dominij: Aſſumptum facillime probatur ijs, quæ docet Ariſtoteles in libris de moribus. 2.*Mor.* Duo ſunt in actione humana conſideranda: actio ipſa, & rectitudo actionis, ac curuitas. Eiuſdem cognitio, ſeu notitia, exiſtens in mente, eſt principium operationis, at rectitudinis principium eſt prudentia, vel iuſtitia, vel alia virtus. Quod Princeps fœdus ineat, vel quod bellum excitet, cognitio, ſeu notitia in mente illius exiſtens harum rerum eſt principium. at, quod iuſte hæc fiant, ab alio principio pendet. Iam vero, cum medio vtitur illicito, verbi gratia pro fine licito, & dicimus, approbando geſtum, licite id fuiſſe factum, quoniam iure Principatus ei licebat, huius facti rectitudo nõ eſt aſcribenda notitiæ, ſed alteri principio ab illa differenti. Confirma.: Notitia theſauri eſt notitia medij ad conſeruandum, ac ampliandum ſtatum: theſauro ſi quidem dominium proprium tuetur Princeps; at quis, obſecro, dicet, hanc notitiam rectitudinem operationibus Principum elargiri? Ex ijs ſequitur, quod ſecundo loco obiecimus, quod proprietates rei definitæ nobis non aperiat, nec artem definiendi ſapiat. proprietates non facit perſpicuas, quia, cum hæ a principijs rei dependeant, vt lux a natura Solis prouenit, riſibilitas ab anima rationali, quæ admiratur, Iuris vero dominij principia ſileantur, & relinquantur, iccirco proprietates quinetiam illius remanent ignotæ. Artem non ſapit, quia idem per idem nititur declarare. Inquit, Ratio Status eſt notitia ad incipiendum, perficiendum, conſeruandumq. dominium: at STATVS, ac DOMINIVM ſunt idem, nec inter ſe differunt, dummodo accipiatur vox illa Status, vt in ea definitione neceſſario accipi debet, iuxta communem loquendi modum, & receptiſſimam ſignificationem. Ad hæc, competit alijs a definito diſtantibus, vt de cognitione theſauri diximus, indicium apertiſſimum propriæ imperfectionis, &, quæ ſunt neceſſaria, fuiſſe omiſſa. Habent hoc definitiones (vt dicunt) eſſentiale, quod neque ſuperflua debent continere, neque neceſſaria omittere. Illa ſi complectantur definitiones, quæ ſuperfluunt, non competit definitio omnibus, quibus debet conuenire. definiat quis hominem, & dicat, Homo eſt animal rationale, admiratiuum, riſibile, philoſophum. Sane, quoniam par-

ticula

ticula illa ſuperflua eſt, *Philoſophum*, omnibus hominibus congruere non poterit. multi enim, ac propemodum innumeri ſunt homines philoſophiæ ignari. E regione, ſi, quæ ſunt neceſſaria, omittantur, plura complectetur, quam deceat, quia, quanto eſt res compoſita magis, tanto in anguſtum uergit, paucioribusq. accommodatur; quanto vero eſt ſimplicior, tanto plura comprehendit. Definiamus hominem, (vt in eodem perſiſtamus exemplo) & dicamus, Homo eſt animal greſſibile, bipes, imaginatiuum. Hæc definitio brutis conueniet, Aues ſunt bipedes, imaginatiua virtute prædita. hac potentia animæ bruta cuncta multa operari, docuit Ariſtoteles. Picæ, ac Pſittaci humana formare verba addiſcunt. Canes, equi, ſimiæ, imagines artium habere dicuntur. Imagines dixi artium, non artes: quoniam artes ſpectant ad intellectum practicum: quæ virtus animi in brutis non reperitur. Cum igitur, vt ad rem propoſitam reuertamur, definitio omittat, quæ debet continere, alijs etiam differentibus a re definita congruet, vt recte adnotauit Ammonius. ideo dicebat Porphyrius, definitionem generis ab eodem ſcriptam ea ratione eſſe abſolutam, quia nec quid ſuperfluum, nec quid diminutum continebat. At hæc definitio hoc laborat vitio, quod, ad nimiam ſimplicitatem accedens, maioris fiat ambitus, pluraq. comprehendat, quam definitum. Cuius rei ſignum euidentiſſimum eſt id, quod ſupra a nobis de Theſauri notitia fuit dictum. Ad hæc, vox illa Ratio, ſeu Ius, eſt quid ambiguum, pluraq. ſignificans. Status quinetiam haud eſt vox ſimplex. Primo, Ratio ſignificat medium ad aliud aut agendum, aut operandum, aut faciendum. Vſus eſt frequentiſſimus apud Philoſophos, forma ædificij, quam habet Architectus in mente, eſt medium, quo artifex operatur, & condit ædificium. Iuſtitia, virtus exiſtens in mente hominis; eſt medium, quo iuſte, & ſtudioſe viuit. Imago Cæſaris, quæ reperitur in mente mea, eſt medium, quo Cæſarem, cum mihi ſeſe obuiam offert, cognoſco. Hinc Platonici Rationes, ſeu Ideas in anima ponunt, quibus tamquam medijs res a nobis cognoſcuntur. Hæ ſunt ſpecies a Deo Optimo & Maximo, Adamo inditæ, quibus res omnes cognouit, animalia cuncta, arbores, herbas, lapides, arbuſta proprio nomine appellauit, ne dum cognouit, cum ei ſeſe obtulerunt: perinde ſi quis imaginem alicuius prius nouiſſet, mox de facie illum videndo cognoſceret. Hac uero acceptione ſumpta, hæc uox, cum dicitur, Ratio Status, eſt cognitio medij, æque erit, ac ſi dicamus, medium Status eſt cognitio medij ad conſeruandum, ſeu ad inchoandum, ſeu ad perficiendum ſtatum. Significat inſuper formam, ideam, & exemplar: quæ omnia cum prima ſignificatione in unam ueniunt acceptionem.

2. De Ani. tex. vlt.

In Porphy.

acceptionem. Inſuper animæ noſtræ operationem, quam appellamus diſcurſum, ac ſupputationem in calculis, vt Simplicius adnotauit, æquiuoca dum explicaret. STATVS, vt diximus, eſt vox multa ſignificans. vel enim (quantum attinet ad propoſitum negotium noſtrum loquor) ſupremam Principis auctoritatem, quæ etiam nomine dominij appellatur, ſignificat, quinetiam pagos, caſtella, ac ciuitates. qui dicit, Is exulat Statu Summi Pontificis, nomine Status accipit pagos, caſtella, ciuitates, & loca. exilium namq. ad locum attinet. at, cum dicimus, Petrus eſt huius, vel illius ſtatus, tūc nomine Status iuriſdictionem intelligimus, auctoritatemq. Principis. Cum igitur vocabula iſta ſint æquiuoca, debuit profecto meminiſſe regulam Ariſtotelis in Categorijs, in quibus nullam admittit vocem plura ſignificantem, ſed ſimplices voces res ſignificantes medijs conceptis, vt dicitur. Definitio autem eſt quid ſimplex, ad res ſimplices attinens, vt Ariſtoteles in libris diuinorum demonſtrauit. Cum itaq. varijs ſcateat mendis, vel ſaltem (modeſte loquar) quamplurimis incommodis opprimatur, noua eſt definitio aſſignanda, qua veritas proprio loco reſtituatur, reiq. natura omnibus fiat conſpicua. *Lib. 7.*

Ius quid ſit.
Caput II.

NE more Andabatarum pugnemus, neue, quod tamquam probrum alijs obiecimus, in nobis reprehendendum ab alijs, præbeatur; primo videndum eſt, quid nomine Iuris, ac Dominij ſit intelligendum. Fruſtra enim, vt dicebat Themiſtius, fertur aditus ad ſcholas ſine hac præeunte cognitione. Id etiam docemur ab Ariſtotele primo de demonſtratione. IVS igitur, lata eſt vox, & plura cō plectens. primo indicat obiectum iuſtitiæ, quod ſcilicet fit a Iuſtitia, deinde leges, plebiſcita, decreta, ac reſponſa Principum, auctoritatem, ac locum ipſum, in quo ius dicitur. Quæ omnia ſi diligenti perpendantur examine, ab vnō principio prouenire, ab vnoq. fonte emanare comperiemus. IVS primario, ac primo ſignificat effectū a iuſtitia in rebus productum. hanc Iuſtinianus, definiens Iuſtitiam, in ſuis Inſtitutionibus, dicebat, *Iuſtitia eſt perpetua, & conſtons voluntas ius ſuum vnicuiq. tribuens.* Quam definitionem habemus etiā ab Vlpiano ff. de iuſt. & iu. Ariſtoteles quoque in libro de moribus hæc de iuſtitia ſcripſit: *Iuſtitia eſt habitus quo iuſtū volumus, & iuſtū operamur.* *Tex. 3.* *Pri. lib. de iu & iu.*

operamur. Ab hoc iuſto vti iuſtitia recipit eſſe, rationemq. virtutis tamquam a ſuo obiecto, ita lex, vt ſit regula. Lex namq. eſt ſanctio ſancta, iuſta iubens, & inhoneſta prohibens. Iuſta autem dicitur, quia ad inſtar iuſtitiæ iuſtum ponit in rebus. Hæc ſecum meditando Iſidorus, poſuit ius tamquam genus, legem vero vti iuris ſpeciem, ſic ſcripum nobis reliquit: *Ius generale nomen eſt, lex autem iuris ſpecies. ius autem dictum eſt, quia iuſtum eſt*. Appellauit doctor hic Legem Ius, quia eſt regula, & præceptio iuris, ſcriptis conſignata. Ab hac ſignificatione nomen ſortitur Ius Cæſareum, & Pontificium. Sunt enim leges vel a ſummis Pontificibus, vel ab Imperatoribus ſcriptæ & promulgatæ, quæ iuſti, ſeu iuris ſunt præceptiones. A Celſo alia etiam ſignificatione vſurpatum fuit IVRIS nomẽ, dum dixit: *Ius eſt ars boni, & æqui*. Quem locum Accurſius exponens, quomodo ſatis caute loquatur, non video: vt ibi obſeruauit Budæus, de æquo & bono diſſerens. Ars æqui, & boni, eſt ſcientia moralis, ſeu prudentia legalis, quæ in iure conſultis reperitur, qua inquiritur, quid nam ſit iuſtum lege ſanciendum. lex vero eſt dictamen practicum, quod ex eo conſtituitur, Fac, Ne facias. Ius ergo, ſecundum Celſum, eſt ars æqui, ac boni. Iuriſperiti, annectentes ius iuſtitiæ, hac ſectione ius diſtribuunt, dicentes: Ius, ac iuſtitia, vel eſt publica, vel priuata, & hæc & illud vel naturale, vel gentium, vel ciuile. primum ius, prima ue iuſtitia ſeruatur apud omnes gentes, ſecundum ius, ſeu iuſtitiam vnaquæque ciuitas ſibi conſtituit. Ius autem ciuile vel vſu approbatum eſt, ſcripturam non agnoſcẽs, vel ſcriptis commendatum, quod complectitur Plebiſcita, Senatus conſulta, placita Principum, Prætorum edicta, reſponſa prudentum. Theologi quoque ſecant Ius, in naturale & diuinum, membra hæc adhuc pari ſectione diuidentes: primo partiuntur ius in humanum, & diuinum, mox unum, & alterum horum in naturale, ac poſitiuum diſtribuunt. Verum, hæc in præſentiarum omittendo, reuertamur ad id, quod Ius varia ſignificat, quibus ſignificationibus liceat has addere duas, quæ ſequuntur. quod locus ipſe, vbi iudex, aut princeps populis ius miniſtrat, dicitur ius. id ſcriptum reperio a Sancto Thoma, quod, vt arbitror, mutuo accepit a Paulo Iureconſulto, l. pen. ff. de iuſt. & iu. vbi habemus, ius dici pro loco. Hinc ille loquendi modus receptiſſimus, Vocari in ius, nimirum in locum, vbi iudex ius exequitur, ius ve dicit. poſtremo, ac nouiſſime, Ius ſignificat auctoritatem, ſeu poteſtatem. vnde forte ille dicen di modus habuit ortum, Vtitur ſuo iure, ideſt ſua auctoritate. dixi, Forte, quoniam ab alio poteſt prouenire, nimirum ab eo quod alicui conuenit iuſtitia. ſiue igitur ab hoc, ſiue ab illo origenem trahat, nihil ad præſentem materiam. Huc ſunt vocanda, in robur eo-

9. Etym.

Celſus.

Accurſius.

Budæus.

2. 2. q. 57. ar. pri.

rum, quæ diximus, quædam a Ioanne Gerſone, Canonico noſtro, ſcripta, vbi de Eccleſiaſtica poteſtate, ac de vita ſpirituali agit. inquit Doctor iſte celebris, Ius bifariam accipi: primo, pro lege, qua acceptione dicimus Ius ciuile, vel Ius Canonicum; ſecundo, pro legitima, qua quis fungitur, poteſtate in aliquam rem, aut perſonam, quam doctrinam Conradus eſt ſecutus. Hæc & tot de Iure laconice ſint dicta. *Conſ. 3.* *De Contr.*

Dominium, quid, & quotuplex. Vſusfructus, & Vſus quid. Caput III.

SVſpicari poterit aliquis, Dominium, & Ius eſſe idem. cum enim Ius ſit auctoritas in rem, ac perſonam, quemadmodum nunc diximus, Dominium vero & ipſum quoque ſit tale, concludet forte, Ius, & Dominium non differre. At, ſi rem introſpiciamus, alia certe, & valde diuerſa erit nobis ſententia. Id vt faciliori negotio efficiamus, accipiamus varia dominia, illaq. enumeremus. Dominium, vel eſt Diuinum, vel Naturale, vel Humanum, & hoc in duo ſecatur membra, vel eſt de iure gentium, vel quod acquiritur de iure ciuili. Etenim, cum dominium a iure habeat originem, ius vero vel ſit diuinum, vel naturale, vel gentium, vel ciuile, ita quoque, totidem eſſe dominia, bona venia poſſumus affirmare. *Tri. 96.* Noui equidem, a Gerſone ſex, a quibuſdam nouem, a Conrado viginti tria aſſignari dominia: verum, vt ingenue loquar, doctrina illa ſicut argutum, ita ſuperſtitioſum præſefert auctorem. Omnia illa dominia, quæ ſuperfluenti numero ab illis recenſentur, poſſunt in ea, quæ adnumerauimus, tamquam in propria capita, redigi. verbi gratia, ponunt ipſi dominium Originale, Gratificum, & Beatificum: & aiunt, Originale illud eſſe, quod habuit Adamus in lignum; Gratificum eſt illud, quod reſpicit opera a nobis exiſtentibus in gratia facta; Beatificum vero eſt illud, quod habent beati in patria, dum a Deo gloria ditantur, cum ve fruuntur Dei eſſentia. Originale eſt ius poſitiuum diuinum, ſupra naturam primo homini conceſſum, licet poſſet quodammodo illi ſtatui naturale. Dominium gratificum gratis certe ab illis adducitur, & gratis poteſt eis condonari. Operum enim, quæ a nobis fiunt dum ſumus in gratia, non dicimur domini, ſiquidem non viribus noſtris, ſed Dei

gratia, & auxilio ſupra naturali, illa operamur. Ius vero, quo beati a Deo gloriæ fiunt participes, non eſt appellandum Dominium, ſed potius nomine Iuris poteſt dici. Gloria, ac beatitudo illa in Dei viſione collocatur, ſi fecerimus eſſe, quod illud ſit dominium, beatus in gloria dominus Dei dicetur. Verũ condonemus illis, obſecro, quod poſſit appellari Dominiũ, non diſtinguetur tamen a Diuino poſitiuo. Latum eſt huius dominij ius, ſui ambitu naturalia, & quæ ſunt ſupra naturam amplectitur, in ijſque, ac in illis reperitur. Ad hæc, miniſtri Dei ius habent Sacramenta conſecrandi, fidem docendi, & prædicandi, a peccatis homines ſoluendi, & tranſiens hoc ius ad naturalia, quinetiam decimas habent, quoniã, vt dicebat Apoſtolus, ad Corinthios ſcribens, temporalia eis populi debent pro ſpiritualibus, quæ illis miniſtrant Sacerdotes. Dominium inſuper Dauidis in Iudaicum populum ad idem ius diuinum poſitiuum attinet. Sed hæc miſſa faciamus, & dicamus, quattuor eſſe dominia, Diuinum, Naturæ, Gentium, & Ciuile, omnia quidem a Deo, a quo omnis prouenit poteſtas, vt Diuus Paulus ſcripſit ad Romanos. differunt inter ſe, quoniam Diuinum naturæ hominis eſt ſuperadditum, Naturale autem eſt illi debitum. Homini namque in ſui natura concepto ea debentur, quæ ad eius vitam alendam, ſuſtinendam, ac ſeruandam ſunt neceſſaria. Ideo Deus optimus, & Maximus, omnium creator, omnia ſciens, mentionem faciens futuræ creationis hominis, Dominium quoque meminit, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, qui præſit piſcibus maris, & uolatilibus cæli, & beſtijs, uniuerſæq. terræ, omniq. reptili, quod mouetur in terra. & creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, maſculum, & feminam creauit eos. Benedixitq. illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris, & uolatilibus cæli, & uniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.* Statim ac prodijt ex illo abyſſo non entis homo, in lucem hanc editus, dominus eſt conſtitutus eorum, quæ ad vitam ipſius erant neceſſaria, verbis illis Dei: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris.* Dominium gentium a MEO, & TVO, (verba frigida appellauit illa Sanctus Ioannes Chryſoſtomus ſancte ac ſapienter) Ciuile autem, a legibus ciuilibus, emptionibus, venditionibus, ac ſimilibus, ſumpſit exordium. Ex his omnibus id prouenit tamquam corollarium, vt Logici dicunt, Dominium duntaxat conuenire naturæ intellectuali, in qua ſcilicet viget Voluntas. Deus eſt dominus. neque hoc poteſt negari. innumera ſunt oracula id teſtantia: *Dominus vniuerſorum tu es: Domini eſt terra.* &c.

p.cap.13.

magi-

magiſtraq. natura id fatemur omnes: ab æterno, Dominus poteſtate; ab Vniuerſo autem condito, actu. vtitur rebus, vt ei placet: iuſſit ferrum natare, ignem non calefacere, Solem a ſuo curſu deſiſtere, & firmiter ſtare. immo & vitæ, & morti eum iubere norunt omnes. Angeli & ipſi Domini dicuntur, non quidem rerum huiuſmodi, ſed ſuarum actionum naturalium. Nos vero dominium habemus, qui rebus vtimur, libere illis dominando, nedum accidentibus, & qualitatibus earum, illarum, verum, ſubſtantia vtentes vendendo, donando, atque ſi poſſunt conſumi, vt cibi, ac veſtes, comedendo, conſumendo, vt fertur noſtra voluntas. dominamur ſiquidem non tantum accidentibus, verum & ſubſtantiæ rerum. Hæc nos docent verba Domini, dicentis: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs terræ, &c.* Dei facies eſt intellectus, liberaque voluntas. Fieri ad imaginem eius, eſt, intellectu, & voluntate libera creari. & in hoc homo ſimilis eſt Deo, quam ſimilitudinem ſpeculando, ex illa ferimur in Dei cognitionem: non ſic in quibus veſtigium conſpicitur, non autem facies, quemadmodum, ſi quis, arenam pedibus calcando, in ea pedis veſtigium impreſſerit, illo veſtigio non ducimur in cognitionem imprimentis, ita ſane, pecora, brutaq. conſiderando, in Dei cognitionem nequaquam ducimur. poſſumus quidem nonnulla cognoſcere, verum infima, & hæc obſcura de Deo intelligimus. quemadmodum ſapiens ille, Herculis veſtigium videns in terra, non in faciei Herculis cognitionē, ſed in corporis, ac ſtaturæ notitiam fertur deueniſſe, ac roboris corporis, ita nonnulla cognoſcimus veſtigio, quæ ſunt Dei, at ſimilitudine exactiorem habemus notitiam, longeq. præſtantiorem. Conſtituit autem hominem Deus dominum omnium rerum, quæ einſdem Dei carent imagine, quibus rebus negauit dominium. Quod ſi aliquando loquendi vſu quodam, Apum regem, Leonemque regem animalium quadrupedum dicimus, metaphorice, non vere, reges dicuntur talia animalia. Dominio medio rebus vtimur, vt nobis libet, earundem ſubſtantiam attingendo. hominis autem ſubſtantiæ, vitæq. Deus duntaxat dominatur. nec aliud Sapiens nos illis verbis voluit docere, dum dixit: *Tu, Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis, & reducis.* Cui ea conſentiunt, quæ in Deuter. leguntur: *Ego occidam, & ego uiuere faciam.* Humana vita ad Dei dominium attinet, cuius vitæ nec homo proprie, nec Princeps, nec Reſpublica, nec Rex, aut Imperator, nec quiuis dominans poteſt eſſe dominus, ſiue propria ſit, ſiue aliena. Id a ſigno probatur. Lex iuſtitiæ prohibet, ne quis propriæ mortis ſit auctor. quod ſi dominus eſſet vitæ

4. Reg. 23. Dan. 3. Ioſu. 11.

ſet vitæ ſuæ, lex non inhiberet, ne ſibi manus conſciret. non me latet, a lege inhiberi, ne pupillus bona vendat, neue prodigus illa dilapidet, licet illorum ſit dominus. noui etiam, legem illam eſſe caritatis, non iuſtitiæ. Præterea, Deum, & ciuitatem afficere iniuria lex vetat, atque vt crimen maximum puniendum ſancit: porro, qui ſeipſum interimit, Deo infert iniuriam, ac ciuitati; Deo, quoniam eſt illius imago; ciuitati, quoniam eſt eius membrum: ideo, & diuina lege, & ciuili eſt puniendus. Hoc etiam voluit Ari-
Lib. 1. c. 11 ſtoteles, loquens de moribus. Propter hæc armiger ille Amalechites, qui Saulē incumbentē haſtæ interfeciſſe, iactando, ſe dixit, a Dauide fuit morte condemnatus, licet Saul ſemiuiuus, iamq. animam agens, precibus ab illo id obtinuiſſet, vt referebat ipſemet. pœnas non dediſſet Amalechites ille, ſi iuſte id ab illo, vt dicebat, perpetratum fuiſſet. iuſte egiſſet, ſi Rex ille propriæ vitæ fuiſſet dominus. nullo iure permittitur homini, vt ſe ipum interimat. non naturali, quia, quæcumque ſunt, ſuapte natura deſiderant eſſe, & conſeruari, atque, quantum vires permittunt, fugiunt interitum. lex hæc omnibus eſt indita, hanc ob rem ſagax rerum natura nulli parauit inſtrumenta, quæ in propriam eſſent mortem, ſed e contra, quæ eſſent illi præſto ad tutelam, & conſeruationem: contexit ob id arbores corticibus, aues plumis, animalia terreſtria pilis, piſces ſquamis ad illorum defenſionem, quemadmodum Alexander, ſiue
In præf. prob. Aphrodiſeus, ſiue Trallianus ille fuerit, de problematum varietate diſputans, adnotauit. equorum pedes armauit cornu, dentibus
De us. par. canes, aues roſtro, & vnguibus, tauros cornu, vt Galenus obſeruat, eo conſilio, ne arma illis deeſſent, quibus ſe ipſa hæc animalia tuerentur, non autem vt ſe interimerent. Cum ergo natura condiderit animalibus arma ad defenſionem, non autem ad proprium interitum, ſummumq. ſit omnibus a natura inſitum deſiderium propriæ tutelæ, non erit igitur iure naturæ homo dominus ſui, vt poſſit, cum ei libuerit, in vitam ſuam exercere dominium. Iam vero, ſi iure naturæ id non habet, neque iure diuino poſitiuo hoc obtinebit. ius namque naturæ eſt iuris diuini effectus, at effectus naturam cauſſæ ſemper redolet. Ad hæc, inſpirauit Dominus in faciem hominis ſpiraculum vitæ, hanc vitam accipimus a Deo, vtente genitoribus noſtris tamquam inſtrumentis. diſponit generans materiam, Deus autem dat vitam, animam infundendo. cum ergo ſit a Deo vita, dominium vitæ Deus habet, & hanc peſſumdare nobis non permittitur; nec ab illa exire, niſi eodem Domino iubente, poſſumus, ſicut eius iuſſu vitam accipimus. Iure ciuili id eſſe vetitum, retro hunc diximus; iure vero gentium permiſſum eſſe non poteſt; quoniam tale ius a iure naturæ uires obtinet. Atqui, ſicut

vnuſquiſque vitæ propriæ non eſt dominus, ſed cuſtos, ita etiam Reipublicæ Princeps, ſiue Rex humanæ vitæ habet dominium. id manifeſtum erit nobis, ſi conſiderabimus, Principẽ non poſſe quemquam interficere, niſi ob perpetrata crimina; porro, cum iubeat nocentes occidi, hocq. ſit iudicis officium, dicendum eſt, ipſum quoque cuſtodem exiſtere, non dominum humanæ vitæ. Iubeat homicidam capite puniri, furem ſuſpendi laqueo, latronem in partes ſecari, vbi teſtibus fide dignis, id ei conſtiterit, hoc fit à Principe, quoniam illius eſt munus, ad illumq. attinet, curare, vt pax Reipublicæ ſeruetur, lex diuina inuiolata perſeueret, & bonum commune perduret illæſum. Dicet forte aliquis, Iubet Princeps ſubiectos in militiam proficiſci, illos obijcit morti, igitur dominus erit vitæ populorum, qui hæc obiecerit, meminerit, hominem bifariam poſſe conſiderari; vel quidem abſolute ſecundum ſe, vel vt eſt pars Reipublicæ, & membrum ciuitatis. primo modo, non poteſt, ſi innocens ſit, à Principe interfici; ſecundo modo, poteſt obijci morti. Iubendo autem Rex, populos in prœlium ire, id facit, vt Rempublicam tueatur, atque vt cuſtos illius. Principi commiſſa eſt à Deo cuſtodia, & cura ciuium, Deus autem eſt abſolute dominus vitæ hominum, is namque, non vt iudex, aut cuſtos, illum morte caſtigat, hunc in certamine morti offert, ſed tamquam auctor, & dator poteſt illam à nobis auferre, vt vnuſquiſque proprium agnum, aut hædum occidere. Concludamus itaque, hominem, ſiue priuatum, ſiue Principem, humanæ vitæ non potiri dominio. barbara, ac ſæua eſſet tyrannis illius Principis, qui, ſpretis naturæ decretis, neglectis Dei legibus, vellet ſubiectorum vitæ dominari. Id Scytha, id Turcarum Princeps ſibi arrogat iniuſte, qui non tantum cuſtodem, & tutorem vitæ ſubiectorum ſe eſſe arbitratur, ſed, Nabucdonoſorem ęmulando quodammodo impie, ſe faciens Deum, dominum vitæ, ac rerum populi exiſtimat ſe eſſe. At dominium, vt retro diximus, eſſentiam rei attingit, nedum qualitates, & accidentia. noſtræ autem eſſentiæ vti Deus eſt creator, & auctor, ita quoque eiuſdem eſt dominus. Differt Dominium ab Vſufructu, atque ab Vſu, in hoc, quoniam Vſusfructus alienis rebus vtendi, atque fruendi ſalua rerum ſubſtantia, (eſt enim ius in corpore, quo ſublato, & ipſum tolli eſt neceſſe, ff. de Vſufr. l. 1. & inſtit. eod. tit. in prin.) loquendo proprie, eſt dumtaxat in rebus, quæ vſu non conſumuntur. l. omnium, ff. eodem. Vſus autem, quid minus iuris donat vtenti. Vſus namque, ſecundum Azonem, eſt ius vtendi rebus ſalua rerum ſubſtantia. hoc idem habet gloſſa, l. 1. ff. de vſu, & hab. Ex qua definitione colligit in eodem loco gloſſa, quod vſus proprie nequit conſiſtere in rebus, quæ ſolo uſu conſumuntur. Diſtant Vſus *In Sum.*

fructus

fructus, & Vſus, quoniam, qui habet vſum prati, horti, viridarij, agriue, vſum, inquam, quem nudum appellant, poteſt quidem veſci oleribus, poma accipere, vt eius patitur quotidianus vſus, immo & eius familia, vt l. plenum, in fine ff. de Vſu, & hab. nihil alijs vendendo, aut largiendo, ea condicione, vt domino fundi non ſit moleſtus, neque colonis, a quibus colitur ager, neque etiam ius proprium alijs locandi, vendendi, aut gratis concedendi habet facultatem. Vſufructuarius autem habet hæc omnia, vt inſt. de vſu, & habit. § 1. legitur. Dominium autem, ſecundum multos, eſt ius habendi, poſſidendi, fruendi, & vtendi aliqua re, pro libito voluntatis, ſimpliciter, vel ſecundum aliquem determinatum modum, ex quadam ſuperioritate. Hanc definitionem amplexi ſunt Angelus, & Sylueſter in Summa: a quibus Sotus eam accipiens, melioſem facere ſtuduit, ſic dicens: *Dominium eſt poteſtas in rem, qua vti poſſumus pro libito noſtro, in noſtram propriam vtilitatem, quam ob nos diligimus*. Id autem nititur perſuadere, argumento ſumpto a vi vocabuli. Dominus eſt quid relatiuum, refertur enim ad ſeruum. at relatiua, quæ Cicero eleganter ſub eandem rationem Cadentia appellauit, Græce τὰ πρός τι, habent eſſe in relatione. ſeruus enim quidquid eſt domini, dicitur eſſe vti iumentum. Verum tamen illud eſt, quod iumentum poteſt occidi, at ſeruus nequit interimi: quoniam, quemadmodum retro diximus, Deus Benedictus & glorioſus ſicut humanæ vitæ noſtræ eſt auctor, ita ſolus eiuſdem vitæ exiſtit dominus. Quæ dicuntur ab hoc viro theologo, exactiori indigerent diſcuſſione. negandum non eſt, relatiua habere eſſe in relatione, vt ſimile duplum, ac ſimilia: at, quæ referuntur, non omnia exiſtunt talia, ſubſtantiæ; quæ referuntur, ſunt alterius, attamen non habent totum eſſe in relatione. an vero ſeruus ſit alterius, an relatiuum, egeret diſcuſſione. Verum hæc miſſa faciamus, dicamuſque, dominum ſerui ſui vitæ non habere dominium. Ariſtoteles hæc nouit, quando duo aſſignauit imperiorum genera ab inuicem diſtantia, Ciuile ſcilicet, ſeu Regium, & Deſpoticum, quod eſt proprie dominium. addens, animam habere principatum dominicum in corpus, mentem vero in appetitum regium, ac ciuile. Ex ijs omnibus liceat colligere, dominium diſtare a principatu, loquendo proprie: quoniã dominiũ eſt ius in ſubſtantiam, & qualitates rei, qua vti poſſumus, vt noſtra fertur voluntas: at principatus non eſt quid tale. nec enim mens ſenſui, ac appetitui in omnibus imperat, eſtq. ſemper regina; nec princeps vere dici poteſt, ac debet populi dominus: ſiquidem, vt nunc diximus, & fuſius ſumus dicturi, Principatus differt a Dominio. His itaque ſit conſpicuum, quid ſit Ius, quid Dominium, quid Vſus, & Vſusfructus.

l. D. ver. Dominium.

1. Pol. 3.

fructus Nunc,tandem rem aggrediendo, quid ſit Ius principatus, tempus eſt vt conſideremus.

Iuris Principatus definitio. Caput IV.

HVcuſque parauimus inſtrumenta, quibus veritas, in puteo Democriti iacens, eſt inde a nobis extrahenda. amouimus impedimenta,quæ iter reddebant aſperum ad notitiam iuris Principatus attingendam. ſupereſt, vt illud definiamus, vt, quidnam ſit, innoteſcat. Ceterum, quoniam, vt retro diximus, Ius multis modis accipitur, primo denotat iuſtitiæ effectum,quem facit iuſtitia in rebus, obiectumq. iuſtitiæ, cum iuſtitia ſit habitus, quo volumus iuſtum. Significat & legem, quæ ius dicitur,quoniam ab illo iuſto habet, vt ſit regula. Ius ſignificat & auctoritatem.Significat atque locum, vbi ius redditur. Ratio quinetiam multis accipiatur modis, vt ex Simplicio retro obſeruandum propoſuimus, nimirum formam, ideam, exemplar, & ſupputationem in calculis. *& Ragion di Stato*,Latine Ius, & Ratio poſſit dici.Eligenda eſt ſignificatio quæ noſtro argumento congruat. Quod attinet ad Ius, & pro auctoritate, & pro lege, hic recte accipi poteſt: vtroque enim ſenſu quæ, paſſim dicuntur, & proferuntur enuntiationes, intelligi, docet communis vſus. cum enim, iure Principatus hoc vel illud principi conuenire, hanc & illam actionem ab eo iuſte prouenire dicimus,ſenſus verborũ eſt, vel quod leges ad Principatũ attinentes id iubent,vel Principis auctoritatem illucuſque protendi. Ratio autẽ, ſupputationem in calculis, definitionem, rei formam, ideam, & exemplar, ac animi notionem ſignificat,vt retro ex Simplicio obſeruabamus. Prima, & ſecunda ſignificatio noſtræ diſputationi omnino eſt incongrua. ridiculum eſſet omniuo aſſerere, quod ſupputatione in calculis,aut definitione Princeps hæc ageret recte,& ab illis abſtineret. Neque etiam tertia ſignificatio eadem ratione eſt opportuna De idea,ſi loquamur cum Peripateticis, inanis erit,ratione ſcientiæ,& generationis.at,ſi ſentiamus cũ Platonicis,erit principium cognoſcendi. id in Protoplaſto videmus eſſe factũ, cuius animæ indidit Deus rerum omnium imagines. vnde factum fuit, vt, cum omnia animalia adducta eſſent coram Adamo, ab illo cognita

fuerint, & proprijs nominibus appellata: veluti, ſi quis Summi Pontificis imaginem inſpexiſſet, ſtatim ac oculos conijceret in faciē eius ſanctam, illum cognoſceret, ac ſe proſterneret, Chriſti Vicarium venerando. Cum itaque idea ſit principium cognitionis, & imago ſimplex rei, hoc principio res, & actiones Principis nec moderamen recipiunt, tamquam regula, & metro, nec culpam, & honorem. Supereſt, vt ſola ſignificatio vltima conueniat argumento ſuſcepto. ſiquidem exemplar eſt formula, qua pictor recte pingit. exemplar in mente Architecti, eſt regula, qua domus recte con-
2, Phiſ. ſtruitur. Ariſtoteles appellauit naturam Exemplar, quoniam ita operatur, (vt Alexander locum interpretatur) perinde ac ſi ante ſe exemplar haberet, quo vteretur tamquam norma. Medicorum frequens eſt dicendi vſus nominis Rationis pro regula. Apud Hippocratem legimus tractationem integram de ratione victus in acutis morbis. Hæc, & tot ſufficiant pro nominum iſtorum notitia & diſtinctione. quæ neceſſaria erat, ne æquiuocatio pareret confuſionem, tædio ue legentem afficeret. neceſſaria erat nominis notitia, quoniam hæc ceteris eſt anteponenda, & ſine hac, vt dicebat Themiſtius lucidiſſimus, fruſtra tentamus Scholarum aditum. ſunt voces, rerum imagines, medijs conceptionibus animi. Ariſtoteles decem Prædicamentis, quæ ſunt ſimplices voces, res omnes complexus eſt, & nomine Categoriarum primus omnium vocauit, quod nomen a verbo Catagoreo deductum eſt Græco, Latine accuſo, & manifeſto, vt Porphyrius animaduertit. illo tituló nos mónuit, voces ſimplices eſſe imagines accuſatrices, & manifeſtatri-
1. cap. 2. ces rerum, quas animo iam concepimus.& de interpretatione aiebat, voces eſſe notas earum, quæ ſunt in anima, paſſionum. Iam vero, cum, quid nominis Iuris Principatus teneamus, illud ſupereſt, vt, quid rei, cognoſcamus. Ceterum, quoniam duplicem ex varijs accepimus iuris ſignificationem, ſcilicet pro lege, & auctoritate, ideo duplex eſt aſſignanda definitio, vt ſigillatim & hæc, & illa, quid ſit, ſeparatim innoteſcat. Accipiamus itaque Ius, vt ſignificat legem, ſeu præcepta. hoc ſenſu, ſic definiendum eſſe ſemper credidi, & pro conſtanti habui; *Ius Principatus, eſt lex deriuans a Diuina, & Naturali, ad moderandas Principis actiones vt Princeps eſt, & dirigendas illas in ſuum finem.* Sin autem accipiatur Ius, vt denotat auctoritatem alia definitio ab hac diuerſa erit aſſignāda, dicēmuſque: *Ius Principatus, eſt poteſtas a Deo data Principibus, iuſte imperantibus, in commune bonū populorū.* Vna, & altera definitio omnibus cōſtat cauſis, ſiue intrinſecis, ſiue extrinſecis. Vnā, & alterā conſideremus. Lex habet locū generis, ſiquidē lex ſui ambitu cōplectitur Canonicam, Ciuilem, plebiſcita, Principum placita, reſponſa pruden-

cum. genus autem eſt forma. aſſignatur materia, cum dicitur, *ad moderandas Principis actiones.* ſiquidem legum materia ſunt hominum actiones, circa quas verſantur leges, adiecimus, *vt Princeps eſt.* quia duo ſunt in Principe conſideranda, vel vt eſt Reipublicæ caput, vel vt homo ciuilis. primo modo ſi concipiatur, multa ei competunt, quæ, vt talis eſt perſona, non conuenirent. finis inſinuatur, cum dicitur, *ad dirigendas illas in ſuum finem.* lex namque ponit modum actionibus, & illas dirigit in bonum. quidquid agimus, ſpecie boni agimus. hinc Ariſtoteles in Politicis ſic orditur. *Omnis ars omiſq. diſcendi via, actio item, atque electio, bonum quoddam expetere videtur.* at decipimur ſæpius, ſpecie boni allecti, & ideo deficimus. ſenſus blanditijs nos decipiunt, efficiuntque, vt a fine declinemus. lex eſt norma, qua iuſte operamur, qua'ue in finem proprium diriguntur operationes. efficiens cauſſa exprimitur, cum dicitur, *proueniens a Diuina, & Naturali.* quoniam ab ijs, tamquam a fontibus, atque proprijs principijs, omnes leges emanant. eſt ordo in mente diuina, qui ordo lex etiam nuncupatur: ſi quidem lex metrum & ordo dicitur: de qua re fuſius, Deo fauente, ſuo loco dicemus, vbi de legibus erit ſermo. Ordo ille, in mente diuina exiſtens, eſt cauſſa ordinis, ac legis exiſtentis in natura. lex naturæ diuinam ſequitur, tamquam famula, & ancilla dominam. Vtriuſq. legis effectus eſt lex humana, quæ naturæ legem ſequitur, vti vmbra corpus. Cum autem Princeps ſit rationis compos, legibus, & præceptis viuere debet. &, quatenus populos regit, in puppi ſedens, clauum Reipublicæ tenet, leges habet, & præcepta, ad quæ, tamquam ad filum, proprias debet referre actiones. leges iſtæ, ſeu præcepta, a Diuina lege, & Naturali proueniunt, vti aliæ leges, quæ ſunt regulæ viuendi iuſtiſſimæ, & ſanctæ debent eſſe leges regnorum ob hæc, quæ nunc diximus, non autem corrupta Principis voluntas, & ei liceat cuncta imperare, & efficere, vt fertur propria voluntas. Verum hæc omnia roboremus diuinæ Scripturæ teſtimonio. oſtendamuſque, leges Regni non a Principis voluntate, adeo, vt ſtet pro ratione voluntas, nec vel a quauis religione pendeant, ſed a diuina lege, & a prophetico ſpiritu prouenire; ac ſanctitatem debere redolere. Regum primo legimus, Saule vncto a Propheta Samuele, regeq. conſtituto populum acclamaſſe, *Viuat Rex*, his vocibus ſignificando, quod facto annuebat, & Regem ſuum agnoſcebat. ſtatim hæc leguntur verba: *Locutus eſt autem Samuel ad populum legem regni, & ſcripſit in libro, & repoſuit coram Domino, & dimiſit Samuel omnem populum, ſingulos in domum ſuam.* Ex quibus verbis (niſi in clara luce mens pertinax cæcutire, ac in Sole caligare velit) colligimus, leges Regnorum non ducti proprio Cap. 10.

ſpiritu a principibus fore promulgandas, ſed diuino afflatis ſpiritu. Populi Dei primus Rex fuit Saul, ab illo Regni leges non fuerunt conditæ, & ſcriptæ, ſed a Samuele Propheta, & ab eodem coram Domino poſitæ, vt ceteri Reges, ac Principes pro certo haberent, non proprio capite Regni leges condendas fore,nō in propria com moda,ſed a ſummo Sacerdote,a Pontifice omnium ſupremo,ac diui næ legis ſimillimas. ſtatim ac Rex primus populi a Deo eligitur a ſummo Sacerdote leges promulgantur.ponunturq.in cōſpectu Dei, quia a lege diuina leges Regni debent menſurari, & illi eſſe omnino ſimiles,atque ſubdi ſummi Pontificis legibus,non autē illis opponi. Viderint neoterici,qui præcepta Ariſtotelica,& Platonica ſtatuunt Regnorum leges ad Principes populos,& Principatus ſeruandos,an rectiPrincipibus cōſulant.praua inualit conſuetudo,vt in rebus,quæ ad Principatus attinent,veritat erelicta ex ſacris Scripturis proueniente, ad præcepta Ariſtotelis, & Platonis, quorum alter impium, alter a fide aberrantem ſæpe hominem facit, multoties confugiunt conſultores. quaſi ignorent, quod leges illæ gentilitatem in multis ſapiant, & in multis deficiant a veritate, nec idem iudicium fore ferendum de paganis dominantibus, & Principibus Chriſtianis, iccirco non eſſe ponendas tamquam menſuram,ac metrum ea,quæ ſcripta ſunt a Gentilibus actionum Principum Chriſtianorum. Iure itaque dicimus,rationem nobis indicare,&ſignificare regulā.Et,ijs, quæ diximus,addendo,logica rationalis dicitur,& entia rationis cō ſiderare,quoniam regulas docet,quibus vtitur intellectus,verū ſpe culādo,& inquirendo. nō ergo inſipienter dictū eſt Ius Principatus, ſeu,vt dicunt, Iura Status, eſſe regulas, ac præcepta attinentia ad Principē,quatenus eſt Princeps:cum modus iſte loquēdi ſit receptiſ ſimus apud logicos,medicos, philoſophos, ac doctiſſimos viros,ipſaq.rei natura approbet. Iā vero,ſecundā tractemus definitionem, in qua etiā omnes apparent cauſſæ. *Poteſtas* locū generis obtinet, ceteræ autē particulæ differentiarum.cū dicimus,*a Deo datā*, cauſſa efficiens explicatur.cum dicitur,*in populos*, materialis. cū additur, *in commune populi bonum*, finalis exprimitur cauſſa. ex limpidiſſimo emant fonte definitio,ex Diuo Paulo hauſimus illam,qui,ad Romanos ſcribens, ita loquebatur: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. non eſt autem poteſtas, niſi a Deo. quæ autem ſunt a Deo, ordinata ſunt. itaque, qui reſiſtit poteſtati, ordinationi Dei reſiſtit. qui autem reſiſtunt, ſibi damnationem acquirunt. nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. ſi autem malum feceris, time. Non enim ſine cauſſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt vindex in iram ei, qui male agit.* Hæc Apoſtolus

Paulus. Ex quibus vnuſquiſque, niſi in Sole velit caligare, elicere poteſt, Ius Principatus, ſeu auctoritatem, qua fungitur Princeps, eſſe poteſtatem datam a Deo: cum dicat Apoſtolus, omnem poteſtatem a Deo eſſe,& in laudem bonorum,ac timorem malorum, & iccirco in commune bonum. Deus omnium eſt Rector. Maximus dicitur, quoniam omnia cognoſcit, omniaq. regit: quemadmodum dicitur Optimus,quoniam propia bonitate omnia producit,vt bonitatis efficiat participes. Eſt primus Rector, ceteri vero ab illo dependentes ſunt inſtrumenta. Quemadmodum in motoribus vnus eſt omnium primus, qui cuncta mouet, ceteri autem motores, ſi cum illo conferantur, habent naturam inſtrumenti, vt annotauit Alexander, ita in rectoribus ceteri cum primo comparati ſunt illius inſtrumenta. Atque, vt in eadem perſiſtamus ſimilitudine, ſicut ad motum primi mouentis omnia corpora ætherea mouentur, licet proprium habeant motum ab illo differentem, ita vnus debet eſſe primus Rector, cui omnes ſubijciantur, licet proprium regant populum. Materia, circa quam verſatur hæc auctoritas, ſunt populi, vt diximus. hos Princeps legibus coercet,vt perfectos reddat. ſimilis eſt figulo: quoniam, veluti artifex iſte, argillam, lutum ve tractando, vertit, præpolit, elaborat, vt tandem in vas efformet,ſic Princeps, hanc exercendo auctoritatem in populos,ex informibus formatos, ex rudibus præpolitos, ex imperfectis perfectos magis, ex prauis ſtudioſos, ex malis bonos, & tandem ex incompoſitis abſolutos, efficit, & optimam illam aſſequuntur felicitatem, quam vita ciuilis pollicetur hominibus. Ideo in definitione non tantum materiam, & formam, ſed & finem collocauimus, cum diximus, *in commune bonum ſubditorum*. Ceterum, quoniam, qui alijs præſunt, vel iuſte imperant,vel intruſi, occupando,& inuadendo Rem publicam, dominantur. qui iuſte dominantur, iuſto titulo imperant: titulus vero, fundamentum eſt, cui, tamquam baſi. innititur iuriſdictio. Titulus,quo Summus Pontifex habet iuriſdictionem, eſt electio facta ab Illuſtriſſimis S.R.E. Cardinalibus. Titulus quo Imperator Imperium habet, eſt electio,& confirmatio: eſt etiam ſucceſſio hereditaria, vel Emphytheuſis, vel donatio. Ijs medijs a Deo prouenit omnis poteſtas:& iuſte dicuntur dominari Princeps, ſi titulũ reſpicamus,illumq. comparemus cum dominio. Iniuſte dominatur, qui Rempublicam inuadendo, ceteris imperat,& intruſus eſt. Iniuſte dominari dicitur ille Princeps, qui in proprium bonũ vtitur poteſtate,legibuſq. Principatus neglectis, omnia ſuſdeque, fert licet iuſto titulo dominium habuerit. Cum dicimus, *iuſte dominantibus*, ſeiungimus hanc poteſtatem ab ea, quæ eſt tum in intruſo,tum ab ea, quæ reperitur in illo,qui iuſto titulo imperat, ſed abutitur poteſtate.

teſtate. Cum vero audimus a Deo poteſtatem hanc prouenire, ab illoq. eſſe, ſtatim intelligimus, illam differre ab ea, quam ſibi intruſus arrogauit. ita per particulã illam, *in commune bonum*, differt poteſtas Principis bene vtentis auctoritate, ab illa, quæ inexiſtit Principi abutenti ipſa. Vnum hic ſilentio præterire non debeo, ad finem Reipublicæ attinens, ſcilicet, finem illius duplicem eſſe, alterum proximum, alterum vltimum. primus eſt, vt homines generentur, alantur, incolumes ſeruentur ab inſidijs inimicorum, & inuaſionibus illorum, ab incurſibus ferarum, & ijs abundent, quibus egent pro hac mortali vita. alter vero poſtremus, qui in virtutis exercitatione eſt collocatus. munus Principis eſt, vt populus vnum, ac alterum finem adipiſcatur. Reges forte ob primum finem appellati ſunt Paſtores. Homerus, antiquiſſimus poeta, nomine Paſtoris Agamemnonem nuncupauit. quod etiam ab Ariſtotele
8.c.10. ſcriptum legimus in libris de moribus. Paſtores ſunt dicti, quoniam ad inſtar paſtorum cuſtodiunt populum, atque inuigilant, ne quid illi moleſtum eueniat. gregem regunt paſtores, principes populos: illi ſaluti ouium nauant operam, hi populi bono, & honeſto conſulere ſatagunt. bonum autem eſt multiplex, honeſtum, vtile, iucundum, publicum, priuatum, animi bona, corporis, naturæ humana bona, ac diuinum. Sic ſolet diuidi Bonum. hæc bona ſunt finis populorum. finis habet rationem boni, & optimi: in illo actio, & operatio perficitur. Iam vero, cum bonum diximus eſſe finem populi, illud debemus intelligere, quod moribus poteſt acquiri, non autem bonum ſpirituale. Princeps namque auctoritate ſua eo vſque non poteſt peruenire. bona ſpiritualia ad aliam attinent iuriſdictionẽ, vt infra oſtendetur. His vna & altera definitio poteſt eſſe manifeſta. Quod ſi quis ex ijs duabus vnam voluerit integram efficere definitionem, ſic Ius Principatus poterit definire: *Ius Principatus eſt poteſtas data a Deo Principi in populos, iuſte imperanti, in bonum ſubditorum, cum legibus, prodeuntibus a diuina & naturali, ad moderandas Principis, vt Princeps eſt, actiones.* Ceterum, quoniam non ſat eſt ad exactam cognitionem Iuris principatus, id, quod hactenus diximus, partes definitionis ſunt diligenter examinandæ.

Partium

Partium Conſideratio. Poteſtas in partes. contra Bodinum.
Caput V.

QVemadmodum facies, lineamentis,& coloribus adũbratæ, vix hominem præſeferunt, cuius ſunt imagines; at, vbi coloribus, & vmbris fuerint abſolutæ, ad viuum, cuius ſunt imagines, exprimunt; ita ſane definitiones, licet rem definitam nobis ſatis faciant conſpicuam, attamen, vbi exactius partes illius examinantur, vel reſolutione,methodo celebratiſſima, atque vtiliſſima declarantur, res definitæ perfectius a nobis cognoſcuntur. Galenus iccirco reſolutionem partium commendauit, & artem medendi hac via diſcipulos illius inſtruxit. Ariſtoteles, in libris de demonſtratione, hanc eandem methodum ſecutus quid ſit Demonſtratio, legentibus patefacit. Hanc aliquo modo ſequemur nos. Et primo incipiemus a poteſtate, quæ fuit prima vltimo loco traditæ definitionis. Poteſtas, quæ in Principibus reperitur, a nonnullis, qui nouiſſime diebus iſtis ſcripſerunt de Republica, & de Regno, inter quos Ioannem Bodinum recenſeamus velim, diuiditur in Poteſtatem dependentem, & independentem. Roget aliquis, quænam ſit dependens poteſtas, quæue independens. Reſpondent, independentem eſſe illam, quæ nullam aliam habet ſuperiorem, niſi Diuinam legẽ, & Naturæ: qua ratione Imperatores, Reges, & Duces ſunt independentes. E contra, dependens illa erit, quæ ſuperiorem habet, vnde deriuat, vel alio modo ei ſubijcitur. Diuiſionem hanc vt numquam contempſi, ita declarationem membrorum eius minime ſum amplexus, quod ſcilicet Principes, Duces, & Reges nullam habeant ſuperiorem poteſtatem, niſi Diuinam legem, ac Naturalem. Hoc namque conceſſo, ſtatim in mundo monſtrum oriri video; nimirum, dari multitudinem imperantium independentium, nullo conceſſo primo, ad quem ceteri referantur. Hæc res fuſius ſuo loco tractabitur, & firmis, ni fallor, ac inconcuſſis rationibus roborabitur. Dicam in præſentiarum illud dumtaxat, Principatuum malam eſſe multitudinem, ideo dari vnum primum ad quem ceteri habent relationem, vt concluſit Ariſtoteles, Homerum Poetam ſecutus. Quærit Ariſtoteles in calce librorum, quos Diuinos paſſim appellant Peripatetici, an ſit bonum Vniuerſi, & , ſi ſit, an a rebus ſeiunctum, an vero in rebus ipſis exiſtat. Quæſtionibus excitatis reſpondens, *12. Met. text. ult.*

dens,

dens, ait, vno & altero modo bonum Vniuerſi reperiri, in rebus ſcilicet exiſtens, & a rebus ſeparatum. Eſt ordo in prima mente, ab omni corporis, ac materiei concretione ſeparata, qui ordo eſt cauſſa ordinis in rebus exiſtentis. at, vbi eſt ordo, ibi vnum prius, aliud poſterius, vnumq. primum, cui cetera omnia attribuuntur. quare, ſi bonum eſt vniuerſi, quod neceſſario, ſiue velimus, ſiue nolimus, debemus confiteri, concludemus, cum Ariſtotele, immo Natura duce, in Principatibus ordinem reperiri, ibiq. vnum eſſe primum, ad quem ceteri referantur. Et confirmatur ijs, quæ ex
34.q.1. Sancto Patre Aug. referuntur, c. eſt ordo. Naturalis eſt hominibus ordo, addamuſq. rebus omnibus. dum mundus ille durabit, homines præerunt hominibus. Dæmones dæmonibus, Angeli angelis præſunt. Cum autem Deus erit omnia in omnibus, ceſſabit omnis prælatio, at permanebit ordo. *In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Cælorum motus, terminum, finemq. attinget, errantia ſidera a proprio deſiſtent curſu, at ordo perdurabit, nec ſuas amittet vires. Confirma ijs, quæ habet Diuus Paulus loco ſuperius adducto. Inquit Apoſtolus, *Quæ ſunt a Deo, ordinata ſunt, omnis poteſtas a Deo eſt.* ſi omnia, quæ ſunt a Deo, ordinata ſunt, & omnis poteſtas a Deo eſt, igitur in poteſtatibus erit ordo, in ordine autem neceſſario vnum primum eſt adinuenire, igitur non erunt plures poteſtates independentes, ſiquidem ordo conſiſtit in graduum diſtinctione, in illoq. neceſſe eſt ad vnum primum deuenire. Quod ſi plures ſint Principatus omnino independentes, aufertur ordo: quo ablato, omnia in conſpecta, neglecta, perturbataq. iacent. aufertur Vniuerſi bonum, cunctaque, vt ſummatim dixerim, ruunt miſerrime. Ordo requirit, vt minores obediant maioribus, illis ſubijciantur, & ſubiaceant. at, his ablatis, nulla ſubſiſtit vniuer-
diſt.89. ſitas, vt c. ad hoc, aperte docemur. Cum itaque, quæcumque ſunt a Deo, ordinem habeant, qui ordo in graduum diſtinctione conſiſtit, & infima per media ad ſuprema reducantur, vt ait Beatus Dionyſius martyr lege diuinitatis, hæc pluralitas non erit admittenda. His laconiſmo inſeruientes, ſum contentus. Pluribus infra rationibus, & haud negligenter, concluſio eſt demonſtranda.

Poteſtatis diuiſio, noua. Caput VI.

ALij, mitius materiam hanc tractantes, ac longe ſapientius veritatem inquirentes, vnam aiunt eſſe primam rerum ſpiritualium poteſtatem, alteram vero temporalium. illam in ſummo Pontifice reperiri, cui Regni Cælorum claues tradidit Dominus, hanc vero in Imperatore, qui in rebus temporalibus ceteris ſupereminet. has eſſe primas poteſtates imperandi, ad quas omnes aliæ rediguntur. Primus omnium, qui hanc inuexit doctrinam (vt lectione conſequi potui, fuit Hugo, qui in Decret. c. cum ad verum, inquit, Cæſaream dignitatem, gladijq. poteſtatem non accepiſſe Imperatorem ab Apoſtolis, ſed a Principibus, & a populi electione. Ijs addens, vt propriam confirmet opinionem, Imperatorem priorem eſſe tempore Summo Pontifice. Cum vero Imperator Summum Pontificem ante ceſſerit, nō eſt dicendum, quod ab illo acceperit poteſtatem. Ad hæc, dignitates ſunt inter ſe diuerſæ, igitur in vno eſſe non poſſunt. In ſummo Pontifice eſt apex dignitatis ſpiritualis, in illo igitur non erit culmen dignitatis temporalis. His concludit, Summum Pontificem eſſe maiorem Imperatore, ſi res ſpirituales attendamus. e regione, Imperatorem maiorem eſſe Pontifice, ſi temporalem aſpiciamus auctoritatem. Confirmant hoc ijs, quæ leguntur diſtinc. nonageſima ſexta, vbi de donatione agitur, a Conſtantino Imperatore facta Eccleſiæ. Doctrinam hanc amplexi ſunt Nicolaus Sanderus, Dominicus Sotus venerabilis pater, Reuerendiſſimus Ambroſius Catharinus Senenſis, ac nouiſſime celeberrimus quidam Theologus, vir magnæ doctrinæ, ac ſummi ingenij. Res hæc magni eſt ponderis, iccirco non eſt oſcitanter inſpicienda, ſed tractanda, ſi non ea, quæ ad tanti negotij attinet maieſtatem, cura, ac doctrina, ea ſaltem, quā vires ingenij mei (quas perexiguas ſēper intellexi) ſuppeditare poſſunt, ſolertia, ac diligentia. Sigillatim horum adducam doctorum opinionem, nimirum Catharini, Soti, & poſtremi, quem memorauimus: ſiquidem, quæ in Sanderi ſcriptis leguntur, hæc eadem apud hoſce vnuſquiſque legere poteſt. Poſtremi doctoris citati ſententiam ſilentio omitterem: at, quoniam nonnulla adiecit, & ordine rem hanc digeſſit, ne propria illum videar defraudare laude, lubenter adducam eius ſententiam. Horū itaq. doctorum rationes afferā, quibus arbitrati ſunt, propriā opinionē lectoribus facillime perſuaderi

Diſt. 69.

Cap. Conſtantinus.

perſuaderi poſſe. proxime, meum erit, ſolidis rationibus oſtendere, aduenam, ac peregrinam eſſe in ſcholis veritatis hanc opinionem, non autem domeſticam. nouiſſime, caligine depulſa, & veritate cognita, occurram rationibus oppoſitis, vt omnis ſcrupulus euellatur e mentibus legentium. Rem aggredior in nomine Domini, ab Ambroſio Catharino, doctiſſimo Theologo, ordiens.

Catharini ſententia, et rationes.
Caput VII.

PErilluſtris, & Reuerendiſſimus Ambroſius Catharinus Politus, Senenſis, Epiſcopus Minorienſis, argumentum illud amplexus, illud mordicus defendere ſtuduit, & ea, qua ſolet, loquendi libertate, contrarium ſentientes increpat, & ignorantiæ, ac inſcitiæ reprehendit. Vult Catharinus, in Chriſto nullam fuiſſe temporalis Regni poteſtatem Regiam, Chriſtiq. Vicarium orbis terrarum non eſſe dominum temporalem, immo dominium huiuſmodi ad res ſpectans temporales aliunde habere, quam a SALVATORE. Verba il-
Cap. 13. liushæc ſunt in commentario epiſtolæ Diui Pauli ad Romanos, vbi concluſit, & recte, Iuriſdictionem temporalem altari ſeruientibus poſſe conuenire. *Non deſunt tamen plerique, quibus non ſufficit, quod ſatis eſt, ne dicam nimium. Sunt enim, qui, ut dixi, magno in Eccleſiam odio, uel Pontificum moribus irritati, hunc gladium omnino negant, & auferunt ab Eccleſiaſticis. & ſunt contra, qui, ſiue id per adulationem faciant, ſiue per nimiam ſimplicitatem, aiunt, ad Summum Pontificem de iure pertinere omnem totius orbis terræ dominationem, etiam temporalem. cum ſit ſummus Chriſti in terris Vicarius. Domini autem eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & qui habitant in eo. Addunt, Chriſtum dixiſſe, Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo. Verum ridicula hæc profecto: quæ neque ipſimet Pontifices auderent aſſerere.* Deinde, nonnullis rationibus interpoſitis, quas iam iã adducemus, ait: *Nec propterea negatur, quin Summus Pontifex poſſit eſſe rerum temporalium dominus: ſed hoc aſſeritur, hoc illi dominium minime datum quaſi Pontifici, immediate a Chriſto, ſed illud habet, quaſi unus quilibet hominum, ad quem humano aliquo iure obueniat talis poteſtas, nec alio iure ipſe Pontifex prætendit. Nam, cum rogatur, quo iure poſſideat illam, & illam ciuitatem, aut prouinciam, oſtendit iura, ideſt titulos locorum legitimos, quæ poſſidet, quibus dominatur.* Hanc ſuam ſententiam rationibus confirmare ſatagit. Prima eſt hæc: Si Summus

mus Pontifex eſſet dominus totius orbis, nulli eſſent domini vere terrarum in temporalibus, ſed ſolus Pontifex eſſet dominus totius orbis, & ceteri (etiam quo ad temporalia) ſub illo: at, hoc ſi admittatur, nullum certe locum habebit illud Ioannis, *Regnum meum non eſt de hoc mundo. filius hominis non habet, vbi reclinet caput ſuum.* Quod ſi Regnum iſtud ad illum attinebat, vt homo erat, cur fugit, ne Regem illum conſtituerent? &, cur vni de duobus fratribus litigantibus, petenti, vt iuberet fratri, ſecum vellet diuidere hereditatem reſpondit: *Homo, quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem inter uos?* Locus certe iſte videtur cogere, vt fateamur, non fuiſſe illi datam rerum humanarum, & ſæcularium quæſtionum iudiciariam cognitionem, & iuriſdictionem. Quod autem Summus Pontifex ſit Vicarius Chriſti, nihil habet momenti, vt credamus, illi fuiſſe datam ad regendum omnia regna mundi in temporalibus poteſtatem: immo, ſi rem diligentius meditabimur, contrarium aſſeremus. Chriſtus ſiquidem abiecit regna, atque, vt homo erat in mundo, non habuit. Poſt reſurrectionem, dixit, datam ſibi fuiſſe omnem poteſtatem: at, dum in hoc mundo vixit, ſubiectus fuit omnibus poteſtatibus. Sui ergo illius regni Vicarium reliquit Papam, quod ſibi a patre datum fuit, cum in terris nobiſcum ageret, nempe regnum ſpirituale ſuper oues, quæ illum ſequerentur, atque illi ſemetipſas propria voluntate ſubijcerent. cuius regni finis eſt vita æterna. ſi enim abſolute eſſet Chriſti Vicarius, ſecundum omnem poteſtatem, quam Chriſtus habet, haberet etiam poteſtatem ſuper angelos, & beatos in Cælo. quod eſt ridiculum. Concludit tandem, Vicariatum hunc in ouium paſtura conſiſtere, Summiq. Pontificis iuriſdictionem in ouibus eſſe, quæ baptiſmatis lauacro ſe illi ſubdidere. De ijs autem, quæ foris ſunt, non eſſe illius, iudicare, vt prima Cor. dixit Apoſtolus, ſed Domini. Idq. perpetui vſus ratio ſatis probat. numquam enim Papa poſſedit obem terrarum. Hæc Reuerendiſſimus Catharinus loco adducto. A quo nec abfuit Sotus: cuius ſententiam nunc apponam.

Io. 18 Luc. 19.

ap. 5.

Dominici Soti opinio, & fundamenta.
Caput VIII.

Dominicus Sotus in Commentarijs, quos edidit in Euangelium Diui Matthæi, tum primo, tum vigeſimo, capite, de Regno Chriſti diſputans, & de illius Vicario, probare contendit, fuiſſe ſpirituale, non autem temporale. Quæ omnia ſummatim repetit de Iuſt. & Iure. Præfatur, quod Chriſtus, inquantum Deus, vtique Cælorum, 4. q. 4. ar. 1.

& orbis terræ dominus erat, temporalis,ſpiritualiſq. poteſtatis habens culmen; &, quemadmodum cuncta ex nihilo produxit, ita in idem omnia poſſe redigere. deinde ratione eius humanitatis, ait: *Secundum fidem Catholicam agnouimus, eundem, quatenus hominem, iure redemptionis vnicum fuiſſe Regem regni cælorum, quippe cui incumbebat, cuncta, quæ ad ſempiternam hereditatem attinent, diſpenſare: nempe, Eccleſiam fundare, Sacramenta inſtituere, magiſtratus Eccleſiaſticos creare, leges condere, ac demum omnes iudicare, & cuique pro meritis præmia æterna, ac ſupplicia decernere. ſubindeq. Reges vniuerſos, ut ſuis legibus parerent, cogere, eorumq. leges qua parte ſuis legibus aduerſarentur, abrogare, vniuerſaq. temporalia, quoties ad ſuum ſpiritualium finem opus eſſet, in ſuum uſum aſſumere. Ceterum, quantum ad ſæcularē poteſtatem, contrarium arbitrati ſumus: videlicet, quatenus hominem, non fuiſſe Regem, non quod non potuit, erat quippe Deus, ſed quia eum non decuit, neque ſubinde voluit.* Hæc Sotus. Probat autem concluſionem hanc varijs rationibus. quarum prima hæc eſt. Chriſtus venit in mundum, vt nos redimeret, & ſaluos faceret: igitur nullam aſſumpſit poteſtatem, niſi quæ illi erat neceſſaria ad hoc peragendum negotium, ad quod nullum adiumentum afferebant temporalia. hac de cauſſa illa contempſit, &, tamquam inutilia, habuit vilipendio. Verum dicet forte aliquis, ex Dauidis ſtirpe illum fuiſſe ortum. Reſpondet ipſe, Regnum illud hereditarium, quod Domino tribuitur, Dauidis proſapia deſcendenti, particulare erat in Tribu Iſraelis, illudq. in Ioachimo, filio Iechoniæ, vel in patruo illius Sedechia, finem habuiſſe; quemadmodum prædixerat Hieremias
Cap. 22. propheta. ab illo vſque ad Domini aduentum perduraſſe Regnum in Sacerdotibus, & in Machabeis: & hac ratione Iacob ſuum ſortitum fuiſſe finem, & plenitudinem. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt.* Præterea, hac poteſtate numquam eſt vſus Dominus, dum apud nos eſſet, ideo fruſtra tribuitur illi. ſpiritualis fuit ea poteſtas, quam habuit. In pſalmo ſic ſcriptum legimus: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſu-*
Iſai. 2. *per Syon montē ſanctum eius. prædicans præceptum eius.* id eſt, ſuper Eccleſiā, prædicando præceptū eius. Regnum ergo eius fuit ſpirituale, non autem temporale. nimirum, docere fidem, & prædicare. Hoc docuit ipſe, Pilato reſpondens, *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* illis verbis monens nos, Regnum illius perpetuo duraturum, vt Eſaias, Euangelicus Propheta, prædixerat. Erat nihilominus Rex Re-
Cap. 9. gum, & Dominus dominantiū, vt ait Ioannes: & quia ſcopus eius ſpiritualis fini temporalium regnorum præferendus, poterat ad hunc finē alijs vti. Ex his omnibus colligit, in Chriſto hoc Regnū non fuit temporale, igitur non reliquit illud ſuo Vicario, huic autem eam

com-

commiſit, quam habuit, poteſtatem: nimirum, quoties eſſet neceſſarium, ad illum finem cunctis Regibus imperaret, leges eorum corrigeret, vniuerſa denique temporalia vſurparet: inquit ille, ego vero, Sua faceret. Confirmat hoc, quoniam hæ duæ poteſtates ſunt valde inter ſe diuerſæ; vt vna ab altera non poſſit prouenire. Fines, ait, ſunt diuerſi vt legitur diſt. x. & diſt. xcvi. & c. ſolitæ, de maio. & obedi. vbi Summus Pontifex dicit, ſe eſſe Solem, & Imperatorem Lunam; Solem, qui præeſt diei rerum ſpiritualium; Lunam, quæ præeſt nocti rerum temporalium. His omnibus addidit, omnes poteſtates Principum eſſe a Deo: ſiquidem, licet a Republica fuerint Principes electi, nihilominus a Deo ſunt, quoniam Reſpublica hoc fecit diuinitus erudita: ideo Diuus Paulus poteſtates huiuſmodi a Deo eſſe dicebat, Romanis ſcribens. cuius doctrinam retro citauimus. Et ad Titum: *Admone illos, Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedientes.* Atqui non tantum Principum Chriſtianorum poteſtates, verum infidelium quoque ſunt a Deo, quoniam fides non deſtruit naturā, ſed perficit. & illis poteſtatibus poſſunt populos regere in his, quæ ſunt iuris naturalis. Sic Danielis teſtimonio certiores facti ſumus, a Deo Nabucdonoſorem imperio fuiſſe donatum. Et Dominus Saluator Pilato dixit, *Non haberes poteſtatem aduerſus me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Hinc fit, vt in exordio naſcentis Eccleſiæ, licet omnes Principes fere eſſent infideles, attamen Sanctus Petrus præceperit Chriſtianis, vt ſubiecti eſſent omni humanæ creaturæ, propter Dominum. Hæc Sotus locis citatis ſcripta reliquit. Quæ etiam apud Sanderum leguntur. Omnia tribus innituntur fundamentis. Primum eſt, in Summo Pontifice ideo non reperiri Regiam poteſtatem, quoniam, cum hæc non eſſet in Chriſto, nec ab eodem fuit relicta eius Vicario. Alterum eſt, quod ſunt duæ diuerſæ poteſtates, & fines illarū ſunt valde diuerſi. Poſtremū vero, Principū poteſtates, licet ſint a populis, nihilominus a Deo præcipue ortum habent. His conſpicuū fit Soti placitum, qui doctor cū Ambroſio Catharino conuenit. Mirū profecto, Catharinū cum Soto idē ſentire, cū ab illo diſtare in omnibus fere vnuſquiſq. norit, qui illorū ſcripta, & amariſſimas Apologias Soti perlegerit. materia tamē hæc fecit illos cōcordes. Vnus, & alter doctus; vnus, & alter Illuſtriſſimæ illius familiæ filius, attamen ſæpe, ac ſæpius vnus alteri obuius. Iam vero, quoniam vnanimes nunc illos reperimus, ſupereſt, vt dicamus, quod, pro veritate certando, vt in contrarias abierunt ſententias frequenter, ita nunc eodem conſilio conuenerunt. Vtriuſque, vt diximus opinionem vir doctiſſimus huius tempeſtatis amplexus, ordine cuncta digeſſit. cuius labores nunc ſunt aſpiciendi.

Ca. quoniā c. cum ad verum. cap. duo ſunt.

Rom. 13.
Tit. 3.

Cap. 2.

Recentioris

Recentioris Theologij grauiſsimi doctrina, & fundamenta.
Caput IX.

Vidam doctor, magnus plane vir, de bonis artibus benemeritus, Soti, Sanderi, Cathariniq. doctrinam ſecutus, illam hauſit toto pectore. quæ ab ijs fuerunt ſcriptis commendata, accipiens, illis nonnulla addendo vberiora, ditiora, firmioraque facere ſtuduit, ordine cuncta digerendo. Hominis namque ſcribentis eſt, aut certe, quæ a ceteris fuerunt conſcripta, accipiendo, meliora facere, aut noua proprio Marte inuenta oculis legentium inſpicienda præbere. Ordo eſt talis. Præaccepta diſtinctione, quod temporalis poteſtas poſſit in Summo Pontifice reperiri ſuprema, hoc erit aut directe, aut indirecte. at directe in illo nequit exiſtere, indirecte autem illi competit hæc ſuprema poteſtas rerum temporalium, atque ſupereminens: igitur hoc modo illi ineſſe dicendum erit. Hanc diſtinctionem inſuſurrauit Catharinus: & explicite illam ſcripſerunt Sãderus, & Sotus. mox ſigillatim materiam hanc ſecauit in capita: quorum vnum eſt, Papã vt Papã non eſſe dominũ totius orbis. alterum, alicuius prouinciæ, aut oppidi, nullam habere iuriſdictionem mere temporalem. Adhæc, totius orbis Chriſtiani indirecte eſſe dominum. poſtremum hoc caput conſulto intactum relinquerem, nullum enim mihi faceſſit negotium: attamen in diſputationem vocandum duxi, tum quia habet nonnulla, quæ eius opinioni fauere videntur, tum quia viderer laborem ſubterfugere.

Diſputationis pars prima.
Caput X.

Vod Chriſti Vicarius non ſit dominus in toto orbe, ſic demonſtraſſe exiſtimauit Theologus iſte doctiſſimus. Ioannis vltimo, committens oues Dominus Petro, illas dumtaxat eius curæ commendauit, quæ illius erant, nimirum quæ baptiſmatis charactere eſſent inſignitæ, & Chriſtianam profiterentur militiam. igitur ſummus Pontifex Chriſti Vicarius totius orbis non eſt dominus, multæ enim ſunt orbis partes, in quibus

Chriſtianæ non ſunt oues. Ad hæc, Papa nequit infideles iudicare atteſtante Paulo Apoſtolo ad Corinthios, illis verbis, *Quid ad me de ijs qui foris ſunt, iudicare?* Ergo illorum non eſt dominus. Præterea, infideles Principes ſunt veri Principes, & ſupremi ſuorum Regnorum quoniam dominium non fundatur in gratia, aut fide, ſed in libero arbitrio, & ratione; nec deſcendit ex iure diuino, ſed ex iure gentium, quia Deus approbat regna Gentilium in vtroque teſtamento. In Daniele legimus: *Tu es Rex Regum, & Deus Cæli dedit tibi Regnum, & Imperium, &c.* Apud Matthæum quoque: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Ait, Reddite, non Donate; ſed Reddite quæ illi iure debentur. Et Diuus Paulus ad Romanos: *Cui tributum, tributum; cui uectigal, uectigal.* Iubet quinetiã, propter conſcientiam Ethnicis obedire. at certe non teneremur Principibus obedire, qui nõ ſunt veri Principes. Dicent forte, Tenemur obedire, quia ſunt Vicarij Papæ. Verum hæc reſponſio nullius eſt roboris. Papa enim, ſi poſſet, nollet tales Vicarios, &, ſi poſſet, daret illa Regna Principibus Chriſtianis, igitur nõ ſunt eius Vicarij. Nouiſſime, ridiculum eſt, aſſerere, a Deo Papæ datum fuiſſe in omnia Regna totius mundi, facultatem vero numquam ei fuiſſe conceſſam taliũ Regnorum. Quod ſi quis dixerit, Papam eſſe Monarcham Spiritualem in toto orbe terrarum, nihilominus principatum huiuſmodi nũquam potuit exercere vbique locorum orbis. Reſpondet, Papam dici Monarcham ſpiritualem in toto orbe, non quidem, quod omnibus præſit hominibus, qui ſunt in omnibus orbis partibus, ſed quod præſit omnibus Chriſtianis in toto orbe diffuſis. Et rurſum, ex hypotheſi vera eſt elocutio: Si totus mundus fidem ſuſciperet, plane toti mundo ſpirituali Summus Pontifex præeſſet. Verum nec adhuc deeſt inſtantia. Alexander huius nominis Sextus orbem nuperrime inuentum Regibus Hiſpaniæ, & Luſitaniæ diuiſit. Reſpondet ille, non eo conſilio a Summo Pontifice diuiſum fuiſſe Regnum Regibus illis, vt proficiſcerentur ad debellandos infideles, illorumq. Regna occupanda, ſed dumtaxat, vt eo adducerent fidei Chriſtianæ præcones, ac tuerentur, atque protegerẽt tum eoſdem Theologos, tum ſuſcipientes Dei verbum, ad propagandam fidem Chriſtianam concionibus ſacris, & laboribus eorundem Theologorum, vtque auferrentur bella Chriſtianorum Principum, qui in regionibus illis negotia erant habituri. Hæc quo ad primum quæſtionis membrum.

1. cap. 5.
Cap. 2.
22. Cap.
13. Cap.

Summum

Articulus II.
Summum Pontificem non eſſe dominum totius orbis Chriſtiani.
Caput XI.

IAm vero, quod non tantum Chriſti Vicarius non ſit dominus orbis terrarum in rebus temporalibus, verum in ijs partibus, quarum Chriſtiani ſunt incolæ, ijs,quę ſequuntur rationibus nititur demonſtrare.Si Papa (ita orditur ille)eſſet dominus totius Chriſtiani orbis de iure diuino,vt aſſerunt, qui oppoſitam tenent ſententiā, id ſane deberet conſtare aut ſcripturis, aut Apoſtolorum traditione. A ſcripturis nihil aliud habemus, niſi, datas fuiſſe Pontifici claues regni Cælorum,clauium autem rerum terrenarum nulla fit mētio. Traditionem vero Apoſtolorum aduerſarij nullam proferunt. Inſuper, Chriſtus non abſtulit regna ijs, quorum erant. Chriſtus enim, quæ bene ſe habebant, non venit demoliri, ac deſtruere, ſed perficere. ergo, quando Rex fit Chriſtianus, quod obtinebat iure terrenum regnum, non amittit, ſed nouum acquirit ius ad regnum æternum, alioqui Chriſti beneficium obeſſet Regibus, & gratia deſtrueret naturam. Et confirmatur Sedulij carmine, quod publice canitur a tota Eccleſia:

Hoſtis Herodes impie,
Chriſtum uenire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui Regna dat cæleſtia.

Præterea, ſi Papa eſt dominus totius orbis Chriſtiani ſupremus, ſinguli Epiſcopi ſunt Principes temporales in oppidis ipſorum Epiſcopatui ſubiectis: ſiquidem id, quod eſt Papa in Eccleſia vniuerſali, eſt quilibet Epiſcopus in particulari. Verum, Epiſcopos eſſe dominos vrbium, quarum ſunt Epiſcopi nec aduerſarij admittunt, nec veritas concedit: eſt enim aperte falſum: igitur non eſt dominus totius orbis Chriſtiani.Confirmat hoc auctoritate Sancti Ambroſii, *In orat. de Trad. Eccl.* dicentis: *Si tributum petit Imperator, non negatur. agri Eccleſiæ ſoluunt tributum.* Et Athanaſius,ſcribens ad agentes ſolitariam vitam: *Hoſius Epiſcopus ait imperatori. Tibi Deus imperium, nobis autem, quæ ſunt Eccleſiæ, Chriſtus commiſit.* Nouiſſime adducit teſtimonia plurimo-

Plurimorum Pontificum. primum eſt Leonis in epiſtola ad Martianum Imperatorem, vbi loci Summus Pontifex fatetur, a Deo fuiſſe electum Martianum Imperatorem, ad Imperiumq. vocatum. Et alibi aſſerit, auctoritatem imperij Martiani a Deo eſſe. Et ſimilia habet in omnibus fere epiſtolis, ad Theodoſium, Martianum, & Leonem, ſibi inuicem ſuccedentes Imperatores. Gelaſius, ſcribens Anaſtaſio, quæ verba referuntur in Dec. ait: Duo ſunt, Imperator Auguſte, quibus principaliter mundus iſte regitur, auctoritas Sacra Pontificum, & Regalis poteſtas. & c. Vbi animaduerſione dignum eſt, Gelaſium non loqui ſolum de executione, ſed de ipſa poteſtate, & auctoritate: ne dicant aduerſarij, vt ſolent, Papam quidem habere vtramque poteſtatem, at executionem alijs demandare. Gregorius, Mauritio ſcribens, inquit: *Poteſtâs ſuper omnes homines, dominorum meorum pietate, cælitus data eſt.* Et Nicolaus: *Nolite præiudicium Dei Eccleſiæ irrogare: illa quippe nullum imperio veſtro præiudicium infert*: Et infra: *Idem mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, ſic actibus proprijs, & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis utriuſque diſcreuit, ut & Chriſtiani Imperatores pro æterna uita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus vterentur.* Hic etiam Pontifex non de ſola executione, ſed de poteſtate, & dignitate loquitur. quinimmo, ſi de ſola executione verba faceret, id etiam ſufficeret. etenim, quidquid habent Imperatores, Nicolaus a Chriſto eos id habere affirmat. Præter hæc, petit doctiſſimus vir iſte: Vel poteſt Summus Pontifex auferre a Regibus, & Imperatoribus hanc executionem, tamquam ipſe Summus Rex, & Imperator, aut non poteſt. Si poteſt, igitur eſt maior Chriſto: ſi autem nequit, igitur non habet vere poteſtatem Regiam. Inſuper, Alexander Tertius, rogatus, an appellatio a Iudice ſæculari ad Papam teneat, reſpondet: *Tenet quidem, in ijs, quæ ſunt noſtræ temporalis iuriſdictionis ſubiecti, in alijs uero, ſecundum iuris rigorem, credimus non tenere.* Quinetiam Can. Cauſſam 2. ait ſummus Pontifex, *Nos, attendentes quod ad Regem pertinet, non ad Pontificem, de talibus poſſeſsionibus iudicare, & c.* Innocentius tertius ſcripſit & ipſe: *Ad firmamentum cæli, hoc eſt vniuerſalis Eccleſiæ, fecit Deus duo luminaria, ideſt duas inſtituit dignitates, quæ ſunt Pontificalis auctoritas, & Regalis poteſtas. ſed illa, quæ præeſt diebus, ideſt ſpiritualibus, maior eſt; quæ uero carnalibus, minor. Vt, quanta eſt inter Solem & Lunam, tanta inter Reges, & Pontifices differentia cognoſcatur.* Quo in loco animaduertit, quemadmodum non eſt idem ſidus Sol, & Luna, & ſicut Sol non inſtituit Lunã, ſed Deus ita quoque idem non eſſe Pontificatum, & Imperium, nec vnum ab alio abſo-

Diſt. 96. c. duo ſunt.

Lib. 2. ep. 61.

Nicol. ad Michael.

Cap. ſi duobus, §. denique, ex. de Appell.

Ex. qui ſi. ſint leg.

Cap. ſolitæ ex. de maio. & ob.

Ex. qui fi. ſint legi. lute pendere.Poſtremo c. per venerabilem legimus,Pontificem ſolum in patrimonio Eccleſiæ plenam habere poteſtatem in temporalibus, in alijs vero regionibus non item. Addendo, *Cum Rex in temporali bus ſuperiorem minime recognoſcat ſine iuris alterius læſione ſe iuriſdictioni noſtræ ſubijcere potuit, in quo videretur aliquibus per ſe ipſum (non tamquam pater cum filijs, ſed tamquam Princeps cum ſubditis) potuit diſpenſare. Tu autem, noſcens alijs ſubiacere, vnde ſine ipſorum forſan iniuria niſi præſtarent nobis aſſenſum in hoc ſubdere te non poſſis*. His arbitratur doctor iſte cumulate probari, Summum Pontificem, Chriſti Vicarium, Orbis Chriſtiani dominium non habere.

Quæſtionis propoſitæ tertij capitis expoſitio. Caput XII.

AT qui, vt totius orbis Chriſtiani Summum Pontificem dominium ait non habere, ita, prope magis accedens ad negotium, negat omnino, in Chriſti Vicario eſſe rerum, vt dicunt, temporalium iuriſdictionem directe. Quam ſententiam & ipſam quoque proprijs nititur fulcire rationibus. quarum prima hæc eſt. Chriſtus, vt homo, dum in terris vixit, non accepit, nec voluit vllum temporale dominium. Summus Pontifex, Chriſti Vicarius, nobis Chriſtum repræſentat, qualis erat, dum hic inter nos viueret: igitur Summus Pontifex atque adeo vt ſummus Pontifex, nullum habet temporale dominium. Vtraque propoſitio huius rationis probanda eſt, ac explicanda. & primo loco ea, quæ prima in ordine fuit adducta. Id vero vt efficiat, ſupponit, Chriſtum fuiſſe quidem ſemper vt Dei filium, regem, & dominum omnium terrarum, eo modo, quo eſt eius pater; verum, regnum huiuſmodi eſſe æternum, atque diuinum, nec tollere dominia hominum, nec poſſe Pontifici conuenire. Præterea, Chriſtum fuiſſe, vt hominem, Regem omnium hominum ſpiritualem, & habuiſſe poteſtatem ampliſſimam ſpiritualem in omnes, tam fideles, quam infideles, in ordine ad ſalutem æternam, ita, vt ad fidem, Sacramentaq. ſuſcipienda poſſet eos aſtringere. Futurum erat poſt iudicij diem, hoc Spirituale Chriſti Regnum ſenſibile, atque conſpicuum, atque huius Regni gloriam hoc modo inchoatam eſſe in ipſo capite Chriſto, cum a mortuis ſurrexit. Verum neque huiuſmodi regnum

gnum eſſe temporale, vt noſtrorum Regum, neque Pontifici poſſe communicari, cum ſupponat corporum reſurrectionem. Hæc autem omnia vti firma, & conſtantia eſſe aſſeuerat, ita non negat, quod potuiſſet Regiam accipere auctoritatem, ſi ei placuiſſet, ac cognouiſſet id ei expedire. quapropter nec accepiſſe, neque etiam habuiſſe regnum, non tantum executionem dominij, & Regni temporalis. Hoc autem ita probatur. Si auctoritatem hanc, & poteſtatem Regiam habuit, aut certe illam habuit, vel hereditaria ſucceſſione, vel electione, vel iure belli, vel dono ſpeciali: verum nec ſucceſſione hereditaria, nec electione, nec iure belli, nec ſpeciali dono: igitur nullo modo eam habuit. Probatur maior, ſigillatim vnamquamque partem accipiendo. Non quidem hereditaria ſucceſſione, quoniam, etſi ex familia Regia eſt ortus, & atauis editus Regibus, attamen non conſtat, an ipſe eſſet magis proximus Dauid, quam alij multi, qui eiuſdem erant familiæ, ideoq. tunc regnum ablatum erat a familia Dauid, idq. Deo volente, qui etiam prædixerat, ex Iechoniæ familia, vnde Chriſtus deſcendit, nullum futurum Regem temporalem, eo modo, quo fuerat Dauid, *Hier 22* & alij eius ſucceſſores. Hierem. *Hæc dicit Dominus. ſcribe virum iſtum ſterilem, uirum, qui in diebus ſuis non proſperabitur. nec enim erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iuda*. Ex hoc autem natum eſſe Saluatorem, Euangeliſta Matthæus ſcribit. Quod etiam titulo electionis regnum non *Cap.* habuerit, inde fit manifeſtum, quia adoleſcenti illi, roganti Do- *Luc. 12.* minum IESVM, vt iudicium proferret in cauſſa, quam cum fratre habebat, ita reſpondit: *O homo, quis me iudicem conſtituit, aut diuiſorem inter uos?* hoc eſt, neque Imperator, neque Reſpublica me conſtituit iudicem. Inſuper, cum nouit, vt raperent eum, Re- *Ioan. 6.* gemque conſtituerent, aufugit, & receſſit in partem aliam. Neque iure belli, cum numquam bella commiſerit. Neque dono ſpeciali, quoniam, vt Diuus Auguſtinus, & Theophylactus aiunt, cum vellet Pilatum a ſuſpicione liberare, dixit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*. Confirmat hæc, quoniam nec vtilis, nec neceſſaria erat illi talis auctoritas, ſed potius ſuperuacanea, cum finis eius eſſet redemptio humani generis, huius autem gratia ſpiritualis dumtaxat poteſtas ei erat opus. hac enim poterat etiam de rebus omnibus temporalibus diſponere, vti exiſtimaſſet humanæ redemptioni expedire. his addendo temporalia non eſſe æterna, ſed ortui, ac interitui obnoxia, at Chriſti regnum eſt æternum, atteſtante Dauide illis verbis: *Ego conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper* *Pſal. 2.* *Syon, montem ſanctum eius*. Dixit, *Conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper*

Syon: addendo, *Prædicans præceptum eius*. Docet illis verbis, qualenam regnum eius extiterit. Et apud Danielem: *In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur*. His finem imponens, inquit: Si Chriſtus fuit Rex humano more, Regnum finem habuit, quando Dominus, ſidera ſcandens, ad Patrem omnipotentem aſcendit. Secunda aſſiumptio item probatur. Eam ſummus Pontifex habet auctoritatem quam habuit Chriſtus homo paſſibilis.

Nouiſsima particula exponitur. Caput XIII.

Quarta tandem ſequitur particula, ſcilicet, Chriſti Vicarium habere poteſtatem temporalium bonorum indirecte. ille etenim, licet, vt Pontifex, nullam habeat mere temporalem poteſtatem, habet tamen in ordine ad bonum ſpirituale, ſummam de rebus temporalibus omnium Chriſtianorum diſponendi poteſtatem. Hoc nonnulli explicant exemplo artium quarundam cum vna illarum ad finem alterius ordinatur. Gratia exempli frenifactiua, & equeſtris. vna harum alteri ſubordinatur, quoniam finis vnius, ad finem alterius natura propria refertur. Damnat doctiſſimus iſte Theologus huiuſmodi ſimilitudinem: ſiquidem in ijs artibus vna alteri ita ſubordinata eſt, vt, vna ablata, ſuperiore nimirum, auferatur & inferior. Verum non ſic ſe habent poteſtates iſtæ: quoniam politica ſine Eccleſiaſtica poteſt conſiſtere. quod in infidelibus videmus manifeſte. Quare, hac relicta, & abiecta ſimilitudine, aliam accipit, quæ fuit Gregorij Nazianzeni. Similitudo hæc eſt. Vti ſe habet in homine ſpiritus, & caro, ita in Eccleſia illæ duæ poteſtates ſe habent. Caro, & Spiritus ſunt duæ res, quæ ab inuicem ſunt ſeparabiles, &, licet ſint ſimul iunctæ, nihilominus ab inuicem poſſunt ſeparari. habet caro ſenſum, & appetitum, quibus reſpondent res, actus & obiecta proportionata. quorum omnium finis immediatus eſt ſanitas, corporiſq. bona conſtitutio. Habet ſpiritus intellectum, & voluntatem, actus, atque obiecta propria, ac pro fine animæ ſanitatem ac perfectionem. Caro inuenitur ſine ſpiritu, vt in brutis. E regione ſpiritus ſine carne, vt in Angelis. His fit cōſpicuum, nullum iſtorum eſſe præciſe ob alterius gratiam. Inuenitur etiam

In or. ad Po tim. per. & imp. ira.

caro

caro adiuncta ſpiritui in homine, vbi, quoniam vnam conſtituunt perſonam, neceſſario habent ſubordinationem. Caro ſubeſt, ſpiritus præeſt. &, licet ſpiritus non ſe miſceat actionibus carnis, verum permittit, vt omnes ſuas exerceat actiones, vt in bruti exercet: attamen, quando hæ officiunt fini eiuſdemmet ſpiritus, tunc ſpiritus carni imperat, eamq. caſtigat, atque, ſi opus eſt, ieiunia indicit, aliaſue imponit afflictiones, etiam aliquo detrimento corporis, & exanimatione. linguam cogit, ne loquatur; oculos, ne videant, & c. Pari ratione, ſi ad finem ſpiritus obtinendum neceſſaria ſit aliqua carnis operatio, vt ipſa etiam mors, ſpiritus imperare poteſt carni, vt ſe, ac ſua exponat, quemadmodum in martyribus eſt videre. Nec ſecus quidem politica poteſtas ſuos habet principes, leges, iudicia, & c. Ita quoque Eccleſiaſtica ſuos Epiſcopos, Canones, & iudicia. Illa habet pro fine temporalem pacem, iſta ſalutem æternam. inueniuntur quandoque ſeparatæ, vt olim Apoſtolorum tempore. quandoque coniunctæ, vti nunc. quando ſimul ſunt iunctæ, vnum efficiunt corpus, ideo debent eſſe connexæ, & inferior ſuperiori ſubiecta, atque ſubordinata. Spiritualis itaque temporalibus non miſcet ſe negotijs, verum ſinit omnia procedere ſicut anteaquam coniunctæ eſſent, dummodo non obſint fini ſpirituali, aut non ſint neceſſaria ad illum conſequendum. Si autem tale quid accidat, ſpiritualis poteſtas poteſt, & debet coercere temporalem omni ratione, ac via, quæ ad id videbitur eſſe neceſſaria. Comparat demum poteſtatem Summi Pontificis cum Principibus ſæcularibus, illorumq. legibus, & foro: & inquit, quod, ſi cum perſonis Principum ſæcularium comparetur Summus Pontifex, non poteſt vt Papa ordinarie temporales Principes deponere etiam iuſta de cauſſa, eo modo, quo deponit Epiſcopos, ideſt tamquam ordinarius iudex. poteſt tamen mutare Regna, & vni auferre, alteriq. conferre, tamquam Princeps ſpiritualis, ſi id ſit neceſſarium ad animarum ſalutem. Quod vero attinet ad leges, inquit, Papam vt Papam non poſſe ordinarie condere legem ciuilem, vel confirmare, vel Principum leges abrogare, quia ipſe non eſt Princeps Eccleſiæ politicus; tamen poteſt omnia illa facere, ſi aliqua lex ciuilis ſit neceſſaria ad ſalutem animarum, & Reges nolint eam condere: & contra, aliam abrogare, ſi ſaluti animarum fuerit noxia, & abolere eam nolint Reges. De iudicijs etiam idem ſentit, dicens, Papam vt Papam ordinarie non poſſe de rebus temporalibus proferre iudicium. recte ideo Diuus Bernardus ad Eugenium de conſideratione dicebat: *Habent hæc in-* *Lib. pri.*

feriora

feriora iudices ſuos Reges, & principes terræ. quid fines alienos inuaditis? quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis: Item *In criminibus, non in poſſeſsionibus, poteſtas ueſtra.* Poſtremo: probat ciuilem poteſtatem ſubiectam eſſe ſpirituali ratione finis, ea ratione, quoniam temporalia ſubiacent ſpiritualibus, vnumq. corpus ſumus, & iccirco vna ſubordinatur in aliam. Hæc excultiſſimus vir iſte Theologus.

LIBER TERTIVS.

Propria affertur ſententia. Quædam præmittuntur diſputationis gratia.

Caput I.

HACTENVS in aliorum referendis ſententijs horas attriui. Nunc propoſitum argumentum expoſtulat, vt propriam tandem ſententiam exponã. Credidi ego ſemper, veram eſſe Diui Thomæ ſententiã, quã legi apud eum ſecundo Sententiarum in calce illius Cõmẽtarij, vbi habet hæc verba: *Niſi forte poteſtati temporali etiam ſpiritualis coniungatur, ſicut in Papa, qui vtriuſque poteſtatis apicem tenet, ſcilicet ſpiritualis, & ſæcularis. hoc illo diſponente, qui eſt Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Quam ſententiam habet in libello de regimine principum paſſim, & tertia parte Summæ: vt proprio loco fiet conſpicuum. In Summo Pontifice eſt vtrauis poteſtas, ſeu iuriſdictio, ſpiritualis, atque temporalis; & , vti omnium eſt eminentiſſimus in poteſtate ſpirituali, ita etiam in temporali, adeo, vt liceat de Chriſti Vicario illud ſimilitudine quadam aſſerere, quod Plato in Timæo dixit de Deo, quærens in Timæo, quidnam eſſet Deus, reſpondit, *non eſt homo, non cælum, non bonum, ſed quid præſtantius.*

ſtantius. Roget quis, an Summus Pontifex ſit Dux, Rex, Imperator, an ve Princeps, caute reſpondebit, ſi negando aſſeret, eſſe quid præſtantius, quid ue eminentius. Iam vero, cum ſit omnium eminentiſſimus, Chriſtiq. Vicarius, particulari, & vniuerſali iuſtitiæ conſulere debet, & ob id Reges, & Imperatores corrigere, ſiquidem, remota iuſtitia, vt ſcripſit Diuus Pater Auguſtinus, regna non ſunt quidem regna, ſed potius magna latrocinia: cum parua latrocinia quædam regna exiſtant. munus illius eſt, proprius ac peculiaris labor, vt vna quæque iuſtitia ab omnibus vbique ſeruetur, nimirum, vt vnicuique, quod ſuum eſt, reddatur, atque, ſi alicui illata ſit iniuria, & iniuſte opprimatur grauamine, ab iniuria vindicetur læſus, a grauamine releuetur oppreſſus, vtq. Reſpublica inualeat Chriſtiana, ac in dies maiores vires acquirat, bonumq. illius minime perturbetur, præcipue autem curare, vt Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri ſponſæ dilectiſſimæ, populus ſubijciatur. at nulla certe iuſtitia eſſe poteſt, quæ hominem auferat a Deo. qui vero a dominio Eccleſiæ ſe ſubtrahit, proculdubio eſt iniuſtus, vt dicebat pater Auguſtinus. Nec alteri hæc cura, quam Summo Pontifici, poteſt conuenire: quoniam, vt ſcripſit Damaſcenus, eius eſt, proſpicere rebus, quæ ſunt in mundo, cuius fuit & condere. Sicut autem omnium regnorum auctor eſt Deus, ita illorum eſt protector, & prouiſor. Papa, Chriſti vicem gerens, cum omnes antecellat Principes, omnibus præcipere poteſt, lites, & contentiones illorum, nedum ſubditorum, audire, ſententiam promulgando, finem illis imponere, vtilitati eorundem proſpicere, ad ſui tutelam, & in auxilium eos vocare, vt iuriſdictionem habens illos, qui eidem iuriſdictioni ſunt ſubiecti. Neque inde ſequitur, vt aliorum Principum derogetur auctoritati, detrahatur iuriſdictioni, & poteſtatis quid imminuatur, hæreditario iure vel electione, vel donatione, alioue iuſto titulo regna poſſidentium. ſiquidem libere, vt iuriſdictionis leges patiuntur, propriam poſſunt exercere auctoritatem, Regnorũ teſtamento heredes inſtituere, oppida, ciuitatesq. donare, ſi iura regni hæc patiuntur, populis imponere leges, ac promulgare, eoſq. punire, puniendo interficere. nam quemadmodum principibus ſubiecti agrorum, domorum, hortorum prædiorumq liberum habent dominium, & hæc bona libere poſſident, nec principes illorum iuriſdictione huic aduerſantur liberæ poſſeſſioni, poſſunt enim ſubditi ea vẽdere, donare, iure legati, aut hereditatis alijs relinquere, licet, vbi adeſt neceſſitas, vtens ſuo iure Princeps, pro publico, & communi bono, & pro ſui tutela poſſit ſubiectos in patrocinium proprium vocare, & bonis illorum vti: ita Chriſti Vicarius ſua iuriſdictione Principes ad Beati Petri patrimonij defenſionem, tutelam vocare, leges promul-

De Ciu. D. l. 4. c. 4.

De Ciu. D. l. 19. c. 21.

2. li. 23.

promulgare,&,vbi occaſio expoſtulat,delinquentes corripere,licet liberi dicantur Princ pes,& libere dominentur. Totius orbis Summus Pontifex dicitur dominus, hac ratione, orbis inquam Chriſtiani,non quod omnium prouinciarum fruatur Imperio,populos regendo ſed quoniam ea pollet auctoritate,quod virtute quadam, ac iuriſdictionis potentia, omnes alias penetrat, eo modo, quem diximus, & ceteræ ab hac dependent, vt nunc fuit explicatum. Orbis infidelium potentia dominus dicitur: quoniam,ſi populi infideles, & illorum Principes Chriſti fidem ſuſciperent, huic primæ, & eminentiſſimæ iuriſdictioni ſubijcerentur. Ordinarie exequitur iuriſdictionem ſuam in Beati Petri Patrimonio, caſualiter vero in omnibus Regnis: vt proprio loco fiet conſpicuum. Hæc veritas a me eſt demonſtranda: huiuſq. gratia adducendæ rationes, quas præcipue a libris, quos ob illorum excellentiam BIBLIA dicuntur, hauriam: hoc eſt, a verbo Dei frequenter, vt potero, accipiam teſtimonia. his enim nec maiora, nec digniora poſſunt excogitari, nedum inueniri. Vtar inſuper attestationibus Summorum Pontificum, & ſanctorum Patrum, quibus, ob magnam gratiæ copiam, qua Deus Optimus & Maximus illos ditauit, ſine vlla animi hæſitatione, magna eſt adhibenda fides. Ad hæc, vtar rationibus, & exempla in medium afferam. quoniam, vti mens ſplendore ſuffuſa primæ lucis, nullum dat locum dubitationi, ita lumine veritatis,quæ demonſtrationibus emicat, intellectus humanus illuſtratus, illico aſſentit concluſionibus. Illius natura hæc eſt, vt ex Ariſtotele colligere poſſumus, quod veritati adhæret, & in ea, vt in ſuo fine,acquieſcit. hinc principijs magis aſſentitur, quam concluſionibus, quoniam in illis magis fulget veritas. *2. Metaph. 1. poſter.* Porro,demonſtrationes ſunt inſtrumenta,quibus intellectus lumine veritatis illuſtratur.exempla vero,& geſta plurimum prodeerunt ad veritatem roborandam. quoniam, vti multis actionibus frequentatis generatur habitus, ita multis actionibus acquiritur rei poſſeſſio.qui non bis,ac ſemel re aliqua vtitur,tamquam propria,is profecto,dominium rei exercendo dominum eiuſdem rei ceteris ſe præbet. Porro,cum a Summo Pontifice Principes errantes emendatos fuiſſe, nouoſq. electos actis Regno fruentibus ab eodem, fuerit demonſtratum, Papæ poteſtatem a nulla alicuius Principis excellentia vinci, ſed e contra ab ea ceteras præſtantia, & eminentia ſuperari, erit probatum. His vtendo medijs, hocq. calcando iter, rem non aſpiciam eminus,aut in ſuperficie, vt Sotus voluit,dum dixit,ab ijs. qui ſuperficie rem aſpexerint, hanc defendi ſententiam, quam nunc profiteor, & veriſſimam eſſe credo. Non ero adulator, vt Catharinus clamat, ſed, veritatem proferendo ex ijs fontibus emanantem, veritatis ero diſcipulus.Immo haud facile video, nec ſatis

intelligo, quomodo notam adulationis euitent illi, qui oppoſitam tuentur ſententiam, (Catharinum alloquor, alios excipiendo) & vilipendunt hanc opinionem. hæc proprio non protulerim iudicio, ſed grauiſſimorum, & Sanctorum virorum ſententia. Beatus Antoninus habet hæc verba: *Qui autem dicunt, Papam in orbe terrarum*
3 par. ſu.t. *totum dominium habere ſuper ſpiritualia, non autem ſuper temporalia,*
a 2.cap.5.§. *ſimiles ſunt conſiliarijs Regis Syriæ, qui dixerunt, Dij montium ſunt Dij*
17. *eorum & ideo ſuperauerunt nos, ſed pugnemus contra eos in campeſtri-*
3. Reg.20. *bus, & in conuallibus, in quibus dij eorum dominium habent, & obtinebimus contra eos, ad litteram. ſic hodie mali conſiliarij adulatione peſtifera ſeducunt Reges, & Principes terræ, dicentes, Dij montium, puta ſpiritualium bonorum, ſunt Summi Pontifices, ſed non Dij vallium, quia temporalium bonorum nullum dominium habent. Ideo in campeſtribus, in potentia ſcilicet bonorum temporalium, pugnemus contra eos, & obtinebimus.* Sed, quid dicat eis *Diuina ſententia, audiamus. Quia dixerunt, inquit, Syrij. Deus montium eſt Deus eorum, & non Deus vallium, dabo hanc multitudinem in manu veſtra, & ſcietis, quia ego ſum Dominus.* Hæc vir ille ſanctus. Quæ omnia exemplis confirmat, nimirum Iuliani Apoſtatæ, Mauritij Imperatoris, Theodorici Regis, Federicique Imperatoris. Iulianus inſæuiebat in membra Chriſti, ac in caput, Mauritius Gregorium Papam perſecutus eſt, Theodoricus Ioānem Papam Etruſcum aſperrimis carceribus, quæ adhuc ſeruantur Rauennæ apud ædes Diui Apollinaris, afflixit, in quibus tandem ſqualore, & inedia e vita ceſſit. Federicus Pontificem Maximum, temeritate percitus, diuexauit. Omnes auctoritati Pontificiæ repugnantes mortem contumelioſam obierunt. Auguſtinus Triumphus, vir ſanctitate decorus, Sacraq. Theologia clarus, qui ob hanc & illam dignum ſe præbuit, vt Sanctus Archiepiſcopus Florētinus, vir tantæ exiſtimationis, probatæq. doctrinæ, eius poſitiones in hac materia paſſim amplecteretur, idem prorſus ſenſit, videns, validū eſſe hunc ſentiendi modū. Ab hoc ſpectabili viro Beatus Antoninus
Aug.Triu. nunc citatus mutuo hæc accepit. Is Auguſtinus in libro de poteſtate
q.55.art.2. Eccleſiæ ait, adulatione peſtifera adductos eſſe illos ſcriptores, qui oppoſitam aſtruunt ſententiam. Quare non adulationis cauſſa, ſed veritatis ſtudio ſuſceptus eſt iſte labor. nec ſum adeo mentis inops, vt ignorem, puriſſimas Summorum Pontificum aures verbis mendacij fœdandas non eſſe, mentem candidiſſimam officio adulationis turbandam, atque moleſtia, ac tædio afficiendam. mei non ſum neſcius, ac immemor, quem tanto magis dedecet mendacia, & adulatoria verba, quanto magis decet veriſſima enuntiare, veritatē ſequi, illamq. profiteri. Nimia ſimplicitate minime ductus, o Reuerendiſſime Catharine, ſed veritate magiſtra, hæc pauca, & obiter fere

ter fere, materiæ neceſſitate compulſus, quantum attinet ad negotium noſtrum, ſcriptis commendabo. Neque, ſi Summus Pontifex hæc aliquando audierit, aut viderit, ridebit. quæ riſum mouent, ſunt aut naturæ, aut artis deformitates ſine læſione, animum noſtrum mouentes. at hæc non eſt deformitas naturæ, aut artis. Oracula ita teſtantur, rationes ſic erudiunt intellectum, res geſtæ non ſecus docent. Non ægre ferret doctiſſimus ille Theologus, cuius poſtremo loco fecimus mentionem, de ſacro ſtudio bene meritus, nec indigne accideret Sandero, aut Soto, ſi adhuc vitam viuerent, quod doctrinæ eorum opponerem. Illi æquo animo ferre nequeunt, vt contra ſententiam, quam ſibi probari docuerunt, palam, aut dictis, aut ſcriptis diſſeratur, qui propriam opinionem tamquam fetum adeo diligunt, vt amore illius quodammodo perciti, exiſtiment, nefas eſſe ceteros alienam habere, ab illa ſententiam, nihil tale de viro ſapiente eſt ſuſpicandum. ſcribit, diſſerit, docet vt veritati præſto ſit, quantum vires ingenij poſſunt ſubminiſtrare, vt veritatis diſcipulus. cui veritati ſi quis alio tempore a ſe diſſentiendo auxilium præſtiterit, mirifice lætabitur. modeſte, ni fallor, diſcep tabo, vt alias credo me feciſſe, non vt videar aliorum contemnere labores, ceteriſue ſupereminere, ſed potius illos magnifacere a lectoribus habear. Rei igitur initium faciam.

In Chriſti Vicario Regiam dignitatem reperiri. Caput II.

Regiæ dignitatis in Chriſti Vicario exiſtentis diſputationem aggreſſurus, non ab re futurum eſſe credo, ſi ab jis, quæ magis ſunt vniuerſalia, exordiar. Ordo enim doctrinæ requirit, vt magis vniuerſalia, ac ſimpliciora, ſpecialibus & compoſitis præmittantur. Hoc nos ſæpius monuit Ariſtoteles. Primo namque libro Naturalis Philoſophiæ in procemio, ab vniuerſalioribus, tamquam a notioribus, inchoandum eſſe, aiebat. Et in eodem libro ſic ſcripſit: *Etenim ſecundum naturam communia primum dicentes.* Primo probemus, quod ſit in Chriſti Vicario Regia poteſtas: mox, qualis ſit, oſtendemus. Quæri enim primo debet, an res ſit, deinde qualis ſit. docuit id Ariſtoteles, docet & natura, quæ primo eſſe reſpicit, deinde illa, quæ ſequuntur eſſe. Rationum hæc ſit prima. In lege Naturæ, & in lege Moyſi, in ſummis Sacerdotibus fuit apex vtriuſque auctoritatis: igitur multo magis in ſummis Sacerdotibus ſub lege Chriſti. Probo

Tex. 4. — *Tex. 57.* — *2. Poſt. c. 1 & 2.*

Cap. 14. antecedens, deinde illationem facillime oſtendo. Sub lege Naturæ magnus Sacerdos Dei altiſſimi fuit Rex ille Salem Melchiſedech, vt in libro Geneſis ſacræ eſt videre, cui Patriarcha Abrahamus, Chal-
Cap. 7. dæorum ſplendor, decimas omnium obtulit. Sanctus Paulus, ad Hebræos ſcribens, tanti viri, Deo accepti, ſummi Sacerdotis, ac Regis, mentionem facit, & laudes vt decet, proſequitur. Locum hunc Geneſis ponderans Sanctus Hieronymus inquit, Hebræos ſentire, & pro conſtanti habere, Melchiſedech ſecundum genitum Noe fuiſſe, & affirmare ex temporum ſupputatione, illum vixiſſe vſque ad Iſacum; addens, omnes primogenitos illius ætatis priſcæ fuiſſe Reges, & ſummos Sacerdotes. Sub lege igitur Naturæ ſummi Sacerdotes fuerunt Reges, illiſq. vna & altera regendi auctoritas extitit. Nec ſecus ſub lege ſcripta. Primus ductor Rector, ac Princeps po-
Cap. 18. puli illius, fuit Moyſes, Deo, & hominibus carus. In Exodo hæc legimus. quibus apparet vtramuis dignitatem in illo extitiſſe: *Altera autem die ſedit Moyſes, vt iudicaret populum, qui aſſiſtebat Moyſi, a mane vſque ad veſperam. quod cum cognatus eius, omnia ſcilicet, quæ in populo agebat, videret, ait: Quid eſt hoc, quod facis in plebe? cur ſolus ſedes, & omnis populus præſtolatur de mane vſque ad veſperam?* Et paucis additis: *Non bonam rem facis. ſtulto labore conſumeris, & tu, & populus iſte, qui tecum eſt. vltra vires tuas eſt negotium. ſolus illud non poteris ſuſtinere. Sed audi verba mea, atque conſilia mea, & erit Dominus tecum. Eſto tu populo in ijs, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur ad eum, oſtendaſq. populo cærimonias, & ritum colendi, viamque, per quam ingredi debeant. Prouide autem de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui audient populum omni tempore; quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantummodo iudicent, leuiuſq. ſit tibi partito in alios onere.* Vtriuſque auctoritatis, temporalis, & ſpiritualis, mentionem facit ſacra hiſtoria, & apicem vtriuſque in Moyſe extitiſſe oſtendit. Hortabatur Ietro Moyſen ad iudices ſubſtituendos, vt ab illis minores cauſſæ iudicarentur. hortabatur quinetiam ad dandam operam ijs, quæ ad cultum Dei attinebant. Primum munus, apicem Regiæ poteſtatis nobis ponit ob oculos, ſecundum vero culmen ſpiritualis dignitatis, ſi rem diligenter meditemur. fuit Moyſes Sacerdos, ac ſummus Sacerdos. Sacerdotium inde deprehenditur, quoniam, vt in Exodo legimus,
Cap. 40. incenſum Domino adoleuit, quod munus erat Sacerdotis, vt in
Cap. 26. lib. Paralipomenon, & Leuit. legitur, ſanctificauit tabernaculum,
Cap. 8. & altare, obtulit ſacrificia, & holocauſta, Aaronem fratrem vnxit, Sacerdotemq. conſecrauit, quæ ſolus Sacerdos facere poterat. Et

Dauid:

Dauid: *Moyſes,& Aaron in Sacerdotibus eius,& Samuel inter eos,qui* *Pſal. 98.*
inuocant nomen eius. Summus Sacerdos,quoniam, vt iam locus addu
ctus nos certiores facit,vnxit Aaronem.In Exodo,vbi Deus hæc præ
cipit Aaroni, manifeſte magis omnia apparent. Alloquens Dominus *Cap.28.*
Moyſen, vt Sacerdotes eligeret, vocaret,veſtiret,& vngeret,inquit:
Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filijs ſuis,de medio filio
rum Iſrael,vt Sacerdotio fungantur mihi Aaron, Nabad,& Abiu,Elea-
zar,& Ithamar, &c. ait: *Applica quoque ad te*: perinde', ac ſi dixiſ-
ſet, Voca in coadiutores. Et Caietanus, explicans Pſalmi nonageſi-
mi octaui verba nunc citata, nimirum, *Moyſes,& Aaron inter Sacer-*
dotes, ſic ſcripſit: *Ecce ſtatus Sacerdotalis eorum. Aaron ſiquidem fuit*
ſummus Sacerdos, & Moyſes fons Sacerdotij inuenitur,dum ipſe cõ
ſecrauit Aaron. S.Gregorius Nazianzenus & ipſe quoque hæc ha-
buit: *Moyſes Princeps Principum,& Sacerdotum Sacerdos, Aarone* *In Orat. ad*
pro lingua vtebatur. Et Sanctus Ambroſius in quæſtionibus in Leuiti- *Nyſſen.*
cum: *Summi Sacerdotes erant Moyſes,& Aaron.* Philo Iudæus,quæ de
Moyſi vita ſcripſerat, concluſit his verbis: *Hæc eſt vita, hic exitus* *Quæſt. 23.*
Moyſis Regis,Legis latoris,Põtificis,& Prophetæ Ceteros ſi aſpiciamus
etiam Sacerdotes primos id verũ eſſe inueniemus. Machabei Iudas,
Ionatas, Ioannes,& alij,ad Herodem vſque,Pontifices,& Duces po-
puli extitere, quemadmodum ſacer ille geſtorum ſcriptor memo-
riæ hominum,& ſcriptis commendauit. quæ etiam a Ioſepho de An *12.6.*
tiquitatibus ſcribente adnotata fuiſſe comperio. In iudicibus idem
eſt videre. In Heli vna & altera extitit auctoritas. In Samuele api-
cem vtriuſque fuiſſe dignitatis,Regum nos monet hiſtoria. Ceterũ,
quoniam res illa nonnulla habet, quæ optime faciunt ad hanc robo-
randam ſententiam noſtram, dilucidandamq. veritatem, non ab re
futurum eſſe duxi,ſi aliqua attentione locus ille perpendatur. Senue *1.8.*
rat Samuel, vt primo Regum legitur, ætateq. grandæuus,ſecum co
gitans, proprijs humeris eſſe impar illud regendi onus, quodue æ-
quius alienis illa inſediſſet ſarcina, ſuper populum Iſraelis Ioelem,
& Abiam filios iudices conſtituit. populus,tumultuaria quadam ſe
ditione concitatus, filios Samuelis, eo quod auaritiæ eſſent dediti,
habens contemptui, ad eundem Samuelem iuit, ſummaq. inſtantia
efflagitauit, vt ei Regem conſtitueret, a quo inpoſterum eſſet regen
dus. Magnus ille vir, Propheta, ſanctus, ſummuſq. Sacerdos,tumul-
tu populi commotus, Dominum oratione conſuluit: cui oranti hæc
verba reſpondit: *Audiui vocem,& quæ locutus eſt populus tibi,optime*
noui: non enim te abiecerunt, ſed me abiecerunt, ne regnem ſuper eos.
Hæc ſunt Domini verba. Ex quibus colligo, in ſummo Sacerdote
Regiam poteſtatem reperiri. quandoquidem ait Dominus, Non
te, (Samuelem alloquendo) ſed me abiecerunt, ne regnem

ſuper

ſuper eos. Petebat populus Regem, qui non eſſet ſummus Sacerdos. contentio non erat, ac tumultus populi de auctoritate, ſed de perſona regnatura. ſupponebant tumultus illi auctoritatem Regiã: at lis erat de illo, in quo talis auctoritas collocanda eſſet. Colligitur inſuper, apicem, & culmen huius dignitatis, in ſummo Sacerdote olim reperiri. adeo enim moleſte tulit hanc iniuriam Dominus, vt ſibimetipſi illatam reputarit. dixit, *Non te abiecerunt, ſed me abiecerunt.* Quæ verba poteſtatem eminentiſſimam indicant. Confirmo

Theod. in Pſal. 98 hæc verbis Theodoreti, qui, explicans illa verba Pſalmi, *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius*: ait: *Non temere alijs prætermiſſis Vatibus, de ijs tantum mentionem fecit, ſed vt innatum furorem, & tyrannidem doceret. etenim Moyſis, & Aaronis tempeſtate Sacerdotium ſubripere conati ſunt, & Samuelis tempore diuinum regnum aſpernati, humanum adamarunt.* Appellat vir ſanctus auctoritatem, ſiue poteſtatem Regiam in ſummo Sacerdote exiſtentem, diuinam; quæ vero reperitur in principibus laicis, humanam. Qui dicendi modus nos perfecto docet, Regiam dignitatem in ſummo Sacerdote eminentiſſime exiſtere, & ab hac dignitate, & excellentia eam vinci, quæ in Principibus ſæcularibus reperitur, tantumq. ſuperari, quantum humana a diuinis vincuntur. His ſtabile, & inconcuſſum ſit noſtrum antecedens, ſcilicet, in lege Naturæ, & Moyſi, in ſummis Sacerdotibus fuiſſe Regiam poteſtatẽ. Supereſt, vt probemus illationem. Sacerdotium (ea ſic oſtenditur) Euangelicæ legis eſt multo præſtantius Sacerdotio legis Moyſis, & Naturæ. Si ergo in illis ſummis Sacerdotibus fuit Regia poteſtas, tamquã adiunctũ, multo ſane magis erit in Chriſti Vicario, tamquã appendix, aut tamquam ſocia ſpiritualis poteſtatis. Confirma his, quæ habet Apoſtolorum Princeps, Beatus Petrus, dum ait: *Vos au-*

1. Cap. 2. *tem genus electum. Regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.* Repetit promiſſionem Domini, populo Iſraelitico factam, quando menſe tertio egreſſionis de Ægypto populus in ſolitudinem Synai venit. fixit tentoria populus in illo loco, ibiq. caſtrametatus

Exod. 19. eſt. Moyſes aſcendit montem, de quo vocauit eum Dominus, iuſſitque, vt populo ob oculos poneret beneficia accepta, nimirũ, quod tot prodigijs, manuq. potenti a grauiſsima Pharaonis ſeruitute, & dira tyrannide, qua miſerrime vexabatur, & moleſtiſsima, qua opprimebatur vexatione, eſſet liberatus. His non contentus Dominus, noua ei pollicebatur beneficia: Si pactum, & vocem eius audiuiſſet, peculiarem populum ex multis electum ei eſſe futurum. *Si ergo audieritis vocem & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. mea enim eſt omnis terra, & vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale, & gens ſancta.* Hæc eſt promiſſio Domini, po-

ni, populum Iudaicum futurum eſſe peculiarem ex multis, populum electum Domino, cuius Regnum eſſet Sacerdotale. Hanc ſententiã Beatus Petrus repetens, oſtendẽſque, promiſſionem illam in populo Chriſtiano cumulatam, & abſolutam habuiſſe perfectionem, ait: *Vos eſtis Regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.* Quod ſanctus Hiſtoricus in lege veteri fecit adiectiuum Regno, nimirum Sacerdotium, dixit *Regnum ſacerdotale*, Diuus Petrus fecit ſub ſtantiuum, & Regnum adiectiuum, ſcribens, *Regale Sacerdotium*: Debile fuit, ac longe inferius Sacerdotium veteris legis noſtræ legis ſacerdotio. viguit autem ſatis Regalis poteſtas in illa lege. ideo Beatus Petrus facit Regnum adiectiuum. Si igitur ſub lege Moyſi in ſummo Sacerdote fuit Regia poteſtas, multo ſane magis in noſtræ legis ſummo Sacerdote erit Regalis hæc auctoritas. vtraque ſimul iuncta eſt, Sacerdotio iunctum eſt regnum. primus Rex, qui conſtitutus fuit in populo electo, abiuncta hac poteſtate a ſummo Sacerdote, populi errore hoc factum fuit, & quia radicem non habuit pietatis, ſtatim ac Regno potitus eſt, arſit impietate. Ideo Dominus primo Regum, loco iam citato, dixit, ſe abiectum fuiſſe. Hęc fuit ſententia ſãcti patris Hieronymi in Oſeam prophetã, exponentis verba illa Prophetiæ, *Ipſi regnauerunt, & non ex me; principes extiterunt, & non cognoui.* Cuius verba hic libenter referam, vt, quantum poſſum, veritati inſeruiam. Hæc ſunt verba. *Tempore neceſſitatis, & anguſtiæ, quando captiuitas venerit, me inuocabunt, & dicent: Deus meus, cognouimus te Iſrael, nos qui appellamur Iſrael, ſcimus te, atque cognoſcimus, & nomen Iacob, quod tibi placuit, ſeruamus antiquum, vt dicamur Iſrael. quibus reſpondit Dominus: Quomodo vocamini Iſrael, cum Iſrael proiecerit bonũ, ideſt Dominum ſuum, a quo eſt appellatus Iſrael? ideirco quia Iſrael proiecit bonum, inimicus, hoc eſt Aſſyrius perſequetur eum atque comprehendet, qui me Rege deſerto petierunt ſibi Regem, ſicut gentes reliquæ, & fecerunt contra voluntatem Dei. Denique & Samuel eis dura exponit imperia, & filios eorum, & filias dixit Regibus ſeruituras, vt ad Dominum Regem clementiſſimum conuertantur. ſed illi abſque voluntate Dei principes extiterunt, & non eis ſuffecit hoc ſcelus, niſi maiori impietate facinus duplicaretur. vt argentum ſuum, & aurum, quod acceperat ad diuitias, & ornatum, in Idola verteret. Ergo Saul non ex voluntate Dei, ſed ex populi errore Rex factus eſt, & quia radicem pietatis non habuit, ſtatim vt regnare cœpit, impietate ſuccenſus eſt.* Ex quibus verbis duo colliguntur: quorum alterum eſt, Regiam poteſtatem in ſummo Sacerdote exiſtentem, eminentiſſimam, diuinamq eſſe. Ait: *Qui me Rege deſerto petierunt ſibi Regem, ſicut gentes reliquæ.* Aliud eſt, grauem fuiſſe errorem populi illius, petere Regem, vti gentes tunc habebant. *q. 1. vl. diſt.*
Hoc etiam adnotauit ſanctus Thomas in calce ſecundi Sententia- *in reſp. eo. a*
rum,

rum, vbi diſputat, num omnis prælatio ſit a Deo, exponendo Oſeæ locum nunc adductum, ſic ſcripſit: *Dicuntur, non ex Deo regnaſſe Iudæorum reges, inquantum diſſuadente Samuele Regem ſibi eligere voluerunt.* Obſeruandum eſt ſecundo loco, (ad id redeo, vnde defluxit oratio) Regiam auctoritatem Summi Pontificis auctoritate eſſe longe inferiorem: vt colligi poteſt ex verbis Sancti Petri, Theologorũ Principis, ac ſummitatis antiquiſſimæ, ſicut dixit Sanctus Dionyſius, in ijs, quæ de Beato Ierotheo ad Timotheum ſcripſit (nomine Theologorum appellabantur Apoſtoli, teſte Damaſceno, tum in libro Transfigurationis Domini, tum alibi, quoniam verbum Dei diſſeminabant, & ex ſuggeſtis conciones habebant ad populum, verbum iſtud ſanctiſſimum prædicantes) apertiſſime, ac manifeſte. Adiectiuum facit Regnum, Sacerdotium ſubſtantiuum. Quod etiam legimus in c. ſolitæ benignitatis affectu. Vbi Summus Pontifex Imperatori irato, quia litteris Pontificijs a Chriſti Vicario fuerat reprehenſus, dixit: *Potuiſſes autem prærogatiuam Sacerdotij ex eo intelligere potius, quia dictum eſt non a quolibet, ſed a Deo; non Regi, ſed Sacerdoti; non de Regia ſtirpe, ſed de Sacerdotali proſapia deſcendenti, de Sacerdotibus videlicet, qui erant in Anathot: Ecce conſtitui te ſuper gentes, & regna; vt euellas. & diſſipes, ædifices, & plantes.* Arguit Papa, argumento accepto a loco topico, a minori ad maius, affirmatiue. qui modus arguendi indubiam facit fidem. Si enim quattuor, aut quinque militum centuriæ oppidum capere, & depopulari poſſunt, eorundem myrias multo magis proculdubio poterit hæc facere. Si a Domino conſtitutus eſt Sacerdos ſuper Regna, vt plantet, euellat, & deſtruat, multo ſane magis omnium Sacerdotũ ſummus, & Princeps Chriſti Vicarius, hæc facere poterit. Verum proſequamur probationum ſeriem: & arguamus ſic. Dominus, inſtituens, ſibi Vicarium, dixit: *Petre, diligis me plus his.* Cui reſpondens Petrus: *Tu ſcis, Domine, quia amo te.* Ait Dominus, *Paſce oues meas.* Petrus præponitur ouibus. igitur vtrauis auctoritas ei data fuit, Regia, & Pontificia; ſpiritualis, & temporalis. Probanda eſt hæc illatio. Audio enim Catharinum, & Sotum, dicentes, in ſola Ouium paſtura conſiſtere hoc munus, a Chriſto Beato Petro iniunctum. Quæ reſponſio, & interpretatio, verbis nimis eſt incommoda, illiſq. vim infert. Probando hoc apparebit. Oſtendo igitur. Paſcere oues, in ſacra Scriptura, vti ſpiritualem, ita temporalem amplectitur poteſtatẽ, qua quis alicui præficitur Reipublicæ, & poteſt ius dicere ſtatuendo, decernendo, ſententiam pronunciando, leges promulgando, quibus legibus, ſtatutis, decretis iuſdicenti populus tenetur obedire, eaq. rata, ac iuſta habere. Poſſem innumera propemodum adducere ſacræ Scripturæ loca, vbi Reges appellantur Paſtores, & Paſcere

S. Dyon.

Dam. in vi. Barla. & Ioſaph. ss. indiæ.

De mai. & ob.

Hier. 1.

ſcere idem prorſus ſignificat, quod temporali dominio regere: at, quoniam meum non eſt conſilium exemplis ſcripturam onuſtam hanc facere, paucis ero contentus. Ab Ezechiele incipiam, dicente. *Et ſuſcitabo ſuper eas Paſtorem vnum, qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem*. Dauidem autem profe- Cap. 34.
ӕo Regem fuiſſe, non autem Sacerdotem, norunt omnes. Rurſus idē Cap. 37.
Sanctus Vates: *Et ſeruus meus Dauid Rex ſuper eos, & paſtor vnus erit omnium eorum.* Iſaias ipſe quoque hac phraſi verborum eſt vſus, loquens de Cyro Rege, quem tot, tantiſq. laudibus Xenophon, celebrauit elegantiſſime: *Quid dico Cyro, paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis?* Cap. 44. Nulla proculdubio fuit in Rege Cyro Sacerdotalis dignitas, nihilominus Paſtor appellatur ab Iſaia. Alibi quoque conquerebatur de Regibus, dicens: *Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam.* Cap. 56. Ieremias paſſim hoc loquendi modo eſt vſus. Regum Cap. 2. peccata reprehendens, dicebat: *Et tenentes legem, neſcierunt me, & paſtores praeuaricati ſunt in me.* Et in alio loco: *Omnes paſtores tui paſcunt ventos.* Cap. 22. Regum ſecundo libro: *Tibi dixit Dominus Deus tuus, Paſce populum meum Iſrael, & erit princeps ſuper eum.* Cap. 5. Quæ loca omnia ad vnum de Regibus ſunt accipienda: vt inſpicientibus patet. Verum, omiſſis, quos poſſem adducere, locis, his ſimilibus, ad verba Euangelij Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri me conuerto, & præſertim ad Græcam ſcripturam, qua Beatus Ioannes Euangeliſta ſcripſit Euangelium. Dominus, ad Petrum oculos conuertens, illum Io. cap. vlt. alloquendo, ter interrogauit, num ab eo diligeretur magis, quam ab alijs, maiorē a Petro requirebat caritatem, cuius fidei erat maiora commiſſurus. Ter Apoſtolus cum affirmaſſet a ſe diligi Dominū, commiſſus eſt ei grex illis verbis: *Paſce oues meas.* Conſtituens Vicarium Petrum Dominus, non ſemel, ac bis dixit, *Paſce*, ſed ter, *Paſce, paſce, paſce.* Euangeliſta duplici verbo vſus eſt ad hoc exprimendum. Primo βόσκε, Secundo ποίμαινε, Tertio βόσκε Verba hæc vti diuerſa ſunt inter ſe, ita variam, ac diuerſam habent ſignificationem. βόσκε, ſignificat paſcere. ποίμαινε, autem rēgere. Pſalmo ſecūdo, vbi Latinus codex legit, *Reges eos in virga ferrea, &c.* Grecus habet ποιμανεῖς αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ. Et Pſalmo vigeſimo ſecundo, vbi Latinus legit, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*, Græcus habet, κύριος ποιμαίνει με. Summatim, vox illa ποίμαινε, regere ſignificat. Nouerat plane ſanctus Euangeliſta harum vocum vim, & proprietatem. Prima non contentus, qua vtramque poteſtatem poſſumus intelligere, vt omnis prorſus euelleretur ſcrupulus, nulluſq. daretur dubitandi locus de temporali poteſtate, relicta a Saluatore Vicario ſuo ſuper oues, dixit βόσκε, & ποίμαινε. Dicet forte aliquis, quod regere ibi loci ſignificat iuriſdictionem ſpirituale. verum difficile hæc

interpretatio poteſt huic loco conuenire.quoniam, ſi paſtor eſt,gregem ducit, ductor autem gubernat, & regit. Ideo, cum voce Paſtoris intelligatur ordo, & regimen, dum adijcitur vox illa ποίμαινε, temporalis iuriſdictio debet intelligi. Quare, ſi phraſim Scripturarum ſequamur,quam proculdubio ſequi neceſſe eſt, ſi Græcũ attendamus codicem, & linguam, neceſſe eſt fateri, dum I E S V S Saluator noſter verbis illis Paſce,paſce, paſce oues meas, Vicarium inſtituit, huic temporalem, & ſpiritualem poteſtatem commiſerit. Præter hæc, arguamus ſic. Petrus Chriſti loco eſt ſuffectus, igitur & ſpiritualem, & Regiam habuit poteſtatem. Probatur illatio.Idem eſt dominiũ, eademq. auctoritas delegantis,& delegati. at in Chriſto fuit vna & altera poteſtas. igitur & in eius Vicario. Non me latet, minorem hanc aduerſarijs non arridere. ab illis reijcitur. eſt enim vna ex præcipuis báſibus,ac fundamentis, cui fere totum eorundem innititur ædificium, vel ſaltem bona pars, quod in Chriſto non fuerit Regia poteſtas temporalis Quare, ſi in probanda hac immorabor propoſitione, venia dignus ero. Oſtendo igitur, in Chriſto Domino noſtro fuiſſe Regiam poteſtatem temporalem.Cum natus eſſet Dominus IESVS in oppido Iudaico Bethleemitico,Reges
Matth.2. ſapientes Orientales,proprijs relictis domibus,in Palæſtinam venerunt, Hieroſolymamq. ingreſſi, homines interrogando, dixerunt: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Dominum appellant Regem, talemq. muneribus confitentur. Dicet forte aliquis,non tamquam Regem temporalem,ſed vt Regem æternum, a Regibus Orientalibus Saluatorem muneribus fuiſſe veneratum. Verum hæc reſponſio hiſtoriæ Euangelicæ dure poteſt accommodari. Narrat Sanctus Euangeliſta Matthæus, horum Regum nuntio Herodem turbatum, vniuerſamq.ciuitatẽ fuiſſe commotã,manãte per omnes plateas eius rumore,famaq. per omnes vias eunte. fremuit adeo Herodes,ac timuit,ne regnum amitteret noui huius Regis magni ortu,vt,barbarie immauiſſima, in paruulos innocentes inſæuiendo, a bimatu,& infra, iuſſerit trucidari in finibus illis. Herodis hæc commotio non aliunde profecta eſt, niſi a Magorum colloquio, quo Regem Iudæorum Dominum Saluatorem noſtrum Regem temporalem agnoſcebant, & confitebantur. nec enim ob Regem ſpiritualem excanduiſſet Herodes,nec adeo ſibimet timuiſſet,vt impulſus timore mandaſſet paruulos innocentes tanta barbarie, & immanitate occidi, magna proprij Regni iactura, ſiquidem nouo Rege ſpirituali aduenien te, legem abſoluturo, poterat perdurare Regnum illius. Commota eſt vniuerſa ciuitas, vel quoniam noui Regis nuntio accepto ſi eſſet alienigena,regnum Hebræi amitterent, vt alias dixerunt de Romanis; vel, ſi ex ſuis exiſteret,ſperabant, vt ab oppreſſione liberarentur

tur Iudæi. ægre ferebant tributum dare Cæſari, frequenter habentes in ore, *Abrahaæ filij ſumus, & nemini ſeruiuimus*. Hanc ob eandem cauſſam Saluatorem interrogauerunt Dominum, an liceret tributum dare Cæſari. Quare, quodcumque horum admittamus, ſẽper argumentum ſubminiſtrabit ad probandum, quod vt Rex temporalis tunc agnitus fuerit. quod & munera ei a regibus oblata indicant, vt Iuuencus presbyter adnotauit. quem Sanctus Gregorius Papa, & cum eo quamplurimi ſummæ auctoritatis doctores ſancti, obſeruauerunt. Inſuper in eodem Euangelij libro hæc leguntur: *cum veniſſent Capharnaum, acceſſerunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei, Magiſter veſter non ſoluit didrachma. Ait, Etiam. Et, cum intraſſet in domum, præuenit eum IESVS, dicens: Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ, a quibus accipiunt tributum, vel cenſum? a filijs ſuis, an ab alienis? Et ille dixit, Ab alienis. Dixit illi Ieſus. Ergo liberi ſunt filij. Vt autem non ſcandalizemus eos, aſcende ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem, illum ſumens, da eis pro me, & te.* Locus eſt apertiſſimus. omnem penitus reijciens interpretationem. Scandalo moti didrachmatis exactores, Petrum interrogant, cur Chriſtus Dominus noſter tributum non ſolueret. Quæſtio hæc eſt de cenſu, qui temporalibus ſoluebatur Principibus. Dominus, vt propriam oſtenderet immunitatem, cauſſam ue, cur non ſolueret, interrogat Petrum, qui nam eſſent immunes ab hoc onere ſoluendo, an filij Regum, an ſubiecti. Reſpondente Petro, ſubiectos eſſe illos, qui tributa ſoluunt, infert Dominus, Regum filios liberos eſſe, ipſumq. immunem. & hæc cauſſa erat, cur tributum non ſolueret. nihilominus iubet Petro, vt eat ad mare, piſcem capiat, os eius aperiat, in quo ſtaterem inueniet, quo exactoribus ſoluat tributum; non quod teneretur, ſed ne illis eſſet ſcandalo. Hic ſermo eſt de poteſtate Regia temporali. quod ſane infitias ire non poſſumus. huic namque tributa, & vectigalia ſubditi ſoluunt. a ſolutione immunem ſe eſſe, ait Dominus: quoniam Rex erat, & Regali proſapia oriundus. Confirmare poſſumus hæc omnia patris Hieronymi auctoritate, qui, locum illum exponens, ait, *Dominum ſecundum carnem, & ſecundum ſpiritum*, filium fuiſſe Regis. Verba huius magni doctoris hæc ſunt: *Dominus noſter, & ſecundum carnem, & ſecundum ſpiritum filius erat Regis vel ex ſtirpe Dauid generatus, vel omnipotentis Patris verbum. ergo tributa, &c.* Inſuper ingredienti Domino Hieroſolymam, occurrit turba copioſa Aſinæ inſedenti. turba hæc veſtimenta ſtrauit in via, ramos ab arboribus abſcidit, magnoq. acclamatu illum recepit. Cur autem Aſinæ superſederet Dominus, enarrans Euangeliſta, ait, ea de cauſſa fuiſſe factum, vt, quæ iam prædixerat Zacharias Propheta,

Cap. 17.

Idẽ S. Aug. de conſen. Euang. c. 1.

Matth. 21.

Cap. 9.

pheta, adimplerentur: *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum eius*. Vt Rex temporalis recipitur. Dominus acclamatu, & modo, quo vtuntur populi ad recipiendum Principē temporalem, nec turba illa vt Meſſiham Saluatorem recepit: quoniam myſterium iſtud eam tunc latuit. igitur in Saluatore noſtro Regia fuit temporalis poteſtas. Confirmemus hæc. Quoniam Saluator noſter mittens diſcipulos ad accipiendam aſinam, & pullum eius, ait illis: *Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſoluite, & adducite mihi: &, ſi quis aliquid dixerit vobis, dicite, Dominus his opus habet, & confeſtim, dimittet eos*: Dominium exercuit, & Regiam poteſtatem hoc actu, vt vnuſquiſq. videre poteſt. Adhæc, Ioannes Euangeliſta, capite nono, narrat, mulierem quandam adulteram coram Domino adductam fuiſſe a Iudæis, qui Dominum interrogarunt, quid de illa eſſet agendum. Ijs Dominus dixit: Quis illorum eſſet ſine peccato, primus in illam iaceret lapides. Quibus enuntiatis verbis, inclinans ſe, cœpit in terra ſcribere. Hebræi, vel redarguente illos propria conſcientia, vel quod Scriptura digito Domini in terra exarata, peccata illorum nefanda ſibi ipſis obijci cognoſcerent, intacta relicta muliere, abierunt. cum vero omnes receſſiſſent, conuerſus ad mulierē Dominus, dixit: *Mulier, vbi ſunt, qui te accuſabant? nemo te condemnauit? Quæ dixit, Nemo, Domine*. Statim reſpondendo, ſubiecit Dominus: *Nec ego te condemnabo*. Actus iſte, eſt iudiciarius, & non ad ſpiritualem, ſed ad temporalem attinet poteſtatem. *Nos non iudicamus quemquam*: ſiquidem de vita, & morte agitur. Porro cum Dominus dixerit, *Qui ſine peccato veſtrum eſt, primus in illam lapidem mittat*, iudicium profert: igitur in illo erat poteſtas iudicandi. Confirmari poteſt, quoniam, niſi in illo hæc fuiſſet auctoritas, non dixiſſet Dominus, *Neque ego te condemnabo*. Inſuper, in eodem Euangelio legimus quod Hebræis clamantibus coram Pilato, ab illoq. flagitantibus, vt crucifigendus traderetur Chriſtus, reſpondit ipſe, *Regem veſtrum crucifigam*. Cui reſponderunt, *Non habemus Regem, niſi Cæſarem*. Colligitur ex hoc loco, in Saluatore noſtro agnitam fuiſſe a Pilato poteſtatem Regiam temporalem. ſiquidem, dum ait, *Regem veſtrum crucifigam*? & illi reſpondent, *Non habemus Regem, niſi Cæſarem*, de Rege, ac Regno temporali, non autem de ſpirituali, eſt ſermo. Cognitio hæc, quam habuit Pilatus, a quo nam ortum habuit principio? A nullo certe alio, niſi aut a fama, quæ vagabatur, aut ab aliquibus geſtis, quibus Regiam in ſe ipſo demonſtrauit eſſe poteſtatem. Habuit pro conſtanti hoc Pilatus, ideo in tabella, quæ capiti Saluatoris ſuper poſita fuit, inſcriptum erat: *Ieſus Nazarenus, Rex Iudæorum*. In hac ſententia perſeuerauit, quando Iudęi, indigne ferentes

Cap. 19.

tes inſcriptionem illam, a Pilato petierunt, vt immutaretur in hanc quod ſe faciebat Regem Iudæorum; reſpondit Pilatus, permanens in ſua opinione, *Quod ſcripſi, ſcripſi*. Ad hæc, dicentibus Hebræis Pilato, quod ſcriberet, quia ipſe dixit, *Ego ſum Rex Iudæorum*, aliquo modo videntur aſſentire, aliquando innotuiſſe Regiam poteſtatem Chriſti, quã æquo animo ferre nequibant. Sanctæ Eccleſiæ doctores non adeo in hac re dubie ſcripſerunt, vt ſine hæſitatione nobis non liceat hanc veritatẽ de illorũ ſententia aſſerere. Sanctus Pater Hieronymus, vt retro vidimus, manifeſte id ſentit. Pater Auguſtinus alicubi dicebat, quia Chriſtus futurus erat Rex, Propheta, & Sacerdos. ic circo factũ fuiſſe, vt ex Euangeliſtis quidam a Sacerdotio, quidã a diuinitate, quidã a natiuitate Euangelij faceret initium. Notanda ſunt verba patris Auguſtini, & diligenter cõſideranda. Triplex faciũt Euãgeliſtæ propriæ hiſtoriæ initium, a diuinitate, a Sacerdotio, & ab Ortu Saluatoris: quoniam futurus erat Saluator Rex, Propheta, & Sũmus Sacerdos. Prophetiæ principium, a diuinitate acceptum. Sacerdotij initium ſumptum ab eadem dignitate. Regis autem exordium a Chriſti Ortu. Porro, cum natiuitas hæc ſit ſecundum humanitatem, igitur ratione humanitatis Chriſtus fuit Rex, iuxta huius magni Patris ſententiam. Hæc eadem colliguntur ex ijs, quæ ſcripſit ſuper Ioannem. Idem etiam legimus in quadam Homilia magni Ioannis Chryſoſtomi in eundem Euangeliſtam. Idem habet Hilarius in Matth. c. pri. cuius hæc ſunt verba: *Matthæus paternam originem, quæ ex Iuda, recenſet: Lucas vero acceptum per Nathan ex tribu Leui genus edocet ſuis vterque partibus Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt æternus Rex, & Sacerdos etiam in carnali ortu. vtriuſque generis gloriam probauerunt*. Nil apertius Beatus. Thomas adeo conſpicuus fuit in re propoſita, vt nihil clarius poſſit deſiderari. De regimine Principum, annumerans varias Monarchias, temporum lapſu ſibi ipſis ſuccedentes, nimirum Aſſyriorum, Medorum, Græcorum, & Romanorum; cum ad poſtremam hanc peruenit, habet hæc verba: *Poſt hanc Octauianus, filius ſororis ſuæ, ſucceſsit, qui, vindicta exercita contra occiſores Iulij, interfectoq. Antonio, qui Monarchiam tenebat in Orientalibus, ipſam obtinuit. Et propter ſuam modeſtiam longo tempore in ea Principatum habuit, ac in anno quadrageſimo ſui regiminis, impleta ſeptuageſima ſeptima hebdomada, ſecundum Daniel, ſui dominij, ceſſante regno, & Sacerdotio in Iudæa, naſcitur Chriſtus, qui fuit verus Rex, & Sacerdos, & verus Monarcha. Vnde, poſt reſurrectionem apparens diſcipulis ſuis, dixit, Data eſt mihi omnis poteſtas, ſiue in cælo, ſiue in terra. Quod quidem ad humanitatem oportet referre, ſecundum Auguſtinum, & Hieronymum, quia de diuinitate nulli eſt dubium,*

De Conſ. Euan.

Trac. 15.

Hom. 893.

Li. 3. c. 12.

dubium, quin ſemper habuerit. Hæc eſt Sancti Thomæ ſcriptura. Qui locus haud dubie lectorem docet, in Chriſto fuiſſe poteſtatem Regiam temporalem, ſecundum humanitatem. Ait beatus doctor, loquens de Monarchijs temporalibus, Ceſſante Iudæorum Regno, & Sacerdotio, Chriſtum fuiſſe natum, aduentu autem illius nouum fuit Regnum, nouaq. Monarchia: & loquitur de regno temporali. hoc vt nobis innueret, dixit, *Quia de diuinitate nulli dubium eſt, quin ſemper habuerit*. ideſt, quin ſemper fuerit Rex. Audio nonnullos nimis ſenticoſos, dicentes, librum hunc non fuiſſe Sancti Thomæ. His ego dicam, quod, ea auctoritate, qua hoc aſſerunt, eadem aio eſſe huius doctoris opus. Addo, quod concluſiones, & fundamenta concluſionum ſibi inuicem reſpondent. Tertia parte Summæ, vt infra Dei auxilio patebit, hoc ſcripſit. In ſecundo Sententiarum apicem vtriuſque dignitatis in Summo Pontifice reperiri, aſſerit. quæ concluſio a prima dependet. Porro, cum loca doctrinæ ſibi conſentiant, & ſtylus admodum ſit ſimilis, quomodo non poſſimus dicere Sancti Thomæ iſtud eſſe opus, ignoro. Accedit, quod hucuſque inter opera Sancti Thomæ opuſculum illud ſemper fuit connumeratum. Mos eſt nonnullorum, qui, dum alio modo doctrinam ſcribentis aut ſuſtinere, aut reijcere nequeunt, confugiunt ad hoc, quod auctoris ſit ſpurium opus. Ad rem redeo. In eodem libro ali-

3 Lib. 4. ca. 13. bi ſcripſit: *Et inde eſt, quod, quamuis adoraretur a Magis, glorificaretur ab Angelis, in ſignum vniuerſalis ſui dominij, humili tamen loco iacuit, vilibus inuolutus pannis. qua quidem via homines melius ad virtutem trahuntur, quam armorum virtute*. Ibidem hæc confirmans, accipit id, quod narrat Lucas Euangeliſta in Domini noſtri ortu, nobis ſemper feliciſſimo. nimirum, a Cæſare Auguſto edictum fuiſſe, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. hac deſcriptione ſoluebatur cenſus in ſubiectionis teſtimonium: vt infra, Deo fauente, fuſius ſumus dicturi. Agnoſcit hanc deſcriptionem myſterij grauidam, & prægnantem Sanctus Doctor, & ait: *In humilitate ergo vixit, & demum in Auguſto ſubſtituit, vt deſcriberetur vniuerſus orbis, in ortu Domini, vt Lucas Euangeliſta teſtatur, & in hac deſcriptione ſoluebatur cenſus, ſiue tributum, vt hiſtoriæ tradunt, in recognitionem debitæ ſeruitutis, non ſine myſterio, quia ille natus erat, qui verus erat mundi dominus, & Monarcha, cuius vices gerebat Auguſtus, licet non intelligeret, ſed*

Cap. 14. *nutu Dei, ſicut Caiphas, prophetauit*. In eodem libro, vbi diſſerit, cur ſi Rex fuerat Chriſtus abiectam tamen elegerit vitam, admittendo Regem eſſe, (& loquitur de temporali Regno) reſpondet, fuiſſe voluntariam illam abiectionem, & iccirco in ætate infantili magis apparuiſſe excellentiam dominij, nimirum Magorum adoratione Regem Iudæorum atteſtante, Herodis in pueros innocentes ſtrage,

quam

quam in addulta ætate, vt inſinuaret, voluntariam fuiſſe eius abie- *Cap. 15.*
ctionem. In eodem libro, explicans cauſſam, cur, cum eſſet dominus orbis, humilem amauerit ſtatum, ait: *Quamuis enim temporaliter eſſet dominus orbis directe, tamen ad ſpiritualem vitam ſuum ordinauit principatum.* Ibidem proxime, aſſignans rationem, cur, ſi Rex erat, Pilato dixerit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo:* inquit: *id dixiſſe, ad tollendam ſuſpicionem de cordibus hominum, quod quaſi principatum aſſumpſiſſet, vt in mundo dominaretur, & eſſet eius finis, vt aliorum Principum vitam abiectam elegit, & tamen erat verus dominus, & Monarcha.* Paſſim in eodem libro in hac perſeuerans ſententia ſimilia ſcripſit. Tertia parte Summæ, differens de iudiciaria Chriſti poteſtate, (qui locus infra adducetur) idem voluit. Ad hæc, probemus in Summo Pontifice Regiam poteſtatem reperiri redeuntes ad *Quæſt. 69. art. 4.*
rem propoſitam, longa vſi ſumus oratione in probanda illa aſſumptione, quoniam oppoſitum illius eſt (vt diximus) vnum ex præcipuis fundamentis aduerſariorum. Argumentum eſt hoc. Ea eſt in Summo Pontifice auctoritas, quam Dominus noſter Petro comiſit, cum ad Cælos eſſet aſcenſurus, Vicarium eundem inſtituit, Eccleſiam ei commendando; at hæc poteſtas eſt tum ſpiritualis, tum temporalis: igitur in Papa eſt vna, & altera poteſtas. maior adeo eſt conſpicua, vt omnem prorſus negligat probationis ſpeciem, minor vero facillime probatur. Aſcenſurus ad Cælum IESVS Saluator noſter, cum diſcipulis verba faciens, ait: *Data eſt mihi omnis poteſtas ſiue in cælo, ſiue in terra.* Vt intelligeret & Beatus Petrus, & nos omnes cum illo, quæ poteſtas illi fuiſſet conceſſa, qua ue fungeretur auctoritate Chriſti Vicarius: nimirum, ſpirituali, & temporali, quam habuit Chriſtus, quatenus homo: vt nunc ex Sancto Thoma, Beato Hieronymo, & Patre Auguſtino recitauimus. Confirmemus hæc verbis Nicolai Summi Pontificis, ſcribentis ad Mediolanenſes, vt Can. omnes videre licet. *Petro æternæ vitæ clauigero terreni ſimul, & cæleſtis imperij iura commiſit.* Qui oppoſitam habent ſententiam, huic rationi noſtræ, & confirmationi reſpondent, gloſſando illa verba ex Euangelio Sancti Matthæi adducta, *Data eſt mihi omnis poteſtas ſiue in cælo, ſiue in terra.* ideſt, vt regnem in cordibus fidelium per fidem, vt in Cælo ſum Rex angelorum. Confirmationi autem, dicunt, non inueniri inter epiſtolas Nicolai, id quod citatur a Gratiano, & ſi inuenitur, ſenſum verborum hunc eſſe a Chriſto commiſſa fuiſſe iura cæleſtis, & terreſtris regni. ideſt, Chriſtus conceſſit Petro, vt quod ille ſolueret in terris, eſſet ſolutum in Cælo. alluſitq ad illud verbum, *Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælo.* Neutra iſtarum reſponſionum quidquam prodeſt. Non prima quidem, quoniam, cum duæ eſſent in Chriſto poteſtates ratione huma-

Mat. vlt.

Diſt. 22.

nitatis,

nitatis,& verba illa ſint referenda ad humanitatem, ſecundum quã Rex erat, & ſummus Sacerdos, vt ex Sancto Thoma, Beato Auguſtino,& Beato Hieronymo retro diximus, vtramque hic accipere debemus. Quod ſi, hunc locum interpretando, Sanctus Hieronymus vnam accipit dumtaxat poteſtatem, non tamen inde ſequitur, vt vna & altera in Chriſto non fuerit poteſtas. quod confirmari poteſt, notula illa *Omnis*, vt etiam iuriſperiti aiunt, verificatur ſaltem in duobus, cum dixit *Omnis*, vnam & alteram poteſtatem neceſſe eſt accipere. & ideo ſequitur, *ſiue in cælo, ſiue in terra*, illa alternatiua refertur ad *Omnis*: alter autem dicitur de duobus. Secunda reſponſio duplex eſt. primo negat, deinde reſpondet. Latini dicere ſolent (de Logicis, & Philoſophis loquor) per negationem, & fiduciariam reſponſionem, ſeu per inſtantiam,& fiduciariam reprobationem. apud Ariſtotelem frequens eſt vſus huius vocis, *Inſtantiæ*, pro negatione. Græci dicere ſolent per Enſtaſin & antipariſtaſin. Verum, vt ingenue fatear, negare id, quod tot ſæcula approbarunt, nimis durum videtur. longo vſu temporis lex illa per ſcholas vagata eſt, atque vt Nicolai Summi Pontificis recepta. &, dato quod illius Papæ non eſſet, tamquam Sanctio Pontificia habita, ac recepta, robur habet. Videns forte haſce inſtantias auctor reſponſionis, ſecundam primæ addidit reſponſionem, quæ nec ipſa euertit argumentum. Inquit lex illa, *Aeternæ vitæ clauigero terreni ſimul, & cæleſtis imperii iura commiſit*. Duarum poteſtatum ab inuicem diſtinctarum fit mentio, vt notula illa *Simul* fidem facit apertam: at id, quod ſoluit Petrus in terra, ſit ſolutum, & in Cælo, vnius duntaxat poteſtatis eſt actus, ad ſpiritualem nimirum ſpectans. quare argumentum permanet inconcuſſum. Nouiſſime arguam. Vacante Imperio, Papa vtitur Imperatoris auctoritate: igitur in illo vna,& altera reperitur poteſtas. Antecedens eſt Innocentij huius nominis iij, & Concilij Vienneñſis. Reſpondent nonnulli, Pontificem Maximum ſuccedere non in omnibus, ſed ſolum in auctoritate iudicandi,& condemnandi eas cauſas, quæ à ſolo Imperatore ſolent iudicari, & quæ non patiuntur facile moram. Acu (vt dicitur) rem tetigerunt. concedunt, hac reſpõſione, in Papa eſſe iuriſdictionem temporalem ſupremam, quod paſſim negant. Si Pontifex Maximus habet poteſtatem cauſſas iudicandi ad ſolum Imperatorem attinentes, igitur poteſtas Imperatoria, quæ omnium poteſtatum eſt maxima, & ſuprema, erit in Papa. Atqui, quoniam hoc eſt, quod exiſtit ſumma huius negotij, præſentiſq. diſputationis pars præcipua, & hactenus probauimus, in Chriſti Vicario reperiri temporalem iuriſdictionem, nunc demonſtremus auctoritatem huiuſmodi eſſe omnium ſupremam.

de for. com. c. licet & Cl. de re iu. c. Paſtoralis.

Chriſti

Chriſti Vicarij poteſtatem Regiam eſſe omnium ſupremam, aliaſq. cunctorum Principum auctoritates antecellere.

Caput III.

AGe, qualis nam ſit iſta Summi Pontificis poteſtas, demonſtremus: nimirum, omnium aliarum primam, & ſupremam. Concluſio, ijs, quæ hactenus explicata fuerunt, licet poſſit eſſe fere cōſpicua, nihilominus ſpeciatim hic, tamquam in proprio loco, eſt a nobis demonſtrationibus confirmanda. Harum autem ſit hæc prima. In omni genere neceſſe eſt deuenire ad vnum primum, quod ſit metrum, & menſura aliorum. & acceſſu, & receſſu ab eo & ad illud, cetera iudicanda. Auctoritas, & poteſtas, ſunt vnum genus: igitur in ijs erit deueniendū ad vnam primam, quæ ſit metrum, & menſura aliarum, a qua aliæ iudicentur. Iam vero, cum in Sūmo Pōtifice ea exiſtat Regalis Maieſtas, quæ fuit in Chriſto Domino noſtro: igitur in illo erit apex, & culmen Regiæ auctoritatis: ſiquidem illa maior proculdubio nulla poteſt excogitari. Adhæc, Reges, & Imperatores a Sūmis Pontificibus vnguntur: igitur Papæ auctoritas omnium erit maxima. Antecedēs tum a lege veteri, tum a noua, vires obtinet. primus, qui Rex extiterit populi Dei, fuit Saul: vt ſacra Regum nos docet hiſtoria. Dominus, Samuelem alloquendo, dixit. *Vnges eum ſuper populum meum Iſrael.* Cum vero a Samuele vngeretur, ſic ſcriptum legimus: *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius, & deoſculatus eſt eum, & ait, Vnxit te Dominus ſuper hereditatem ſuam in Principem.* De Dauide loquens Dominus, cum eodem Propheta, quem Dauidē, Saule abiecto, & reprobato, Regem elegerat populi illius, ait: *Imple cornu tuum oleo, & veni, & mittam ad Iſai Betbelemitem.* Et, nonullis interpoſitis, ibidem: *Surge, & vnge eum: ipſe eſt enim. Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius.* Ad hæc, cum, mortuo Saule, Dauid in Hebron Rex eſt agnitus, & receptus: *Vnxeruntque Dauid in Regem ſuper Iſrael.* De Salomone, Dauidis filio: *Sumpſitq. Sadoc Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem, & cecinerunt bucina, & dixit omnis populus, Viuat Rex Salomon.* Sub lege quinetiam Euangelica Imperator, & Rex vnguntur.

1. Re. ca. 9.
1. Reg. c. 16
2. Re. ca. 5.
3. Re. ca. 5.

tur. Conſequentia patet, quoniam, vt dicebat Paulus Apoſtolus, ad ad Hebræos ſcribens, minor benedicitur a maiori, vnctio autem poteſtatem ſignificat. atqui, vti in poteſtatibus ſpiritualibus a maiori minor benedicitur, vngitur, & poteſtatem accipit, ita in temporalibus Imperator, & Rex vnguntur, quia poteſtas illorum a prima, quæ eſt in Summo Pontifice, dependet. Confirmatur Imperialis, & Regalis poteſtas: conſtituuntur, & abrogantur a Summo Pontifice; igitur iuriſdictio, poteſtaſq. Papæ, aliorũ poteſtate eſt maior. Conſequẽtia eſt manifeſta. probatur antecedens. Imperator eligitur, vngitur, & coronatur a Sũmo Pontifice: coronatur, eligitur, & vngitur: eligitur autem aut immediate aut mediantibus Electoribus, ab eodẽ conſtitutis, Qui hoſce inſtituit Electores, fuit Gregorius Pont. Max. huius nominis quintus: vt narrat Platina, Blondus Foroliuienſis, & Nauclerus. quibus ceteri ſcriptores aſſentiunt tempore Othonis Imperatoris quattuor Principes ex laicis, tres vero clericos, Regem Boemiæ, Ducem Saxoniæ, Comitem Palatinum, Marchionem Brãdeburgenſem, Archiepiſcopum Maguntinum, Colonienſem, & Treuerenſem Electores deputauit. Germaniam autem hac dignitate honorauit, vel quoniam Alemani Principes a dura ſeruitute impiorum Romanam Eccleſiam liberarunt, aut quoniam Germanus ipſe quoque Gregorius fuit, Othonis Imperatoris conſanguineus: & tunc temporis gens illa ſumma veneratione Sanctos habebat Apoſtolos. Grati, & memores beneficij accepti Germani, tempore Rodulphi Romanorum Regis, (hoc autem nomine Imperator honeſtatur, quia Imperium a Romano Pontifice pendet) anno domini milleſimo, ducenteſimo, ſeptuageſimo octauo, publica obligationis ſcriptura, illius ætatis Electorum ſigillis ſignata, ob tantum beneficium a Sancta Sede Apoſtolica apud illos poſitum, teſtimonium facere voluerunt. Has litteras non vidi. at, quoniam a Mucio Iuſtinopolitano in illo libello, qui nuncupatur Principum diſciplina lingua domeſtica conſcripto, eaſq. adhuc Romæ extare ipſemet aſſeuerat, ideo ex idiomate vernaculo in Latinum conuerſas, hic apponere decreui. Series litterarum hæc eſt: *Nos Principes Imperij omnibus præſentes litteras inſpecturis. Amplectendo olim Romana mater Eccleſia quaſi germana caritate Germaniam, illam ornauit eo nomine terrenæ dignitatis, quod eſt ſuper omne nomen illorum, qui in terra temporaliter regnant. in ea plantando Principes, veluti arbores præ ceteris electas, ſingularique gratia ditando, dedit eiſdem miræ poteſtatis augmentum. Siquidem Eccleſiæ auctoritate ſuffulti, illorum electione mediante, veluti planta electa cum produceret qui Romani Imperij tractaret habenas.* His conſpicuum fieri arbitror, Germanos fateri auctoritatem eligendi Imperatorem a Summo Pontifice deriuare. aiunt enim, a

In Vi. eiuſ. Bl dec. 2. li. 3. Nauc. gener. 3.

Chriſti

Chriſti Vicario (quæ fuit illius caritas) Germaniam accepiſſe auctoritatem eligendi Imperatorem: qua media apud Germanos eſt Imperialis dignitas. Verum non pigeat & alia inſpicere. *Hoc eſt illud luminare minus in firmamento Eccleſiæ militantis, illuſtratum a maiori luminari Chriſti Vicario.* Hic fatentur, Summo Pontifici Imperatorẽ ſubeſſe, ab illoq. ſplendorem, & gloriam accipere, dicendo, Cæſarẽ eſſe luminare minus, a primo luminari, ideſt a Papa illuſtratum. *Hic eſt ille, qui gladium educit materialem, & reponit ad nutum eiuſdem Pontificis. vt paſtor paſtorum adiutus, illius defenſione ouium tutelam manutenendo ſibi commiſſarum, gladio ſpirituali illas reddat tutas, temporali corrigat, & freno ducat ad vindictam malefactorum, ad laudem autem bonorum.* His verbis iterum iuriſdictionem Imperatoris Summi Pontificis poteſtate fatentur eſſe inferiorem, ad eandemq. fore referendam. aiunt, ideo Imperatorem eligi, vt miles ſit Eccleſiæ, bellaq. gerat ad nutum Summi Sacerdotis, & hunc adiuuet, vt poſſit regere gregem. Quæ ſequuntur, videamus. *Vt igitur omnis materia diſſenſionis, & ſcandali, omniſue occaſio perturbationis animi auferatur, inter Eccleſiam, & Imperium, vt ij duo gladij in Eccleſia Dei cõſtituti, debita vnione ſimul exerceantur in vtilem reformationem vniuerſi. & nos in actu voluntatis, & operationis, inueniamur filij deuotionis, & pacis, qui tenemur fauere tum Eccleſiæ, tum Imperio, quidquid a D. Rodupho Dei gratia Romanorum Rege, D. N. D. Nicolao Papæ tertio, eiuſq ſucceſſoribus fuit recognitum, confirmatum, ratificatum, innouatum, nuperrime donatum, declaratum, aut conceſſum, iuratum tractatum, priuilegijs actum, & omni alia quacunque ſcriptura cuiuſuis tenoris circa recognitiones, ratificationes, approbationes, innouationes, confirmationes, donationes, conceſſiones factas tum ab alijs Imperatoribus, & Regibus Romanorum, eiuſdem* Regis *prædeceſſoribus, quam ab ipſo Rege, ſpecialiter circa fidelitatem, obedientiam, honorificentiam, & reuerentiam, quam reddere debent,* Romani Imperatores, *&* Reges Romanis *Pontificibus, & ipſi Eccleſiæ, & c. Nos in omnibus, & per omnia approbamus, ratificamus, concorditer, & irreuocabiliter cedimus, & promittimus. quod contra res promiſſas, aut aliquam illarum aliquo tempore nunquam contrauenimus, ſed omneis illas, & quamlibet earum, quantum per nos fieri poterit procurabimus inuiolabiliter obſeruare. Atque, vt hæc omnia a nobis* Romanis *Pontificibus, & Eccleſiæ perpetuo obſeruentur, fieri fecimus præſentem ſcripturam. noſtrorum ſigillorum teſtimonio ſtabilitam.* Hæ ſunt litteræ ab illuſtriſſimis, & Excellentiſsimis Imperij Electoribus ſcriptæ, quibus tonſoribus, & lippis (vt inquit adagium) patere poteſt, Imperatoris poteſtatem ſubeſſe Summi Põtificis iuriſdictioni. In Coronatione etiam, præter alia verba, quæ dicuntur a Papa, cum gladius traditur Imperatori, hæc proferun-

tur: *Accipe gladium manu mea, quamuis indigna, ſupra corpus Beati Petri Apoſtoli, vice, & auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum Apoſtolorum conſecratum, tibi Cæſari conceſſum, & noſtra benedictione diuinitus ordinatum, ad defenſionem Sanctæ Matris Eccleſiæ, ad vindictā malorum, & laudem bonorum*. Gladius autem poteſtatem indicat, vt non tantum litteris ab Electoribus ſcriptis, verum Euangelij verbis

Cent. 10. c. 10. efficimur certiores. Apud Magdeburgenſes: *Gregorius, ſuam patriā inſigni aliqua dignitate ornaturus, ſanxit, vt penes ſolos Germanos ius eſſet eligendi Regem, qui poſt Diadema a Romano Pontifice acceptum, Imperator, & Auguſtus appellatur*. Duo hic leguntur. quorum primum eſt, eligendi Imperatorem ius a Summo Pontifice in Germanos deriuare; alterum vero, Diadema, & nomen Auguſti, ab eodem in Imperatorem prouenire. Porro, ſi hæc omnia vera exiſtunt, quæ ſane ſunt veriſſima, qui, obſecro, fieri poteſt, vt non fateamur, auctoritatem Cæſaream, Pontificis iuriſdictioni ſubeſſe: ſiquidem ad illam refertur omnibus modis, ſcilicet in conſtitutione, abrogatione, & moderamine. Hæc ſunt geſtis confirmanda, vt, pluribus actibus, ius hoc eſſe Summi Pontificis, omnibus fiat conſpicuum. Zacharias, Romanus Pontifex, Francorum Regem non tantum facinoribus ipſiuſmet, quam quod Regno eſſet inutilis, depoſuit a Regno, & Pipinum, Caroli Imperatoris patrem, in eius locum ſubſtituit,

15.9.6. De Elect. omneſque Francigenas (vt verbis Pontificis vtar, quæ leguntur c. alius) a iuramento abſoluit. Stephanus, huius nominis Secundus, Imperium a Græcis ad Germanos tranſtulit; vt legimus in cap. per venerabilem. Alexander Tertius Federicum Barbaroſſam pedibus conculcauit, vt ſuperbiam huius Imperatoris proſterneret. Innocentius Quartus Federicum Secundum in Concilio Lugdunenſi priuauit Imperio, in eiuſq. locum ſubrogauit Thuringiæ comitem. Gregorius Septimus Henricum Quartum depoſuit, iuſſitq. eligi Rodulphum Ducem Sueuiæ. Innocentius Tertius reiecit Philippum, Magni Federici Barbaroſſæ filium, & Othonem Brunſuicenſem elegit: quo deinde depoſito, Federicum Secundum eligi mandauit: iterumq. hoc depoſito a Papa, eodem Pontifice iubente, Lantgrauius Thuringiæ eſt electus. Benedictus Vndecimus Luchinum Vicecomitem Mediolani confirmauit, Maſtinum Scaligerum Veronæ, & Vincentiæ Marchionem, Philipinum Gongagam Mantuæ. Martinus Primus Paulū priuauit Imperio, qui a Legatos ab eodem Pontifice ad eum miſſos neglexerat. Innocentius Quartus Luſitaniæ Regi, qui magnus fuit dilapidator bonorum, & prodigus, dedit adiutorem, nec permiſit eum regnare, niſi adminiſtratoris conſilio. His conſpicuum fit omnibus, a Summo Pontifice deponi, priuariq. Imperatores, & e contra eligi; idq. non tantum

ratione eorum quæ attinent ad fidem, verum eorum, quæ ad mores, & ad ius ciuile ſpectant. Huic rei adſtipulantur veteris Teſtamenti paginæ. Exactis Samuelis filijs, Rex populi a Deo electus eſt Saul filius Cis. at voluit Deus, vt a Samuele Rex eligeretur, vngeretur, & declararetur, populoq. ab eodē Rex promulgaretur. Reprobatur Saul, inobedientiæ peccato, ab eodem Samuele, a quo electus fuerat, & vnctus, & populo datus Rex, voluit Deus vt reprobaretur, & Dauid Rex populi eligeretur, & ſanctæ vnctionis oleo vngeretur. Dauidis ſucceſſor Salomon Regno potitur, patre defuncto, a Sadocho Sacerdote vngitur, & Rex acclamatur. Quorſum hæc Deus fieri voluit? Nulla certe alia de cauſſa, niſi, vt pro firmo haberemus, licet omnes poteſtates a Deo proueniant, nihilominus, Summo Pontifice mediante, in homines deuenire, ab illoq. pendere, ad illius quinetiam faſtigium omnes referri. Iam vero, ſi iuſſu Papæ eliguntur Imperatores, ab eodemq. priuantur Imperio, non tantum earum rerum cauſſa, quæ ad fidem attinent, ſed quæ ad mores ſpectant, igitur Summi Pontificis iuriſdictio, ac poteſtas, eſt omnium eminentiſſima. Nullum hic habet locum illa diſtinctio, *Directe, & Indirecte.* Probatum eſt, in illo eſſe poteſtatem Regiam. & bona pars locorum docet, quod vt Summus Princeps hæc fecerit. Electio inſuper Principum ab illo facta, idem confirmat. Reuertamur ad ſuſceptum negotium; &, quæ nuperrime ſunt dicta, confirmando, ſequamur ſeriem rationum, de eadem fidelia duos parietes dialbando. Accipiamus pronuntiatum illud, ſeu dignitatem illam, maiorem a minori non iudicari, ſed e contra, minorem iudicio maioris ſubijci, dignitates autem ob id tales appellantur, quoniam vt animaduertit Themiſtius, Theophraſtum ſecutus, dignæ ſunt, vt ab omnibus illis adhibeatur fides. hæc vero, quam accepimus, eſt dignitas in lege Pontificia approbata, & ab omnibus in ea verſatis recepta, vt multis in locis lectione conſequi poſſumus. Hoc iacto fundamento, ita arguamus. Imperator, & Reges a Summo Pontifice iudicantur. igitur Papæ auctoritas, & iuriſdictio omnium eſt eminentiſſima. Conſequentia eſt manifeſta: probatur antecedens auctoritate Zepherini martyris, atque Pontificis, qui præfuit Eccleſiæ, tempore Antonini: cuius ſententia refertur cap. ad Romanam. Is ſanciuit, ad Romanam Eccleſiam ab omnibus, & maxime ab oppreſſis appellandum fore, & concurrendum quaſi ad matrem, vt eius vberibus nutriantur, auctoritate defendantur, ab eorum oppreſſionibus releuentur, quia non poteſt, nec debet mater obliuiſci filium ſuum. Appellatio autem, nil aliud eſt, quam remedium iuris, quo ſuccurritur oppreſſo in tribunali contentioſo, & ordine iudiciario, quo quis oppreſſus

Pri. poſt. cap. 5

d. 22. ca. 1. 42. q. 7. c. non ſi §. ſicut enim. 2. quæſt. 6.

l. 1. ff. de Appell.

ſus ab inferiori iudice, licet ei recurrere ad ſuperiorem. At ordo iſte iudiciarius, quo ſubuenitur oppreſſo in ordine iudiciario appellatione, locum habet dumtaxat in foro exterioris iudicij, vbi lis eſt inter hominem, & hominem. Iam vero, cum in hiſce iudicijs ſupremum gradum obtineat Summus Pontifex, igitur auctoritate omnium eſt eminentiſſimus. Nullum hic poſſumus aſſignare locum diſtinctioni illi, *Directe, & Indirecte*. Generice loquitur de omnibus, & de poteſtate iudiciaria in foro contentioſo martyr Zepherinus: vultque, a Papa, tamquam omnium iudice, aliorum cauſſas fore iudicandas. quod minime facere poſſet, niſi in eo eſſet collocatum auctoritatis, & poteſtatis faſtigium. Ad hæc, accipiamus argumentum ab ijs, qui ſunt contrariæ opinionis: & confirmemus hanc noſtram poſitionem. Innocentius Tertius, vir ſanctitate, & doctrina clariſſimus, Chriſti Vicarius, in capite Solitæ aiebat, *In firmamento Cæli, hoc eſt vniuerſalis Eccleſiæ, fecit Deus duo luminaria magna, ideſt duas inſtituit dignitates, quæ ſunt Pontificalis, & Regalis. harum quæ præeſt diebus ſpiritualibus ſcilicet, maior eſt, ac dignior ea, quæ temporalibus præficitur, vt, quanta eſt inter Solem & Lunam, tanta inter Papam, & Imperatorem cognoſcatur differentia*. Feliciſſime explicat Summus Pontifex hac ſanctione eminentiam Pontificiæ dignitatis. Varia ſunt in Cælo ſidera præter ea, quæ paſſim Planetas dicimus, ac inter ſe diuerſa. Aſpiciamus octauum orbem, varijs imaginibus cælatum, (cælum enim a cælatura dicitur, vt Varro docte animaduertit, vt puta quoniam imaginibus, & luminibus veluti eleganti cælatura ſit ſignatum, non autem a Celando vt quibuſdam arriſit, quoniam nobis celet, & abſcondat Deum Optimum Maximum, ac mentes illas beatas. Ii quidem, cum ſint incorporeæ illæ ſubſtantiæ, ab omniq. concretione materiæ immunes, ſuapte natura ſunt etiam inuiſibiles) hæc ſidera fulgent lumine. fulgent & planetæ, ac illa, quæ in circulo ſunt ſporadeo, a quibus via lactea producitur, a Græcis Galaxia nuncupata, (qua in re non aſſentior Ariſtoteli, aſſerenti, Galaxiam ex eadem conſtare materia, ex qua conſtat Cometa, & ab ijſdem principijs prouenire) hæ autem, cum minuta ſint, nimis a nobis non inſpiciuntur, in illorum autem cognitionem deuenimus a lumine illo refracto, quod in octauo cernitur orbe, nomine Lactis appellato. Omnia ſidera, quæcumque exiſtant, a Sole lumen accipiunt. Non eſt, cur longa vtar oratione, quomodo omnia ſidera a primo lumine, a Sole ſcilicet, qui eſt fons, origo, & principium luminis, lumen habeant; an ſcilicet totum, an partem luminis, an ve omnibus hoc ſit commune; an ve commune ſit hoc omnibus, vt totum recipiant lumen, an vero Lunæ dumtaxat hoc ſit proprium. hoc dicam tantum, ab omnibus philoſophis con

De ma. & ob.

cedi,

cedi, ſaltem luminis incrementum ſidera omnia octaui orbis recipe a Sole, Iouis, Saturni, Veneris, Mercurij,& Martis ſtellam,& ipſam quoque huiuſmodi luminis accretionem a Sole mutuo accipere: Lunam vero, cum ſit omnium ſiderum fęx, & excrementum quoddã, totum accipere. Innocentius Papa Pontificiam auctoritatem Soli, Cæſaris autem poteſtatem Lunæ ſimilem facit. Sol, vt diximus, fons, & origo luminis, ſideribus omnibus lumen elargitur. Variæ ſunt hominum poteſtates a Deo datæ, diuerſæq. auctoritates: quæ omnes a Summa poteſtate pendent, ab illa ve lumen recipiunt, vt ſidera a Sole. Temporales iuriſdictiones, ſiue ſint ab electione, ſiue hereditario iure, ſiue alio modo, omnes ad illam primam referuntur, illiq. attribuuntur. quare, ſi Innocentij verba perpendemus, in hanc pro culdubio deueniemus ſententiam. adeo, vt liceat, argumentum aduerſariorum reflectendo, illorum demoliri ſententiam, noſtramq. ſtabilire. ea eſt proportio inter Summum Pontificem, & Imperatorem, quæ eſt inter Solem, & Lunam: ſed Sol præſtantior eſt valde, ac eminentior Luna: & hæc ab illa mutuat ſplendorem, & lucem, igitur Papa eſt eminentior Imperatore,& Imperatoris auctoritas a Summo Pontifice pendet. Id etiam ſibi voluit Bonifacius Papa in illa lege ſacra, vbi elegantiſſime docuit, omnia, quæcumque ſunt, Chriſti Vicarij poteſtati ſubijci oportere. Id autem vt commodius efficiat, aſſumit primo illud tamquam baſim, ac fundamentum, Eccleſiam Dei ſcilicet eſſe vnam, vno ſpiritu regi debere, vnumq. corpus illius eſſe, vnam primam poteſtatem, cui ceteræ ſubduntur omnes auctoritates. atque, veluti in corpore omnia membra ſubſunt capiti, ita plane in Eccleſiá, capiti noſtro, Chriſti Vicario, nos, vt membra corporis, quod eſt Eccleſia, vitam habeamus, neceſſario ſubdimur. Hoc comprobat argumento accepto ab arca Noe, diluuij tempore, in qua homines, & bruta, quæ in illa vniuerſali aquarum inundatione non perierunt, ſeruarunt vitam. Ita in Eccleſia vnico nauclero, vno ſcilicet Chriſti Vicario, nauim regente, ſcopulos, & ſyrtes euitamus. Vnum igitur corpus, huiuſq. corporis vnum caput, non duo capita. Quod Dominus, Petro committens oues, etiã nos monuit, dicendo, *Paſce oues meas*, vniuerſas intelligendo. Quare, ſiue Græci, ſiue alij dicunt, Petro, eiuſque ſucceſſori non eſſe commiſſos, neceſſe eſt, vt fateantur de ouibus Chriſti non eſſe, Domino aſſerente, vnum eſſe ouile, ac vnum paſtorem. Ceterum, quoniam duæ ſunt in Eccleſia poteſtates, quarum vna ab altera diſtat, ſpiritualis nempe, ac temporalis, & Pontificis munus eſt, cæleſtibus operam dare; ne quis ſuſpicetur hanc ob cauſſam ab Eccleſia auferri vnitatem, reſpondet ille, has duas poteſtates ita ſe habere, quod vna alteri ſub eſt. Sic enim requirit ordo, vnam ab Eccleſia exercen-

dam

dam, alteram vero ad nutum Eccleſiæ. perinde ac ſi dixiſſet, licet ſint diuerſæ, & diſtinctæ in Eccleſia hæ poteſtates, Chriſtiq. Vicarij interſit, cæleſtibus eſſe intentum, non autem arma tractare, nihilominus adeo ſpiritualibus præeſt, vt etiam temporalia ei ſubdantur: quoniam ad nutum illius, temporalis eſt exercenda. Vide as, obſecro, non dixit, Ad imperium, ſed, Ad nutum. Principes iubent, mandant, imperant; Deus, qui omnium eſt Dominus, nutu imperat.

Dixit, & nutu totum treme fecit Olympum:

Virg. Scripſit ille Poeta. Quod ſi ad nutum Papæ temporalis poteſtas eſt exercenda: ergo ad eius imperium: ergo in eius eſt poteſtate, quod enim imperet nutu, poteſtatem eius, cui fuit iuſſio, ſubeſſe auctoritati imperantis, ſignum eſt euidentiſsimum. Iuriſdictio igitur Cæſarea, & Regalis huic ſubiectæ erunt. Verum proſequamur lectionem, & videbimus adhuc hæc magis manifeſta. *Certe, qui in poteſtate Petri gladium eſſe negat, male verbum attendit Domini proferentis, Conuerte gladium tuum in vaginam. Vterque ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritualis ſcilicet, gladius, & materialis: is quidem pro Eccleſia, ille vero ab Eccleſia exercendus; ille* Sacerdotis, *is manu* Regum, *& militum, ſed ad nutum, & patientiam* Sacerdotis. Perſeuerat in re dilucidanda, & roboranda. Ait, vtramuis poteſtatem exiſtere in ſummo Pontifice, quem nomine Eccleſiæ appellat, dum inquit, Alter ab Eccleſia: probatque id verbis SALVATORIS, dicentis Petro: *Conuerte gladium tuum in vaginam.* & dicit, *Qui negat vtrumque gladium eſſe Vicarij Chriſti, male verba conſiderat Domini.* Ponderandus eſt locus. apparebit namque, in Summo Pontifice apicem temporalis auctoritatis exiſtere. Ex Euangelio Diui Lucæ verba ſunt adducta, dicentibus Apoſtolis, *Ecce duo gladij hic.* Reſpondit Dominus, *Sufficit.* Beatus Pater, & cum illo Diuus Bernardus exponunt, duas poteſtates. nec immerito. Proximus erat morti Dominus: & iccirco, quæ venturæ erant perturbationes in Eccleſia, quibus ve illis neceſſaria erant, diſcipulos monebat. Verba facit de ſoliditate Sedis Apoſtolicæ, de illius inconcuſsione, de inuaſione Sathanæ, de tuto munimine Petri, & de neceſsitate vtriuſque poteſtatis in Eccleſia. Vna, & altera in Chriſto erat, cum viueret, atque nobiſcum conuerſaretur: nihil eis tunc defuit: morte intercedente, abſens erat futurus. abſente illo, nil etiam ipſis erat defuturum: quia vtraque poteſtas in Eccleſia pro regimine, munimine, & conſeruatione eius debebat perſeuerare. Petrus, & Petri ſucceſſores vicem Chriſti debebant gerere. Hæc omnia ibi meminit

Saluator, dum gladios duos ſufficere dixit. Nomine igitur, Gladij, accipere debemus poteſtatem, vnus gladius latens, alter patens; vnus ſpiritualis, alter temporalis; ille ad animam, hic ad corpus attinens. Primum in Petri manu eſſe nullus negare poteſt; ſecundum etiam in eiuſdem Petri eſſe poteſtate, verba Saluatoris nos docent; dum inquit, *Conuerte gladium tuum in vaginam*. Pronomen illud poſſeſſiuum, *Tuum*, gladium hunc Petri eſſe, manifeſte indicat: ſi quidem ea, quæ à nobis poſſidentur, noſtra exiſtunt, noſtræ ve dubduntur ditioni. *Tuum* dixit Dominus, Petrum alloquendo, indicans, in Petro, ac Petri ſucceſſoribus eſſe talē poteſtatē. Nec ab hac diſſenſit ſententia Sanctus Bernardus, ad Eugenium ſcribens, dum dixit: *Quid denuo vſurpare gladium tentas, quem ſemel iuſſus es reponere in vaginam?* (loquitur de gladio temporali) *quem tamen qui tuum eſſe negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini, dicentis ſic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo, & ipſe forſitan tuo nutu, & non tua manu euaginandus, alioquin, ſi nullo modo ad te pertineret, dicentibus Apoſtolis, Ecce duo gladij hic, non reſpondiſſet Chriſtus, Satis eſt, ſed, Nimis eſt.* Non negat, gladium hunc eſſe Petri, ſed gladij vſum non conuenire admodum perſonæ Summi Pontificis, qui, altioribus, ac dignioribus intentus, non debet, illis relictis, hiſce operam nauare, quæ minoris ſunt dignitatis, a quibus ve, vt fieri debet, abſtinere, vt cæleſtibus diligenter poſſit vacare. Reuertamur ad ſermonem noſtrum, & ad Saluatoris noſtri verborum examen. Dixit Dominus Petro, *Conuerte gladium tuum*. Non dixit Proiice: non dixit, Alteri committe: ſed, *Conuerte in vaginam*: vt confirmaret, auctoritatem hanc temporalem Petri eſſe, & apud illum permanere. Si omnino fuiſſet a Chriſti Vicario diſiuncta, ab illo ve omnino abiuncta, non dixiſſet, *Tuum*, non dixiſſet, *Conuerte in vaginam*; ſed, Proiice; vel, Alteri committe. Qui negant, in Summo Pontifice poteſtatem temporalē reperiri, reſpondent, nullum hic fieri poteſtatis mentionem, ſed dūtaxat, diſcipulos moneri, anguſtijs adeo circūuallandos fore, vt tunicam vendant, ad emendū gladium, quemadmodum ijs vſu ſolet euenire, qui inimicorum obſidione ſe circūcingendos fore præſentiūt. myſtice autē exponi verba illa tum a Sancto Bernardo, tū a Beato Pōtifice. Miror, hos doctores ſic reſpondere, non quidem quod reſponſio ſit doctrinæ expers, ſed quoniam, dum ipſi probare conātur, quod in Papa ſæcularis dignitas nō reperiatur, vtuntur Pontificis Innocentij lege, interpretantis ea, quæ a Moyſe de Sole, & Luna ſcripta fuerunt myſtice. Tota illorum vis rationis innititur ſenſui myſtico. attamen nunc haud facile admittunt hunc arguendi modum, ſenſum myſticum includentem. Optima eſt ratio, & habet firmas vires. Licet enim Sancti Bernar-

Lib. 4. de Conſi.

di deberet ſufficere auctoritas, qui fuit pater tantæ Sanctitatis, nihilominus Bonifacij Papæ interpretatio omnem ex mentibus aufert ſcrupulum. Summus Pontifex habet auctoritatem eminentem, quæ ſunt in diuina lege, interpretandi: & ideo declarationibus eius contenti eſſe, & acquieſcere debemus. Ait ipſe, Diuinis edoctus oraculis, vtrumque gladium, vtramque poteſtatem nobis indicare: & icirco, licet myſticus ſit ſenſus, non licet tamen ab eo diſcedere. Verum, obſecro, quod ipſi pro tutela propria adducunt, idē permittant in aliorum eſſe adiumentum: &, quod eis licere arbitrantur, ab alijs alienum nolint exiſtere; iter, quod ipſi calcant, commune ceteris non obſepiant, & intercludant. Eſt igitur in manu Summi Pontificis vna & altera poteſtas, & apex vtriuſque: vt retro demonſtrauimus. & confirmatur, arguendo iterum ratione ab aduerſarijs ſumpta, quæ colligitur ex doctrina Innocentij Papæ, & refertur c. per venerabilem. Rogatus Chriſti Vicarius a quodam, qui, legitima vxore excluſa, aliam ſuperduxerat, de qua ſuſceperat filios, vt hoſce legitimationis gratia honeſtaret, Pontifex Romanus, gratiam negando, nonnulla diſcutit de apice dignitatis temporalis propriæ, eo conſilio, vt videre videor, ne, cum eam negaſſet, quis poſſet ſuſpicari, id fuiſſe factum, eo quod Chriſti Vicarius auctoritatem haberet anguſtis limitatam terminis. Habet hæc verba: *Rationibus igitur his inducti, Regi gratiam fecimus requiſiti, cauſſam tam ex veteri, quam ex nouo Teſtamento trahentes, quod non ſolum in Eccleſiæ patrimonio, ſuper quo plenam in temporalibus gerimus poteſtatem, verum etiam in alijs regionibus, certis cauſſis inſpectis, temporalem iuriſdictionem caſualiter exercemus. non quod alieno iuri præiudicare velimus, ſed quia, ſicut in Deuteronomio continetur, Si difficile, & ambiguū apud te iudiciū eſſe proſpexeris, inter ſanguinem, et ſanguinē; cauſſam, & cauſſam; lepram, & lepram; & iudicium intra portas videris variari, venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quæcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, ſequeriſq. eorum ſententiam: qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, decreto iudicis morietur.* Hæc adducit Pontifex veritatis illuſtrandæ gratia. quibus non contentus, ſtatim accingit ſe ad horum interpretationem. Primo accipit verba illa, *Loco, quem elegerat Dominus*: & inquit, hunc locum eſſe Apoſtolicam Sedem, hanc inquam eſſe, quam Dominus elegit. Etenim, cum Apoſtolorum princeps Roma, fugiendo, exiuiſſet, volens Dominus ad locum, quem elegerat, reuocare, ab illo interrogatus, *Domine, quo vadis*, Reſpondit, *Venio Romam iterum crucifigi*. Quæ verba intelligens Beatus Petrus pro ſe fuiſſe dicta, ſtatim eſt reverſus

Ex. qui ſi ſi leg.

uerſus. Leuiticos Sacerdotes interpretatur fratres ſuos, Illuſtriſſimos, ac Reuerendiſſimos Cardinales, qui ei iure Leuitico in executione Sacerdotalis officij exiſtunt coadiutores. Papa autem Sacerdos, cui Pontifici dictum fuit a Domino, Petrum alloquente: *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis*. Vicarius Chriſti conſtitutus eſt iudex viuorum, & mortuorum; qui eſt Summus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Tria etiã diſtinguit iudicia, ciuile ſcilicet, criminale, & medium inter hæc: & concludit, vbi aliquid dubium oritur in ijs, ad Romanum Pontificem confugiendum fore, qui omnia iudicet. &, Iuriſdictionem Papæ omnium aliarum temporalium eminentiſſimam eſſe, manifeſtè aſſerit Beatus Innocentius, & cauſſas omnes, ſiue temporales, ſiue ſpirituales, a Sede Apoſtolica dijudicandas, ac decernendas. Confirmat Paulinis verbis ad Corinthios: *Neſcitis, quoniam angelos iudicabitis, quanto magis ſæcularia?* 1. cap. 6. Verba Papę non ſunt ſilentio prætereunda. Inquit: *Beatus Paulus, etiam, vt plenitudinem poteſtatis exponeret, ad Corinthios ſcribens, ait: Neſcitis, quoniam Angelos iudicabitis, quanto magis ſæcularia?* Concludit tandem Innocentius, omnes cauſſas, tam criminales, quam ciuiles, ac ad animam ſpectantes, eſſe fori Papæ, illumq. habere poteſtatem & tum in Patrimonio Beati Petri, tum in aliorum Principum ditionibus caſualiter illam exercere. Ex qua lege Pontificia hæc colliguntur. Primum eſt, illud verum eſſe, quod dixi initio huius diſputationis, nimirum, poteſtatem Papæ eſſe ſuper omnes alias: cum in ditionibus aliorum Principum, vbi caſus euenerit, poſſit exerceri. ait, Papa non tantum in Beati Petri Patrimonio, verum in alijs ditionibus caſualiter exercere poteſt propriam auctoritatem. Ideo dixi, ſi vſum ordinarium huius poteſtatis conſideremus, in patrimonio Beati Petri eſſe; at, ſi caſualiter conſideretur vſus huius auctoritatis ſane in omnibus locis locum habebit. Ad hæc dixi, Principes libere poſſe exercere iuriſdictionem propriam, liberoſq. eſſe in propria iuriſdictione: nihilominus inde non ſequi, quin illorum poteſtas habeat ſuperiorem poteſtatem, a qua & ipſi, & ceteri poſſint iudicari. Hæc omnia illinc poſſunt facillime colligi. Quinetiam elicitur, falſum eſſe, ad Papam vt Papam, vt Summum Sacerdotem, non attinere iudicia temporalium rerum. Probat hoc Innocentius, oſtendens, omnia iudicia, ſiue ciuilia, ſiue criminalia, ſiue inter hæc media, ad Summum Pontificem attinere, eiuſq. munus eſſe, omnia iudicia facere: idq. lege Deuteronomij comprobat, ac verbis Diui Pauli, dicentis: *Si ſpiritualia iudicabitis, quanto magis temporalia?* Summus Sacerdos, vt talis, iudicat ſpiritualia: igitur, vt talis, etiam temporalia. Probatur hoc, quia nulla limitatione, nulla ve appendice, ad eandem

ait ſpectare poteſtatem, ſeu ad eundem Sacerdotali poteſtate fungentem, temporalia, & ſpiritualia iudicare. Nec poſſumus hic dicere, quod indirecte hæc verba ſint intelligenda, tum ratione nunc dicta, tum quoniam æquiuocatio eſſet in verbis, illaq. nimis extorquerentur, eſſet æquiuocatio, quoniam dicens Apoſtolus, *Neſcitis quoniam Angelos iudicabitis, quanto magis ſæcularia*, ſi reſpiciendo res ſpirituales directe iudicium eſſet intelligendum, reſpectu autẽ ſæcularium indirecte verbum *Iudicabitis* omnino erit æquiuocum. Infertur etiam vis verbis: ſiquidem ait Apoſtolus Paulus: *Neſcitis, quoniam Angelos iudicabitis, quanto magis ſæcularia?* Arguit a maiori ad minus, vt logici dicunt, affirmatiue, dicens, Si ſpiritualiũ poteſtis afferre iudicium, multo magis temporalium. Notula illa *multo magis* denotat, quod, ſi directum illis conuenit iudicium rerum ſpiritualium, multo magis temporalium. quòd ſi directe intelligamus, res ſpirituales iudicandas fore a Summo Pontifice, & temporales indirecte, non multo magis, ſed minus, iudicabuntur. Conſentanee colligitur falſum eſſe, quod Papa vt Papa non poſſit condere leges temporales, etenim, ſi Summi Sacerdotis, vt ex lege Deuteronomij iam demonſtratum fuit, ſunt omnia iudicia, ſiue ciuilia, ſiue media, ſiue criminalia ſint, & ad eũ ſpectant, in omnibus ijs ius dicendo determinabit, legeſq. promulgabit. Pontificij iuris interpretes, ac Cæſarei idẽ volunt. Bartholus adeo noſtræ adhæſit ſentẽtiæ, vt l. 2. §. præſides, ff. de requirendis reis dixerit, oppoſitam opinionem hæreſim
96. Diſ. eſſe. Oldradus conſil. 81. Paulus de Caſtro l. non ambigitur, ff. de legibus. Innocent. Hoſtien. in cap. nouit de iudic. quos ſecuti ſunt Petrus ab Ancharano, Antonius a Butrio, Panor. Im. Andreas Siculus, Felin. & Dec. Hoſtiens. Panor. Præpoſ. communiſq. eſt opinio, cap. cauſſam quæ. qui fi. ſi. le. Archi. & Cardi. Alex. in c. quoniam io diſtin. & Alex. cap. cum ad verum. Prieras verbo Papa. q. 10. & 11. Io. Seleſtadien. in quadriuio 1. par. col. 1. Hiero. Balbus, de Corona. Im. Panor. vt finem imponam Innoc. & Im. in cap. ſi duobus. §. denique, de appella. conſtanter aiunt, eſſe communem opinionem. Atqui, quoniam hactenus probauimus, hanc poteſtatem eſſe omnium eminentiſſimam, adiecimuſque, latam eſſe, vt omnes comprehendat latitudines, id nunc diligentius eſt inquirendum, ac aperiendum.

Latitudo

Latitudo Poteſtatis temporalis in Summo Pontifice exiſtentis.

Caput IV.

NOn erit forte facile, propoſitæ quæſtionis veritatem di-
lucidare. ratio, & non mediocris, eſt contrarietas gra-
uiſſimorum virorum. Cum enim de vna & eadem re,
contrarias doctorum, qui de ſtudijs bonarum artium
benemeriti ſunt, videmus ſentẽtias, ibi iudicium pro-
ferre, haud facile erit. Ambroſius Catharinus loco, quem citauimus
retro, Sanderus, Sotus pater venerabilis, atque cum ijs nonnulli
alij, aſſerentes, in Papa non eſſe rerum temporalium poteſtatem,
quod ſi aliqua in eo reperitur, vt dicebat Catharinus, eam habet ve
lut homo vnus ex nobis, (eſt enim Vicarius Chriſti, regnum autem
Chriſti conſiſtit in ouium paſtura, non autem in bonis temporali-
bus) nullam prorſus admittunt huius poteſtatis latitudinem. Rem
hanc nonnulli confirmantes, aiunt, ſceptrum, phrygium, & iuriſ-
dictionem Summum Pontificem accepiſſe a Conſtantino: vt legi-
mus cap. Conſtantinus, quem locum ſupra retulimus. E regione
Aluarus de planctu Eccleſiæ, Beatus Antoninus, Auguſtinus Anco- 96
nitanus, ac cum iſtis doctores illi, quos in calce capitis præteriti ad-
duximus, tantam eſſe huius poteſtatis latitudinem aſſerunt, quan-
ta eſt totius orbis. quam poſitionem conantur rationibus ſtabilire,
ſic arguendo: Chriſtus plenam habuit totius, orbis omniſq. creatu-
ræ iuriſdictionem: igitur, & Vicarius illius Summus Pontifex.
Probatur conſequentia. Eam plane auctoritatem Dominus reli-
quit Vicario ſuo, quam ipſe habuit, dum eſſet nobiſcum: at hæc
fuit pleniſſima totius orbis: igitur & illa, quæ eſt in eius Vicario.
Antecedens, licet ijs, quæ retro fuerunt dicta, ſatis ſit conſpicuum,
nihilominus adhuc noua ratione probatur, probationem accipien- *Cap. 1.*
do a Beato Ioanne in Apocalypſi. vbi Apoſtolus ille teſtatur, Do-
minum IESVM CHRISTVM Saluatorem noſtrum eſſe
Regem Regum, & Dominum Dominantium. Et alibi, Regem *4.q.4.ar.1.*
Principum terræ exiſtere, legimus. Non me latet, Sotum de Iuſtit.
& Iure alio ſenſu locum hunc interpretari: verum noui e-
etiam, dum negat, in Chriſto fuiſſe rerum temporalium regnum,
huc, & illuc nauem impellendo, vndis agitatum, nec litus
appel-

appellere poſſe, nec in portum ſe recipere. Inquit ille: *Ceterum, quantum ad ſæcularem poteſtatem, contrarium arbitror videlicet, quatenus hominem non fuiſſe Regem, non quod non potuit, erat quippe Deus, ſed quia neque eum decuit, neque ſubinde voluit*. Hæc venerandus ille Theologus: a quo petendum eſt, Si potuit, cur non decuit? cur noluit? & , ſi in ſuppoſito illo erat, vt veriſſime erat, diuina, & humana natura, ibi etiam dignitas Regalis non tantum Regni æterni, verum etiam temporalis aderat: vt ſupra, ni fallor, ſatis fuit demonſtratum: idq. probatũ fuit ex ſancto Thoma, qui, de regimine Principum ſcribens, paſſim id aſſerit. Qui etiam non tantum locis adductis, ſed

q.69.art.4. & tertia par. Sum. hanc eandem habuit ſententiam. Diſputans de iudiciaria poteſtate Chriſti, arguendo, quod talis poteſtas non debeat ei conuenire, hanc conficit rationem. Lucæ 12. negauit Dominus iudicium adoleſcenti, qui de communi diuidundo, & familiæ herciſcundæ, vt verbis Iure conſultorũ vtar, eum rogabat. igitur non fuit in eo poteſtas rerum humanarum. Huic rationi occurrens Sanctus Thomas, ait: *Ad primum ergo, dicendum, quod, ſicut dictum eſt, iudiciaria poteſtas conſequitur* Regiam *dignitatem. Chriſtus autem, quamuis eſſet Rex conſtitutus a Deo, non tamen, in terris viuens,* Regnum *temporaliter adminiſtrare voluit.* Admittit his verbis Beatus vir, in Chriſto fuiſſe Regiam poteſtatem rerum temporalium, dicens, huiuſmodi iudicium ſequi Regiam poteſtatem: quæ quamuis eſſet in Chriſto, illam tamen exercere noluit. Non negat hanc poteſtatem, cum debuiſſet illam negare, ſi fuiſſet oppoſitæ ſententiæ: ſed ait, Dominum noluiſſe eam exercere. Exercitium ſuppônit poteſtatem: vſus auctoritatis ſupponit auctoritatem. dicendo, quod noluerit hanc poteſtatem Regiam rerum temporalium exercere, quamuis a patre eſſet conſtitutus Rex, affirmat, huiuſmodi poteſtatem in illo extitiſſe, licet vſum eiuſdem neget auctoritatis. Reuertamur ad probationes, & vltimam hanc ceteris addamus, pro ſtabilienda ſententia eorum, qui volunt, Summũ Pontificem totius orbis habere poteſtatem. Chriſtus, Vicarium inſtituendo, eam dedit illi auctoritatem, quam habebat, cum a mortuis reſurrexit: at hæc fuit pleniſſima, ſiue in terra, ſiue in cælo: igitur habebit pleniſſimam poteſtatem Chriſti Vicarius, ac totius orbis Quare concludunt iſti, Papam totius orbis eſſe dominum. Ego, vt ingenue fatear, quemadmodum nũquam priorem doctrinam ſum amplexus, ita etiam hanc poſtremam declarationis eſſe indigentem ſemper exiſtimaui. Quod enim Papa non habeat iuriſdictionem temporalem vt Papa eſt, dici non poteſt, niſi a veritate velit quis diſſidere. Quod vero totius orbis ſit Dominus, vſus non approbat. Ad hæc, verborum æquiuocatio parit confuſionem, & ignorantiam. Quare in hac materia duo

mihi

mihi nunc ſunt agenda. nomina ſunt diſtinguenda pro euitanda igno ratione, ac confuſione: limitationeſq. ſunt aſſignandę, vt res poſſit eſſe conſona veritati.

Poteſtatis Summi Pontificis in ſuas ſpecies diuiſio. Deq. nomine Papæ. Caput V.

VT facilius, quæ ſunt propoſita, digerantur, & digeſta exponantur, a Chriſti ordiar poteſtate. hac namque haud negligenter cognita, faciliori negotio, quæ ſuperſunt, fient conſpicua. Dicamus igitur, in Chriſto duplicem fuiſſe auctoritatem, vt ex duplici portione compoſitus eſt mundus, ſiue paruus, ſiue magnus; paruus, ex anima & corpore; magnus, ex elementari, & cæleſti parte compactus. Altera poteſtas ad animam, altera ad corpus attinet: illa hac tanto præſtantior, quanto anima corpus vincit nobilitate. ambæ abſolutiſſimæ, ambæ perfectiſſimæ, adeo, vt omnes homines, & actiones illorum, Saluatoris noſtri poteſtati ſint ſubiectæ. Hui dicet aliquis: Quæſo, qui fieri poteſt, vt omnes homines, & actiones illorum, ſubijciantur poteſtati Chriſti? Quoniam, ſi de ſpirituali loquamur, innumeri propemodom ſunt homines, qui, barbarie quadam inculta, beſtiarum more viuunt, & numeroſa multitudo, quæ aliena a veri Dei cultu veneratur Idola. ſin autem de temporali ſit ſermo, Dominus humilem ortum habuit, pauperemq. geſſit vitam. Reſpondeo, Sanctum Thomam præceptorem ſecutus, quæſtione, & articulo nouiſſime adductis, latum eſſe diſcrimen, loqui de Chriſti poteſtate, & de vſu, ſeu, vt dicunt, de executione poteſtatis. Chriſti poteſtati in ſe conceptæ, vt ſcilicet a patre eam accepit, & homines omnes, & illorum actiones ſubduntur. nullus eſt homo viuens, nulla ve humana actio, quæ tantam effugiat poteſtatem. at, ſi conſideremus eius vſum, & executionem, rem ſecus ſe habere, comperiemus. Non enim deſunt, qui, Sacramentorum charactere, ſignoq. fidelium carentes, ad Idola ſunt conuerſi. quare latum eſt diſcrimen, conſiderare hanc poteſtatem in ſe conceptam, & illam concipere, vt eſt in vſu, & executione. In Chriſto fuit Regia poteſtas, licet vſus in illo non fuerit. veluti, ſi Princeps artem horologia conficiendi optime nouerit, licet eam non exerceat. In Saluatore fuit Regia poteſtas, licet ea non fuerit vſus, vt dicebat Angelicus doctor, & Pater Ambroſius in Sanctum Lucam, explicans verba illa:

Quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem inter vos? Inquit magnus iſte pater: *Bene terrena declinat, qui propter diuina deſcenderat, nec iudex dignatur eſſe litium, & arbiter facultatum, viuorum habens, mortuorumq. iudicium, arbitriumq. mortuorum. Non ergo, quid petas, ſed à quo poſtules, intuendum eſt: nec coram maioribus intento animo putes obſtrependum. Vnde non immerito refutatur iſte frater, qui diſpenſationem cæleſtium geſtiebat corruptibilibus occupare.* Sic ſcripſit magnus ille pater. Fuit igitur in Saluatore noſtro Regia poteſtas, licet illam noluerit exercere præſtantioribus intentus. Venit Dominus, vt conderet Eccleſiam, nouam legem, nouoſq. ritus, ac noua Sacramenta inſtitueret, noua faceret omnia, ſeneſcentem mundum reſtauraret. Ne autem aut mundano ſplendori, diuitiarum opibus, ac vi Regnorum, hæc aſcriberentur, pauperem elegit ortum, & pauperem geſſit vitam. Regnum temporale ob id exercere recuſauit. hac eadem de cauſſa abiectos, humiles, indoctoſq. viros primordia Eccleſiæ fundamenta, & columnas eſſe voluit, ne mundi viribus, aut humanæ ſapientiæ, & eloquentiæ, aliqua ratione tantum opus poſſet attribui. His adduntur ea, quæ docet Sanctus Thomas de Regimine Principum, nimirum, Dominum hanc elegiſſe vitam, licet eſſet Rex, vt fideles ſui exemplo excitaret ad operandum ſecundum virtutem, cuius via aptior eſt humilitas, ac mundi contemptus, tum etiam, vt doceret Principes humilitatem, per quam quis redditur in regendo gratioſus. vnde illud: *Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.* Eoque magis in Principe eſt neceſſaria humilitas, quanto per eminentiam ſui ſtatus dentibus inuidiæ ægre ferentis ſuperiorem, laceratur. Harum rerum Dauid haud neſcieus, vxori Michol, inſultanti, quod nudus coram arca Domini ſaltaſſet, reſpondit: *Ludam ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum & domum eius, & præcepit mihi, vt eſſem dux ſuper popolum domini Iſrael, & Iudam, & vilior fiam pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis.* Quam regulam ait Sanctus Thomas voluit ſeruare Chriſtus. & ideo de illo ſedente ſuper aſinam dixit Propheta: *Ecce, Rex tuus venit manſuetus.* Addens idem doctor, humilem vitam elegiſſe, ad inſinuandam differentiam inter ſuum, & aliorum Principum dominium, quamuis enim eſſet dominus orbis directe, humiliter tamen vixit, vt alios hunc viam virtutis tutiſſimam doceret. Hæc itaque cum ita ſe habeant, Dominus, Vicarium inſtituendo, has ei contulit poteſtates, licet vſus vtriuſque ſuis claudatur terminis. Hoc latius alibi, & fuſius, Dei beneficio, explicabitur. Dicamus nunc, Iuriſdictionem ſpiritualem, & temporalem a Domino Vicario ſuo fuiſſe conceſſam. Temporalis ſi concipiatur vt eſt in ordinario exercitio, & vſu, dicendum eſt,

Lib. 3.

tantam

tantum eſſe, quantum eſt Beati Petri Patrimonium. ſin vero caſualiter, tunc tantam exercet, quantus eſt Chriſtianus orbis. Hæc ſupra fuerunt expoſita, duce Innocentio, cuius doctrinam, & legem adduximus, atque perpendimus. Et confirmari poteſt concluſio, quo ad eam partem, nimirum, quod tantæ ſit latitudinis quantus eſt Chriſtianus orbis, Zepherini auctoritate, Papæ, & martyris, ſub Petro quartidecimi, qui ſanciuit, ab omnibus poſſe appellari ad Sedem Apoſtolicam. Innocentius autem Tertius, centeſimus & octuageſimus in ordine, qui, ante Pontificatum, doctrina, & moribus inſignis, a Cæleſtino in numerum Cardinalium relatus, in eius etiam locum ſuffectus eſt Pontifex, ſub Henrico Germano Cæſare 21. aiebat, caſualiter in omnibus ditionibus a Summo Pontifice exerceri iuriſdictionem, ordinarie autem in Beati Petri Patrimonio. Quod ſi in ſe conſideretur iuriſdictio, atque quo ad eius potentiam, tanta eſt, quanta latitudo totius orbis, cuius in colæ ſunt homines beatitudinis capaces. Rogabit forte aliquis, cur in Papa ſplendeſcat nunc Regia dignitas, quæ vix in Chriſto enituit, & in priſcis Pontificibus fuit latens. Reſponſio, ex ijs, quæ hactenus ſunt dicta, emanat. Recuſauit Dominus vſum huius dignitatis, quoniam fini, ad quem venerat, non erant profutura: declinauit, vt dicebat Pater Ambroſius, terrena, qui cæleſtibus erat intentus. hac etiam de cauſſa in primis Pontificibus naſcentis Eccleſiæ latuit ſemper Regia poteſtas. eouſq. abdita extitit, quouſque vinea Domini, quam plantando adeo laborauit, vt adhuc in manibus, ac pedibus appareant ſigna, altas radices emiſerit, ſponſaq. Chriſti, cui mammæ non erant, adoleuerit. Tercentum & quinquaginta annis martyrio, & ſanguine, vbi fundamenta iacta fuerunt, erectiq. parietes, poteſtas, quæ latuerat, in Beato Silueſtro, & ſucceſſoribus enituit. Anguſtus autem eſt huius poteſtatis vſus, ac modica exercitato, ſi vſum ordinarium excogitemus, ſi curam rerum ſpiritualium conſideremus, Pontifex cæleſtibus occupatus, terrenis vix poteſt eſſe intentus; maioribus inuolutus, inferioribus non eſt occupandus. In Regibus, & Imperatoribus vſus huius poteſtatis magis eſt latus, quoniam illorum fines non ſunt res cæleſtes, ſed terrenæ, ac caducæ. Id nobis apertum fecit Bonifacius Papa, dicens, gladium temporalem ad nutum Pontificis eſſe euaginandum. Hoc voluit & diuus Bernardus. Concludamus igitur, magnam eſſe hanc iuriſdictionem, omniumq. eminentiſſimam, & tantam eſſe, quanta eſt orbis latitudo; quod infra magis erit apertum. Hoc ſenſu, ego arbitror, accipiendam eſſe pronuntiatum illud, Papa eſt Dominus totius orbis. Quod autem attinet ad voces, quæ æquiuocationem pariunt, quæ ve indigent declaratio-

ne, illæ ſunt, *Papa*,& *Quatenus*. Vocabulum iſtud, Papa, vt videre videor nonnullis errandi fuit occaſio. iccirco diligenter a nobis eſt conſiderandum. Antonius Polus exiſtimauit, aliquid mirandum nobis ſignificare, deductumque eſſe ab aduerbio Pape, quod eſt admirantis. Quam ſententiam vti non approbo, ita etiam non contemno. Quod innuat quid mirandum, dum profertur de Chriſti Vicario, proculdubio cum veritate conſentit; at, ſi germanam eius ſignificationem, quam iam iam ex fonte Græco hauriemus, ad mentem referemus, vix huic ſententiæ poterit accommodari: cum rei mirandæ non ſit ſignum, & nota. Addamus, quod ab aduerbijs nomina ſubſtantiua proueniant, repertum eſt non facile admittendum a Grãmaticis. Auctor illius Dictionarij, quod Catholicon inſcribitur, aliter ſentit. Littera P. in dictione Papa, ait, nomen hoc ex duplici syllaba conſtans Pa, Pa. ſignificat patrem patrum, ſummo autem Pontifici conuenire, quoniam ipſe eſt pater Patrum. quæ doctrina proprio auctori eſt relinquenda: vt recte adnotauit Cæſar Baronius (vir numquam ſatis laudatus, cuius ſcriptis, ſtyli candore, facilitate exponendi, narrandi, & docendi diligentia, vti noſtra debet plurimum ætas, ita futuræ, eidem ſe multum obnoxias eſſe, ſentient) in Martyrologio, in obitu ſanctorum menſis Ianuarij, die decima. adducit vir iſte doctiſſimus teſtimonium Epiſtolæ, ſcriptæ a Concilio Prouinciali Epiri, ad Hormiſdam Papam, quæ ſic incipit: *Synodus veteris Epiri, Ioannes Matthæus Conſtantinus &c. Domino noſtro per cuncta ſanctiſſimo, ac beatiſſimo patri patrum, comminiſtro, ac Principi Epiſcoporum, Hormiſdæ Papæ.* Quæ ſeruantur in manuſcripto codice Vaticano. In qua inſcriptione legimus, Patrem patrum, deinde Papam. Iam vero, ſi Papa idem ſignificaret, quod Pater Patrum, fruſtra ſane in illa inſcriptione eſſet additum nomen illud, Papæ. quare dicendum eſt, Græcam fere eſſe vocem iſtam, ac peregrinam in Italia, a πάππας deducta, quæ Patrem ſignificat, vel, vt alij volunt, a πάππος, ideſt *auus*, proueniens. In prima ſignificatione frequens eſt vſus illius. Eſt autem nomen venerationis, a Syracuſis tractum, honore venerandum, qui a filijs parentibus exhibetur. & hoc modo in nomen dignitatis pertranſijt, illoſq. appellamus Patres, quos veneratione quadam nominamus. maxime autem Sacerdotibus eſt nomen accommodatum, tum veneratione, tum quadam metaphora, & translatione. quoniam, vt dicebat Apoſtolus, *in Chriſto Ieſu per Euangelium vos genui.* Et alicubi: *Filioli mei, quos ego parturio, donec in vobis formetur Chriſtus.* Priſcus eſt huius vocis vſus, peculiaris autẽ fuit Epiſcoporum, vt Epiſtolæ Sancti Hieronymi ad patrem Auguſtinum ſcriptæ paſſim teſtantur. Illarum inſcriptio hæc eſt: *Domino vere ſancto, & beatiſſimo Papæ Auguſtino, Hieronymus in Domino ſalutem.*

In Lucid. auct. Pap.

lutem. Epiſtola, quæ extat in Sancti Patris Auguſtini Epiſtolis. 11. 13. 14. atque idem Pater Auguſtinus in epiſtola ad Paulinum ſcripta, Beatum Ambroſium hoc nomine appellat, dicēs: *Libros beatiſſimi Papæ Ambroſij, credo habere ſanctitatem tuam. eos autem multum deſidero, quos aduerſus nonnullos imperitiſsimos, & ſuperbiſsimos, qui de Platonis libris Dominum profeciſſe contendunt, diligentiſsime, & copioſiſsime ſcripſit*. Sanctus Auguſtinus natus eſt trigeſimo quinquageſimo octauo anno, gratiæ ſalutaris Incarnationis, idibus Nouembris. Commune autem fuit omnibus Epiſcopis, vt non tantum teſtimonijs adductis poteſt eſſe conſpicuum, verum etiam ijs, quæ poſteritatis memoriæ commendauit Rufinus, & Eulogius Cordubenſis, qui floruit anno 850. licet poſt modum peculiare Summorum Pontificū factum fuerit, vt Epiſtolis Caſſiodori, ciuis noſtri Rauennatis, facili labore conijcere poſſumus. Primus omnium Pontificum cui hoc nomen fuerit attributum, vt lectione conſequi potui, beatiſſimus Silueſter extitit, vt volumine primo Conciliorū licet videre. Gregorius huius nominis ſeptimus, IESV Chriſti Vicarius, & Paſtor centeſimus, & ſexageſimus tertius, omnium bonorum conſenſu Pontifex creatus, anno ſalutis 1072. (formam electionis habes in Platina, & alia digna annotatione, illud autem præcipue, quod Henricum Quartum Imperatorem, ob eius ſcelera, primo omni Regia adminiſtratione priuauerit, mox anathemate notauit, nec ab hoc nodo illum abſoluit, donec, depoſito Regali ornamento, nudis pedibus, tempore aſperrimæ hiemis, cū gelu cuncta obrigeſcerent, veniret ad Summū Pontificem, vbi, veniam humiliter petens, Eccleſiæ reconciliatus, integraq; obedientia promiſſa, eſt abſolutus) is in Synodo Romæ celebrata aduerſus ſchiſmaticos, inter multa, hoc ſanciuit, vt nō niſi Sūmis Pontificibus nomen Papæ tribueretur. Cum ergo dicimus PAPA, illico Chriſti Vicarium intelligimus, in quo apex exiſtit Sacerdotalis dignitatis, & temporalis, vt ſenſit Sanctus Thomas, & a nobis fuit probatum. Non me latet, hanc vocem aliam etiam habere ſignificationem: denotat enim illum, qui alit. Hinc Iuuenalis:

Tom. 1. *Rufinus.* *Eulogius.* *Caſsiod.* *Platina.* *Sat 6.*

Timidus prægustet pocula pappas,

Attamen vſu frequenti, & communi pro Patre vt dictum eſt, accipitur. vnde verbum Pappare, quod ſignificat minutis, ac blandiuſculis verbis patrem appellare. Inde Perſius ſic cecinit. *Sat. 3.*

Et ſimiles regum pueris pappare minutim
Poſcis, & iratus mammæ lalare recuſas.

Ab hac autem ſignificatione Chriſti Vicarius Papa appellatus eſt nimirum Pater omni veneratione, omnique deuotione colendus. Hæc quo ad primam vocem. Quod attinet ad ſecundam, ad *Quatenus* ſcilicet, iam in ijs, quæ de hominis cognitione edidimus cumulate diximus. nunc repeto, quod dictio hæc prima ſui ſignificatione denotat formam, teſte Ariſtotele Poſter. primo. V. autem Metaph. cap. xviij. ſignificat non tantum formam, ſed alia quoque genera cauſſarum. cum dicimus homo ſecundum quod homo admiratur, perinde, ac ſi dixerimus, homo, ratione animæ humanæ, ſeu, vt habet animam humanam, admiratur. ſiquis dicat coloris ſuperficies, ſecundum quod talis eſt ſubiectum, innuimus coloris ſubiectum proprium. His ſic breuibus explicatis, incipiamus nodos ſoluere. Ceterum, quoniam duplex eſt habita diſputatio, altera attinens ad ſimplicem exiſtentiam poteſtatis Regiæ in Chriſti Vicario, altera ad latitudinem eiuſdem poteſtatis, & hæc fuit ſecunda; ordine immutato, ab hac prima ordiamur.

Tex 11.

Rationes diluuntur, quibus probabatur, nullam eſſe latitudinem poteſtatis Summi Pontificis.

Caput VI.

LAconiſmo vtēdo ſatisfaciam rationibus illorum, qui nullam admittunt latitudinem Pontificiæ poteſtatis temporalis. Infra namque, cum aliorum doctorum argumenta perpendemus, luculentius id fiet. Prima ratio erat: Papa nullam habet poteſtatem temporalem, quod ſi eam habet, ſubdebat Catharinus, cuius argumenta iam iam ponderabimus, eam habet, veluti vnus homo ex nobis. Ratio eſt, quia Summus Pontifex Chriſti Vicarius eſt: at Regnum Chriſti conſiſtit in ouium paſtura. Dubium eſt antecedens, falſaq. antecedentis probatio, Cum ait, Papa nullam habet poteſtatem directe temporalem, (de hac enim eſt lis, & controuerſia) principium petit. hoc eſt, quod nos negamus, & illi eſt probandum. Forte id videns Catharinus, diſiunctione eſt vſus, ſubdens: Vel ſi habet, illam habet, quaſi vnus homo ex nobis. Hæc pars diſiunctionis duplicem poteſt admittere ſenſum Primus

mus eſt, quod vti eliguntur Imperatores, & Principes, ita etiam electione Summus Pontifex habeat poteſtatẽ. Hoc ſenſu ſi accipiatur, quod, electione facta ab Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, habeat hanc poteſtatem, concedimus totum, hac lege, & condicione, quod, cum eligitur Summus Pontifex, illa electione habeat apicem vtriuſque dignitatis: veluti, cum Imperator eligitur ab Alemaniæ Electoribus, electione illa habeat Imperialem auctoritatem. Secundus ſenſus eſt, quod non vt Papa, ſed vt talis Princeps, habeat huiuſmodi poteſtatem. qui ſenſus magis congruit probationi. ſi enim primo ſenſu acciperetur, probaret oppoſitum, & ratio, quam adducit, eſſet remotiſſima a ſcopo. hoc etiam ſecundo ſenſu antecedens acceptum, petit id, quod eſt in principio, ſupponit tamquam certum id, quod ei erat demonſtrandum. Dum vero additur, Papa eſt Chriſti Vicarius, eius Regnum eſt in ouium paſtura, quoniam Chriſti Regnum tale eſt. Patere arbitror, quid ſit obiectioni dicendum. Cum etenim probatum fuerit hactenus, in Chriſto fuiſſe Regiam poteſtatem temporalem, ac in eius Vicario, negandum eſt, quod additur. Erat ſecunda ratio, quod à Conſtantino accepit ſceptrum, ac diadema. Poſſem primo dicere, ſanctionem illam Pontificiam, inter paleas numerari a iuris Pontificij doctoribus: verum aio, caput illud adductum tantum abeſſe, vt noſtram demoliatur ſententiam, quod magis illam roborat, atque confirmat. Aſpiciamus verba, quæſo: & videbimus, non fuiſſe datam ab Imperatore poteſtatem, ſed id potius, quo illam poſſet exercere Summus Pontifex. Verba ſunt hæc: *Sancimus. vt principatum teneat ſuper quattuor ſedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hieroſolymitanam, Conſtantinopolitanam. quam etiam ſuper omnes in vniuerſo orbe terrarum Eccleſias, & Pontifex, qui per tempora ipſius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ extiterit, celſior Princeps cunctis Sacerdotibus, & totius mundi exiſtat, & eius iudicio, quæ ad cultum, vel fidem Chriſtianorum, vel ſtabilitatem procuranda fuerint, diſponantur.* Ex quibus verbis tria colliguntur, quæ ab Imperatore illa conſtitutione fuerunt ordinata, Chriſti Vicario tribuenda, nimirum, primatum ſuper ſedes Alexandrinam, Antiochenam, Hieroſolymitanam, & Conſtantinopolitanam, ac omnes totius orbis Eccleſias. Apicem Sacerdotalis dignitatis. Facultatem decernendi in ijs, quæ ad fidem, & ſtabilitatem procuranda ſunt Chriſtianorum. Quis, obſecro, dixerit, hæc ab Imperatore Chriſti Vicario poſſe donari? A Saluatore noſtro acceperunt Petrus, Petriq; ſucceſſores, primatum ſuper omnes Sedes, Apicem Sacerdotalem, ac ius decernendi, vt

Oracula ſacra teſtantur, attamen, iſtæc ab Imperatore in Summum Pontificem deriuare, verba innuunt huius loci adducti. Caſte ſunt verba intelligenda, eo nimirum ſenſu, quod Imperator propria auctoritate, ac viribus, tamquam Chriſti miles, & tutor Eccleſiæ, quid a populis Chriſtianis ſit faciendum, declaret. ad quæ exequenda, quantum illius patiuntur vires, omnibus imperet. præter hæc, Phrygium candido ſplendore nitentem, & nitore ſplendentem albo, reſurrectionem Dominicam deſignans, ab eodem ſacratiſſimo vertici impoſitum fuiſſe ait, decernendo, vt illo vterentur beati Silueſtri ſucceſſores: attamen ornamenta Sacerdotalia, myſteria ſignificantia, a Deo fuiſſe ordinata, vt de Aarone legimus, & a Chriſti Apoſtolis, crediderim omnibus eſſe conſpicuum. Quapropter illa donatio non fuit ratione poteſtatis Regię, ſed vſus, ac executionis poteſtatis. quemadmodum, ſi, defuncto Rege, exacto a proprio Regno, filijs Regnum amiſſum daretur, non poteſtas, ſed executio poteſtatis illis donaretur. Scioꝗ́ ſimilitudinē non eſſe omnino propriam, ſed ſufficiat, per illam, rem fuiſſe explicatam. Dicamus igitur, donationem illam fuiſſe poſſeſſionis aſſignationem bonorum, ac rerum in quibus iuriſdictionem poterat exercere Chriſti Vicarius, bonaue illi fuiſſe donata, non autem Regiam poteſtatem. Confirmari poteſt ijs, quæ ſequuntur, quibus Conſtantinus ait, iudicaſſe, Regnum Orientalibus transferendum, quoniam, vbi Principatus Sacerdotum, & Chriſtianæ religionis caput, ab Imperatore Cæleſti eſt conſtitutum, iuſtum non eſt, vt illic Imperator terrenus regnet, habeat ve poteſtatem. Recuſat, loquens de regno temporali, vbi a Deo dominus eſt conſtitutus Chriſti Vicarius, Regno potiri. quare auctoritas ex illo loco huc citata, nullam vim habet, ac robur. Hac relicta ſchola, ad oppoſitam me conuerto. Aiebant Aluarus, Archiepiſcopus Florentinus, Auguſtinus Anconitanus, & cum ijs alij quamplurimi, Summum Pontificem totius orbis habere dominium. Quæ ſententia, & declarationis eſt indigens, & limitationis. Cum dominium dicunt, hic non eſt accipiendum dominium propria ſignificatione, (vt ego ſentio) ſed pro iuriſdictione. Rurſus, iuriſdictio hæc vel accipi poteſt poteſtate, vel actu, & actu adhuc dupliciter, vel ordinarie, vel caſualiter. Si poteſtate, Papæ auctoritas, & iuriſdictio accipiatur, totum complectitur orbem, vt infra latius erit dicendum. Si accipiatur actu nō ordinarie, ſed caſualiter, cum dumtaxat in orbe Chriſtiā nō habeat vſum, tanta erit dicenda, quantus eſt orbis Chriſtianus: ordinarie vero tanta eſt, quantum eſt Beati Petri Patrimonium. Doctores citati accipiunt iuriſdictionem in potentia, non autem in

actu.

actu. De ijs infra etiam, quoniam futurus eſt ſermo. hæc nunc ſufficere arbitror. Ceterum quoniam tribus modis, vt Simplicius aiebat, problema aliquod confirmare ſolemus, vel rationibus illud demonſtrando, vel oppoſitæ opinionis incongruitatem demonſtrando, vel argumenta ſoluendo. Et hactenus duo prima capita abſoluerimus. Nunc ſoluamus rationes primæ diſputationis. 8. Phyſi.

LIBER QVARTVS

Hugonis Rationes ſoluuntur. Caput I.

PRima illarum omnium, quas recenſuimus, opinionum, erat Hugonis, ſummæ auctoritatis viri, Theologi. Dicebat Hugo, propriam dignitatem Imperatorem non ab Apoſtolica manu, ſed a Principibus, & a populo, media electione habere. quæ poſitio tantum a vero diſtat, quantum Ortus ab Occaſu. Retro demonſtrauimus, electionem, aut medijs Electoribus a Sede Apoſtolica conſtitutis, aut immediate a Summo Pontifice fieri. Quod ſi hæc vera ſunt, quæ veriſſima eſſe, nihil eſt, quod dubitemus, qui, obſecro fieri poteſt, vt negemus, Imperatorem recipere poteſtatem a manu Apoſtolica? Liceat mihi, argumentum retorquendo, Hugoni opponere, & meam roborare ſententiam. Imperator habet poteſtatem electione aut a Chriſti Vicario, aut ab Electoribus eiuſdem facta: igitur ab illo dependet. Atqui, vti ad hanc confirmandam opinionem dictum iſtud parum prodeſt, ita ſane, quæ illi ſunt addita, nullius ſunt efficaciæ, ac momenti: ſcilicet, Pontificatū eſſe poſteriorem tempore Imperio: rurſus, hæc duo inter ſe valde diſtare, namq. ab alio non poſſe pendere: Quod enim attinet ad primum, ſi loquamur de Imperatoribus Chriſtianis, deq. Chriſti Vicario,

ſti Vicario nullus certe negabit, Papam eſſe priorem tempore Imperatore. Primus Imperator Chriſtianorum fuit Conſtantinus, qui a Beato Siluestro fuit ſacri baptiſmatis fonte regeneratus. iſte autem Summus Pontifex fuit in ordine trigeſimus ſecundus. quare longe eſt Imperium poſterius Pontificatu: cum Beatus Silueſter, anno Domini 315 ad Pontificatum fuerit aſſumptus, a quo Conſtantinus lepra curatus fuit, & baptiſmatis fonte lotus. Si vero loquamur ſimpliciter, & in vniuerſum de Imperio, & Pontificatu, adhuc Sacerdotij apex, ſeu Pontificatus eſt prior Imperio. ante Chriſti Sacerdotium, fuit Sacerdotium Leuiticum, & Sacerdotium legis Naturæ, vt Diuus Paulus ad Hebræos ſcripſit. Tale autem prius eſt Imperio. Vltimum vero adductum argumentum nihil obeſt nobis. Dicimus, apicem poteſtatis ſæcularis in Papa reperiri. quod ſi vſus, & executio talis poteſtatis, maior ſit in Imperatore, aut Rege, inde tamen non ſequitur, vt maior ſit caſualiter, & in ſe conſiderata, ac excellentior, in Principe ſæculari, quam in Papa: immo totum oppoſitum eſt dicendum: vt hactenus fuit demonſtratum. Ad hæc, huius ſententiæ incongruitas inde facillime deprehenditur, quod, illa conceſſa, Imperator eſſet maioris auctoritatis Chriſto. Probatur hoc: quoniam eadem eſt auctoritas Papæ, quæ fuit in Chriſto. Caute magis (quæ mea fert ſententia) fuiſſet locutus, & ſapientius propriæ conſuluiſſet doctrinæ, ſi dixiſſet, maiorem eſſe executionem, & vſum poteſtatis, non autem maiorem eſſe auctoritatem, ſeu poteſtatem ipſam. His iam abſolutis, ad Reuerendiſſimum Catharinum me conuerto: de quo nonnulla etiam hactenus ſunt dicta.

Rationum Reuerendiſsimi Ambroſii Catharini Solutio.

Caput II.

PEr illuſtris, ac Reuerendiſsimus, Ambroſius Catharinus, vir acerimi ingenij, ſententiam illorum irridens, qui Papam Dominium habere temporale Orbis Chriſtiani, vel totius Orbis aſſeuerant, varijs vtebatur rationibus. Quarum prima hæc fuit: Si Summus Pontifex eſſet dominus Orbis, nulli eſſent vere domini terrarum in temporalibus, ſed ſolus Pontifex dominus eſſet:

18 alij vero, quo ad temporalia, ſub illo: at, hoc ſi admittatur, nullum certe locum habebit illud Ioannis, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*. Et iterum: *Filius hominis non habet, vbi reclinet caput ſuum.*
Luc.9.
Male colligit Catharinus: nec quod probare cupit, aliqua ratione confirmat. Cum dicimus, Summus Pontifex totius orbis Chriſtiani eſt dominus late, ac fuſius eſt accipiendum dominium: vt ſcilicet ſignificat iuriſdictionem. at Chriſti Vicarius omnibus ſupereminet, omnes antecellit principes Totius orbis Chriſtiani dominus dicitur: quoniam eius iuriſdictioni ceteræ ſubijciuntur, ad illam ue, tamquam ad primam, referuntur. Eſt munus illius, vt particularis iuſtitia, ac vniuerſalis ſeruetur: iccirco errores Principum corrigit, exceſſus illorum diiudicat. Liberi quidem ſunt in proprijs ditionibus Principes, vt retro diximus, & libere poſſunt exercere propriam auctoritatem: at ſunt termini, ac limites, quos non debent illi tranſilire, modus eſt in illa vtenda, quem ſeruare tenentur. quod ſi metrum exceſſerint, ſi lineam tranſilierint, Vicarij Chriſti partes ſunt, cauſſas cognoſcere, & remedium adhibere, in quo eſt apex vtriuſque auctoritatis. Ad argumentum igitur, negatur illa conſequentia. nec enim ſequitur, Papa a Deo eſt conſtitutus iudex vniuerſalis totius orbis, ceteris Principibus ſupereminet, & caſualiter vbique terrarum iuriſdictionem exercet, eo modo, quem diximus, Principes non ſunt in propria ditione veri Principes, & libere (vt leges patiuntur Principatuum) propriam non poſſunt exercere iuriſdictionem. Quæ vero addebantur, nimirum, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*; &, *Filius hominis non habet, vbi reclinet caput ſuum*, iam ſunt clara; &, ad noſtram demoliendam doctrinam inefficacia eſſe, demonſtratum fuit. Habuit Chriſtus Regiam poteſtatem: at, quoniam illa noluit vti, ideo dixit, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, &, *Filius hominis non habet, vbi reclinet caput ſuum*. Silentio non ſunt prætereunda ea, quæ
83.in Ioa. Beatus Ioannes Chryſoſtomus in quadam homilia nobis ſcriptum reliquit. Hunc locum interpretando, inquit, *Regnum meum non eſt de hoc mundo ideſt, mundano modo, quo alij Reges, qui ex fortitudine miniſtrorum accipiunt poteſtatem regnando, ipſe autem ſuper ſuos regnandi, ſibi ipſi eſt ſufficiens, nullo alio indigens auxilio*. Verum adijciebat ille, in ſuæ ſententiæ patrocinium, cum in animum incidiſſet Hebræis, Dominum Ieſum Chriſtum rapere, vt Regem conſtituerent, neglexit Regij honoris dignitatem: fugit enim Saluator, ne Rex conſtitueretur. Inſuper negauit iudiciũ adoleſcenti, petẽti apud
Cap.12. Euangeliſtã Lucam. Horũ locorum nullus eſt, qui habeat efficaciam. Fugit Dominus recuſando Regnum oblatũ: quoniã, vt diximus, SanctũThomam ſecuti, licet poteſtatem, ac dominium habebat, vſum tamen, &

men, & executionem Regni, noluit habere. cuius rei cauſſam iam explicauimus. Poſſumus adijcere ea, quæ ſcripſit Beatus Pater Auguſtinus, in huius loci interpretatione. *Ceſſit Saluator Regno, dominioque Regali, ſibi oblato ab hominibus, quia noluit Regem fieri per homines, qui Regnum dabat hominibus*. Silentio inuoluo, eam recuſaſſe poteſtatem, vt præſcriberet regulam hominibus pernicioſe honores appetentibus: quemadmodum paupertatem dilexit, vt addiſcerent eius fideles, diuitiarum cupiditatibus frenum imponere: quemadmodum contumelias paſſus eſt, vt & ipſi probra, & maledicta nō debeant perhorreſcere, ſed ijs animum aſſueſcere. Negauit adoleſcenti iudicium, petenti bonorum ſuorum diuiſionem: quoniam, cæleſtibus intentus, tēporalia declinabat: vt dixit Pater Ambroſius. Ex illo loco nō colligitur, quod in Chriſto nō eſſet dignitas Regalis, vt ſupra diximus, Sanctum Thomam ſecuti; ſed dumtaxat, Dominum noluiſſe talem dignitatem exercere. Concludendo Catharinus ſentiebat, auctoritatem Vicarij Chriſti poteſtatem in ſola ouium paſtura conſiſtere, iuriſdictionemq. illius, ſolummodo in ouibus Chriſti locum habere, quæ ſcilicet baptiſmo ei ſubditæ exiſtunt. de ijs enim, quæ foris ſunt, illius non eſſe iudicare. confirmans hæc omnia vſu, quo a Romano Pontifice totum orbem poſſideri, hucuſque non eſt compertum. Ex falſis principijs falſa deducitur concluſio. quod enim in Chriſti Vicario ſola poteſtas ſpiritualis reperiatur, falſum eſſe, varijs rationibus fuit demonſtratum: at, quod tantum habeat iuriſdictionem in Chriſti fidelibus, idq. vſu fuiſſe comprobatum, numquā terrarum orbem poſſediſſe, nunc eſt leui conſideratione, ac rudi examine ponderandum. infra namque hæc erunt dilucidanda. Dictum eſt ſupra, Romanum Pontificem eſſe Chriſti Vicarium, illiue commiſſas eſſe oues a Chriſto, & poteſtatem Regni cæleſtis, ac terreni, vt Nicolaus Papa dicebat, fuiſſe elargitā. Hæc poteſtas ſūma eſt, immo culmen, ac faſtigiū poteſtatis, Vicario Chriſti congruens. Vniuerſalis eſt iuriſdictio, & ſpiritualium, & temporalium bonorū. Si potentiam, & auctoritatē hanc in ſui ambitū, ac in ſe cōſideremus, quatenus poteſt extendi, totum orbē; ſi caſualiter, totū orbem Chriſtianum; ſi vſum ordinarium aſpiciamus, terminis ſuis eſt limitata, atque proprijs concluſa limitibus. Cum autem adiecit Apoſtoli Pauli verba, *De ijs, qui foris ſunt, nihil ad nos*, animaduertere noluit, Apoſtolum loqui de vſu poteſtatis, non autem de ipſamet poteſtate. atque, vt Chriſti paſſio pro omnibus fuit ſufficienter, licet non efficaciter. Hęc ab alijs diuerſis exponuntur verbis. Nonnulli aiunt, a Clauibus datis Petro Paganos etiam complecti, & oues illius eſſe. ſubijci Clauibus ea ratione, quoniam non credentes, iam iudicati ſunt, atque ligati earundem autem Clauium poteſtate, ſi velint euigilare, &

Tr. 15. ſu. 10.

fidem Chriſti recipere, poſſent ab ſolui. Oues autem Chriſti in duas diſtribuunt claſſes. vel enim ſunt Chriſti oues iure creationis dumtaxat, vel iure creationis, & characteris baptiſmalis ſimul. Primi generis oues, ſunt & pagani, quoniam creati ſunt a Deo, licet baptiſmatis charactere non ſint inſigniti. Secundæ autem claſſis, ſunt fideles. Hæc habet gloſſa ſuper illud Ioannis Euangeliſtæ: *Oues meæ vocem meam audient*. Poſtquam dixerat, *Non eſtis ex ouibus meis*, ait gloſſa: *Conſequenter inducit eos, vt oues eius efficiantur*. Imitatione, & voluntate, fideles ſunt oues Chriſti, in quibus a Summo Pontifice exercetur iuriſdictio, & actu poteſtas illius ponitur in vſu. Infideles, vt capaces ſunt beatitudinis, huic ſubduntur poteſtati, de facto autem minime. Verum de ijs locupletius infra, Dei gratia, vt polliciti ſumus. Nunc Soti rationes ſunt euertendæ.

Cap. 10.

Dominici Soti Rationes ſoluuntur. Caput III.

DOminicus Sotus, de ſtudio Theologiæ ſacræ benemeritus, ab Ambroſio Catharino non diſſentiens, in hac materia, vt propriam poſitionem ſtabiliret, primo loco ſic arguebat. In Chriſto non fuit poteſtas temporalis: igitur neque in eius Vicario. Vt autem hoc antecedens demonſtraret, cui tota innititur diſputatio, varijs vtebatur rationibus. Quarum prima hæc erat: Chriſtus venit in mundum (ſigillatim ſunt repetendæ, ac ſoluendæ rationes, commodioris doctrinæ gratia) vt nos redimeret, & ſaluos faceret: igitur nullam aſſumpſit poteſtatem, niſi illam, quæ ipſi erat neceſſaria, ad huiuſmodi peragendum negotium. at, quoniam nullum afferebat auxilium talis poteſtas ſæcularis, ad ſaluos nos faciendos, igitur illam contempſit, atque abiecit. Hæc ratio plurimum deficit. Supponit primo, quod illi omnino erat probandum, principum petens. Fatemur, Dominum in mundum veniſſe, vt nos ſaluos faceret. hoc eſt, quam quod veriſſimum. quo admiſſo, ſequitur, vt venerit cum poteſtate accommodata ad hoc peragendum: at, quod nullam aliam habuerit poteſtatem, hac excepta, inde proculdubio non ſequitur. Legatus, gratia exempli, a Summo Pontifice miſſus, ad Prouinciam Romandiolæ regendam, cum poteſtate mittitur reos puniendi, aliaue agendi attinentia ad tale regimen. at, quod nullam aliam habeat, præter hanc, dignitatem, inde non ſequitur: &, ſi re-

ſi refulgeat aliqua dignitate ab hac diuerſa, nullum oritur incommodum, aut inconueniens. Cum ergo arguit Sotus, Chriſtus venit in mundum, vt nos faceret ſaluos, igitur nullam aſſumpſit poteſtatem, niſi illam, quæ attinebat ad hoc conficiendum negotium, negatur hæc conſequentia. Quod etiam ei conueniret Regalis poteſtas, iam iam, Beato Thoma præceptore, & duce, aperiemus. Quare hucuſque ratio biſariam peccat. Verum dicebat ille, temporalia nullum adiumentum poterant ei præſtare, ideo illa neglexit. Videas, obſecro, quonam modo doctor iſte a poteſtate rerum temporalium ad vſum pertranſeat. Concedimus, vt ſuperius diximus, Dominum non fuiſſe vſum rebus temporalibus: &, quo conſilio id fecerit Saluator noſter, ea non ſunt hic repetenda. at negamus, in illo nō fuiſſe rerum temporalium poteſtatem. atqui, quoniam poterat forte aliquis dicere Regnum hereditarium per Dauidis proſapiam deſcendens Chriſtum habuiſſe, id Sotus reijciebat: quoniam Regnum illud, aiebat ipſe, in Ioachim, filio Iechoniæ, habuit finē. Ratio hæc nihil nobis officit, qui aſſerimus, a Deo patre hanc obtinuiſſe dignitatem, vt ex Sancto Thoma demonſtrauimus. Dicere non poſſumus, Chriſtum ex Regia ſtirpē non fuiſſe ortum. quoniam teſtimonio patris Hieronymi, & Auguſtini, & Scripturarum, quorum ſupra mentionem fecimus. hoc clarum eſt, Quibus addere liceat ea, quæ docemur a Ioanne Damaſceno, qui, loquens de Virgine Dei para, illam ex ſtirpe Regia ortam fuiſſe, oſtendit. Verba huius grauiſſimi doctoris vti non grauabor apponere, ita non pigebit benignum lectorem ea inſpicere. Hæc autem talia ſunt: *Enimuero, quod Ioſeph ex Dauidica tribu deſcenderit, Matthæus, & Lucas, ſacratiſſimi Euangeliſtæ, dilucide manifeſtarunt. ſed Matthæus quidem ex Dauid per Salomonem deduxit Ioſeph, Lucas autem per Nathan, Sanctæ vero Virginis generationem ambo ſiluerunt. Decet ſcire, non fuiſſe morem Hebræis, neque Diuinæ Scripturæ, genealogias texere mulierum: nam lex fuit, tribum non deſponſare ex alia tribu. At qui Ioſeph ex Dauidica deſcendit tribu, & iuſtus erat. hoc enim de ipſo Diuinum teſtatur Euangelium. non igitur, præter legem, Sanctam Virginem ad deſponſationem duxiſſet, niſi ex eius ſceptro deſcendiſſet. Cum igitur oſtenderit Euangeliſta deſcenſum Ioſeph, ſatisfactum eſſe putandum eſt.* Et, paucis interpoſitis, ſequens rem propoſitam, ait: *Ex ſerie igitur Nathan, filij Dauid, Leui genuit Melchi, & Panthera. Panther genuit Barpanthera, ſic ab eo denominatum, hic Barpanther genuit Ioachim, Ioachim vero genuit Sanctam Deiparam. Ex ſerie Salomonis filij Dauid, Nathan duxit vxorem, ex qua genuit Iacob. mortuo autem Nathan, Melchi, qui erat ex tribu Nathan, filius Leui, frater vero Barpantheris, nupſit*

l. 4. de fin. Orth.

nupſit vxori Nathan, matri quidem Iacob,& genuit ex ea Heli. Erant igitur fratres vterini Iacob,& Heli, Iacob quidem ex tribu Salomonis, Heli vero ex tribu Nathan. defuncto autem Heli, de tribu Nathan, ſine liberis, accepit Iacob frater eius ex tribu Salomonis vxorem eius, & ſuſcitauit ſemen fratri ſuo, & genuit Ioſeph. Ioſeph igitur natura quidem eſt filius Iacob, ex deſcenſu a Salomone, ſecundum vero legem filius Heli, ex Nathan. Hæc Damaſcenus. Quibus patet, quod Dominus ex ſtirpe Dauidica fuerit oriundus. eſt ex Dauidis ſtirpe, ſi matrem aſpiciamus, eiuſq. genealogiam, ex cuius matris puriſſimis ſanguinibus, caro illius a Spiritu ſancto fuit fabricata. hæc autem eſt attendenda, quoniam caro Chriſti patrem neſciuit terrenum. quod vero finem habuerit in Iechonia Dauid s Regnum, nihil certe ad nos, ſiquidem Regna ſucceſſione lineæ maſculorum perſeuerant in primogenitis. Sat ſit nobis, oſtendiſſe, ex Regia ſtirpe fuiſſe generatam Saluatoris noſtri matrem: atque, quod ex Dauidica, Ioachim, pater eius, filius fuit Barpantheris, Leui nepos, ex Nathan filio Dauid deſcendens. Locus vero ex Hieremia adductus, loquitur de linea maſculorum, ad quam Regnum attinebat, continuata ſucceſſione. Arguebat inſuper: Dominus numquam eſt vſus hac auctoritate: igitur fruſtra fuit in illo. Conſequentia hæc nulla eſt. Mammæ generantur a natura ad alendam ſobolem: igitur in maſculis erunt fruſtra. Alæ datæ ſunt auibus ad volandum: igitur Struthio camelus habet illas fruſtra. Conſquentia certe nulla eſt. Omitto, quod multæ potentiæ in natura ſunt fruſtra: vt quotidie videmus: & inde nullum ſequitur incommodum. Puer, verbi cauſſa, eſt in potentia ad emittendam barbam: & moritur: potentia illa eſt fruſtra. Infans eſt in potentia ad ambulandum, & emittendos dentes, & moritur: fruſtra eſt hæc, & illa potentia. Quod attinet ad argumentum, reſpondemus, non fuiſſe fruſtra: quoniam fuit ad ornandum, vt mammas maſculis conſtruxit Natura, quemadmodum Auerroes adnotauit, aduerſus Galenum differendo. Probabat deinde, in Chriſto poteſtatem fuiſſe ſpiritualem, vt excluderet, temporalem in illo extitiſſe auctoritatem. verum fruſtra. Demonſtrandum certe illi erat, ſolam auctoritatem ſpiritualem in Chriſto fuiſſe. Indefinita propoſitio æquipollet particulari, vt logici inquiunt: at a particulari, ac ſingulari, ad excluſiuam, ratio non tenet: vt ijdem logici docent. Petrus eſt domi: ergo ſolus Petrus eſt domi: ratio nullam habet efficaciam. Confirmabat hoc, quoniã corã Pilato dixit, *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Quoniã cũ diſcipulo Sancti Thomæ in præſentia rũ eſt diſputatio, iccirco huius Beati Doctoris reſpõſio eſt adducenda. Inquit vir Sãctus, hoc a Saluatore fuiſſe dictũ, nõ quod careret Regia poteſtate temporali, ſed quoniam ea noluit vti. Hæc ſunt eius ver-

Collig.

59. art. 4.

verba, quęſtione olim citata. *Ad primum, dicendum quod ſicut dictum eſt, iudiciaria poteſtas conſequitur* Regiam dignitatem; *Chriſtus autem, quamuis eſſet Rex conſtitutus à Deo, non tamen, in terris viuens, terrenum Regnum temporaliter adminiſtrare voluit: vnde ipſe dixit,* Regnum *meum non eſt de hoc mundo*. Hæc Beatus Thomas. Senſus ergo eſt, non de auctoritate, poteſtateque Regia, ſed de vſu, ac adminiſtratione. Nouiſſime adducebat nonnulla loca ex Pontificio iure excerpta c. quoniam idem. c. duo ſunt. c. cum ad verum, & c. ſolitæ. Quibus in locis apparere videtur, Chriſti Vicarium, non habere temporalem poteſtatem. Poſtremum caput ſupra cum fuerit diſcuſſum, atque demonſtratum, noſtro negotio ſummopere opitulari, iccirco nunc relinquamus huius rei conſiderationem. infra forte cum nouam nacti fuerimus occaſionem diſceptationis, noua erit diſcuſſio. Ad alia loca me conuerto, ordine immutato. Accipio legem illam *Cum ad verum*, cui tantum ab iſtis tribuitur, qua non docemur, in Summo Pontifice Regalem poteſtatem minime reperiri, ſed dumtaxat, nomen Imperatoris, & vſum eiuſdem iuriſdictionis. Hoc ſane conſpicuum erit, ſi verba adducti Canonis legantur attente. Illa hæc ſunt: *Cum ad verum ventum eſt, vltra ſibi nec Imperator iura Pontificatus arripit, nec Pontifex nomen Imperatorium vſurpauit: quoniam idem mediator Dei, & hominum, homo, Chriſtus IESVS, actibus proprijs, & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit, propria volens medicinali humilitate ſurſum efferri, non humana ſuperbia rurſus in inferno demergi. Et, vt Chriſtiani* Imperatores *pro æterna vita* Pontificibus *indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus vterentur, quatenus ſpiritualis actio a carnalibus diſtaret incurſibus, & Deo militans minime ſe negotijs ſæcularibus implicaret, vt viciſſim non ille rebus diuinis præſidere videretur, qui eſſet ſæcularibus negotijs implicatus.* Hæc eſt illa lex, a verbis Nicolai Summi Pontificis accepta: quæ, vt dixi, nihil nobis officit. Sunt verba Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem ſcripta, vt corrigeret eiuſdem erratum. Præceperat Michael, nedum facultatem dederat, vt Ignatius, Conſtantinopolitanus Patriarcha ab Epiſcopis deponeretur. quod ſane ab eo nec debuerat, nec poterat fieri. Licet enim in veteri lege Principes, eſſent ſimul etiam Sacerdotes, nihilominus a Principibus Dominus ſegregãdo hanc poteſtatem, ſæcularibus exactis iudicibus, ſub lege gratiæ, hæc officia diſcreuit, & ſeparauit. atque, licet Summo Pontifici vna, & altera inſit poteſtas, non tamen e contra Imperatores, ac Reges Pontificali fulgent poteſtate. Summus Pontifex non ſibi vſurpat nomen Imperatoris: e contra Imperator iura Pontificatus non debet ſibi arripere. Quare, cum ſcopus Papæ ſit, docere Imperatorem non

habere

Diſtin. 10. 96. de ma. & ob.

habere poteſtatē temporalē, vt olim habuerūt priſci Reges, & Principes, hoc ſenſu ſunt verba attēdenda, vt ſcilicet remoueatur ab Imperatore audacia Patriarchā deponendi. ijs tamen noluit Sūmus Pōtifex oſtēdere, quod in Papa non ſit vna, & altera poteſtas. Verū, vt res adhuc magis ſolidior fiat, dicta Papę huius animaduertamus. Dū loquitur de Imperatore, ait, quod iura non arripiet: dum vero de Summo Pontifice verba facit, inquit, quod ſibi non vſurpat nomen Imperatoris. Negat, auctoritatem Pontificis conuenire Imperatori. non autem negat, poteſtatem temporalem Pontifici ineſſe. Demum cum de regimine rerum temporaliū Pontificis loquitur, ſupponendo poteſtatem Regalem in illo exiſtere ait, quod dumtaxat vtitur legibus Imperialibus pro curſu rerum temporalium. Caute, prudenter, ac ſapienter, ut decet Chriſti Vicarium, loquitur Beatiſſimus Pater, quia poteſtas ſpiritualis, & temporalis reperiuntur in Papa: hæc autem illa longe inferior: præcipuumq. munus illius ſunt ſpiritualia. ait primo, illi dandam eſſe operam cæleſtibus, tamen legibus Imperialibus eum debere vti, vt temporalia regat. Quare lex illa adducta, vti manifeſte negat, Imperatori ineſſe ſpiritualium rerum poteſtatem, ita inſinuat Pontificem fulgere auctoritate temporali. licet autem hæc ſint diſcreta officia, inde non ſequitur, vt Summo Pontifici ambo non inſint. Alter locus erat c. Duo ſunt. quæ verba excerpta ſunt ex epiſtola Gelaſij Papæ, ſcribentis Anaſtaſio Imperatori, illumq. corrigentis. Contendebat Anaſtaſius, Papam anteire dignitate: Beatiſsimus ille Pater, ſcribens eidem Imperatori, oſtendit, Cæſarem Summo Pontifice eſſe inferiorem. Probat hoc duplici ratione. quarum prima eſt: A Papa ſpiritualium Regnum haberi, ab Imperatore rerum temporalium. Secunda eſt, quoniam colla Regum, & Principum genibus Sacerdotum ſubmittuntur. hoc inde probat, quia Innocentius Arcadium excommunicauit, conſentientem, vt Sanctus Ioannes Chryſoſtomus a ſua ſede pelleretur. Beatus etiam Ambroſius, licet Sanctus, non tamen vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, pro culpa, quę alijs Sacerdotibus non adeo videbatur grauis, Theodoſium magnum Imperatorem excommunicatione damnauit. His concludit, Imperatorem Romano Pontifici, eiuſq. poteſtati, eſſe ſubiectum. quare epiſtolæ illius verba adducta potius nobis fauent, quam noſtram demoliantur ſententiam. Aliud eſt, quod Papa ſumat argumentum a dignitate eidem inexiſtenti Sacerdotali, cuius Imperator eſt expers, vt oſtendat, Imperatorem Papa eſſe inferiorem; aliud eſt, quod in illo ſola reperiatur ſpiritualis auctoritas. Diſtinguit autem poteſtates in ſuas ſpecies, vt illarum comparatione, appareat, Papam eſſe maiorem Imperatore; non autem ſibi vult illa diſtinctione, quod

vna ſola ſit in Summo Pontifice. Supponit, illam in eodem reperiri auctoritatem, ſpiritualem nimirum, vt inde probet Papæ ſupereminentiam. Accedo ad alium, qui relictus eſt, locum. verba ſunt Sancti Cypriani martyris ad Iulianum Imperatorem ſcripta: *Quoniam idem mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus, ſic actibus, & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit, propria volens medicinali humilitate hominum corda ſurſum afferri, non humana ſuperbia, rurſus in inferiora demergi, vt etiam Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium rerum Imperialibus legibus vterentur, quatenus ſpiritualis actio à carnalibus diſtaret in curſibus, & Deo militans minime ſæcularibus ſe ſe implicaret ac viciſſim ne ille diuinis rebus præſidere videretur, qui eſſet negotijs ſæcularibus implicatus.* Eadem ſunt verba cum ijs, quæ ex Nicolai Summi Pontificis ſunt adducta, & ideo eadem reſponſione ſunt reiicienda. Iura Pontificatus vindicabat ſibi Iulianus, ea ratione ductus, quoniam in antiqua lege Imperatores, ſeu Reges, ſummi Sacerdotis fungebantur officio. Beatus Cyprianus, hunc refellens errorem, inquit, poſtquam Deus humanitatem induit, & nobiſcum homo factus, conuerſatus eſt, diſcreuit hæc officia, vt Imperator temporalibus dumtaxat præſideret, non autem Spiritualibus. Sancti Martyris Cypriani ſcopus quiſnam eſt, & finis quiſnam, obſecro? Nullus certe alius, niſi, oſtendere, ad Imperatorem non attinere ſpiritualia, ſed temporalia. His tamen non negat, temporalem poteſtatem in Pontifice reperiri. Sat ei ſit, oſtendere, diſtinctas eſſe poteſtates ambaſq. Regibus temporalibus non conuenire, cum ſoli Papæ vna, & altera inſit. Adde, has poteſtates diſtinctas dici, ſi etiam Vicarij Chriſti perſonam conſideremus: quoniam eodem modo illi non conueniunt. Poteſtas iuriſdictionis ſpiritualium rerum, quæ ſunt cæleſtes, proprie ei congruit, & ſecundum immediatam inſtitutionem, & executionem, vt dicitur, at poteſtas rerum temporalium, licet immediate competat, ei ſecundum immediatam inſtitutionem, (verbis, quæ vſus ſcholarum familiaria fecit, vtar, rei notificandę gratia) non tamen ita primo, ac proprie, & æque conuenit, ſecundum immediatam executionem, ſi quidem cæleſtibus intentus, quantum fieri poteſt, à terrenis debet abſtinere, ne, minoribus intentus, maiora relinquat. Hoc docuit Ietro Moyſen: quē videns adeo ſæcularibus negotijs, ac terrenis præpeditum, vix diuinis rebus operam nauare poterat. hoc inſtitutum viuendi contemnens, cognato dixit, ſtulto labore cōſumi, aliterq. ei eſſe viuēdū. Hortatus eſt Moisē ad eligēdos cōſiliarios, iudicesue ſubſtituēdos, qui res tēporales adminiſtrarēt, & ipſi mēte libera cæleſtibus vacāti referrent, quæ populo eſſēt neceſſaria, quæue vrgētiora. Moyſes

Cap.12. Ietro, cognati ſanctum, iuſtumq, conſilium ſecutus, iudices conſtituit ad temporalia tractanda, ad vrgentioraq. referenda, vt libere magis ad ſpiritualia incumberet. Ita, in Summo Pontifice, licet vna, & altera ſit dignitas, atque poteſtas, attamen propria magis cum ſit ſpiritualis, quæ longe eſt temporali præſtantior, ac excellentior, ob id Summus Pontifex, vt fieri poteſt, alijs curam temporalium debet demandare, qui neceſſaria, ac magis onerosa referant, ab eodem iudicanda. Propter hæc dicuntur inter ſe hæ dignitates diſcretæ, ſi de Papæ perſona loquamur, eiq. ſpiritualia conuenire: non quod & temporalium rerum iudicium, poteſtateq. iudicandi non habeat, ſed quoniam ei primo ſpiritualis conuenit poteſtas, cæleſtibuſq. debet eſſe intentus. Etenim, quotieſcumque duo alicui competunt, quorum vnum altero ſit magis ei accommodatum, ab illo ſumitur denominatio; illudq. eius proprium eſſe dicitur, quod in ipſo eſt præſtantius. Porro, cum hæ duæ poteſtates, imperium rerum ſpiritualium, ac temporalium, illud vero ſit hoc præſtantius, ac longe excellentius, eidem etiam magis accommodatum, eius quinetiam magis proprium appellatur. Quemadmodum pater, habens duos filios, quorum vnus virtutibus, moribus, ac ſtudijs præditus, alter vero ſit litterarum ignarus, moribuſue non admodum elegans, adeo primum diliget, vt alter non videatur eius eſſe filius, licet ametur, dicetur etiam negligi, odio ve haberi ſecundus, nec parentis filius, tametſi ametur, & carus habeatur; ita in ijs auctoritatibus, prima dicitur Summi Pontificis, non quod ſecunda non refulgeat, ſed quia hæc maioris exiſtens excellentiæ, magis ei conuenit. Quare, ſi aſpiciamus, quod Papæ eſt proprium, proculdubio dicemus, ad illum ſpiritualia, non autem temporalia, attinere. Comparatiue loquendo, id admittit verborum vſus, non tantum apud profanos, verum etiam apud Sacros. Dicemus: Ariſtoteles odio habuit Alcibiadem, ſi hunc cum Calliſthene comparemus, quem vnice diligat, & oculis ferat. Vt autem ſpiritualia illi conueniunt, ita non recte ab illo auferuntur temporalia. in eius poteſtate vtrumuis gladium eſſe, late ſupra demonſtrauimus, &, licet munus Chriſti Vicarij ſit, rebus cæleſtibus operam dare, nihilominus non debet terrena negligere. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora eius in pallore auri*. Si inter vtramque ſortem Laicorum, & clericorum (nullam certe habet Dominus aliam ſortem viuentium in hoc mundo, quæ ſit capax ſummi boni) quieſcit Paſtor, tunc Eccleſia, Domini columba, proprijs ornamentis eſt honeſtata. & Leo Quartus, cuius verba habemus *cap. quia præſulatus*, ſcribens Eburnio, & Adel-
1.quæſt.3. fridio, Epiſcopis, idem affirmat, dicens: *Quia Præſulatus noſtri (quod*

bene

bene noſtis) magiſterium non ſolum de Sacerdotum, verum etiam de ſæcularium vtilitatibus debet eſſe ſollicitum, &c. Diſſimilem ab hac doctrinam Sanctus Thomas minime habuit. Alicubi quærens, an clericis, & Epiſcopis pugnare liceat, & in bellum exire. *Cum ad bonum* 2. 2. q. 40. Art. 2.
(ſcripſit ille, veritatem quæſtionis dubiæ patefaciens) *ſocietatis humanæ plura ſint neceſſaria, diuerſa autem a diuerſis melius, ac expedite* 1. pol. c. 1.
magis agantur, quam ab vno ſolo, vt dicebat Ariſtoteles, quædam vero ſunt negotia, adeo ſibi repugnantia, vt conuenienter ſimul nequeant exerceri, hac de cauſa minora prohibentur ijs, quibus maiora committuntur. Quemadmodum humana lege cautum eſt, militibus bellicis exercitijs aſcriptis, negotiationes inhibentur, bellica autem exercitia maxime aduerſantur officijs illis, quibus deputantur clerici, ac Epiſcopi. bellica namque exercitia animi inquietudines habent, quibus animus ad contemplanda cæleſtia diſtrahitur. Hinc Sanctus Paul. ſcripſit: Nemo militans Deo implicat ſe ſæcularibus negotijs. Concludit Sanctus Thomas, 2. Tim. 2.
hac verborum ſerie, officia omnino ſibimet aduerſantia, ab vno, & eodem non exerceri congrua ſimul. Concludit quinetiam, bellica negotia clericis inhiberi, quoniam Deo militantes, non implicant ſe negotijs ſæcularibus. Ex hoc loco colligo, quod rerum temporalium, & ſpiritualium regimina, non ſunt adeo oppoſita, vt ſit impoſſibile, quod vnus, & idem, ea exerceat. Inhibetur clericis bellica exercitatio: quoniam mens humana huiuſmodi negotio perturbatur, & contemplationibus rerum cæleſtium exiſtit impedimento. Non inquit impoſſibile eſſe, ab vno exerceri, ſed ait, diuerſa a diuerſis rectius exerceri, maiori diligentia atque exactius, & congruentius. Porro, rerum temporalium regimen, cum populi fruuntur pace, & rerum ſpiritualium adminiſtratio, ab vno & eodem facillime poterit exerceri, vbi ſint, qui adiuuent præcipue. quinetiam tempore belli, ſi armorum iura, ac exercitatio bellica, alijs committatur, adhuc eidem hæc duo poſſunt ineſſe officia. Verum, ad locum adductum redeuntes, immo etiam ad alia duo reſpõdendo, dicamus, quod Martyr Cyprianus, alijq. duo Beati Patres cum eo, reſpicientes ad id, quod eſt proprium Summi Pontificis, & quod primo, ac præcipue ei competit, dixerunt, Papæ eſſe ſpiritualia. At, his addendo, dicebat Sotus: Sunt duæ diuerſæ omnino poteſtates, ſæcularis, & temporalis: igitur vna ab altera non poteſt prouenire. Ratio hæc peccat: quoniam falſo innititur fundamento. Supponit, in Summo Pontifice apicem vtriuſque poteſtatis non reperiri. quod nos ſupra exploſimus, & falſum eſſe demonſtrauimus. Quare, dum infert hic Doctor, Sunt duæ poteſtates diuerſæ. igitur vna ab altera non poteſt deuenire: ratio hæc nihil nobis officit; qui aſſerimus, apicem vtriuſque poteſtatis in Chriſti Vicario repe-

riri. Peccat ſecundo, quoniam Sancti Pauli doctrina declarauimus, Si Papa iudicat ſpiritualia, tanto magis temporalia. Quare, licet actus iſti ſint diuerſi, non tamen adeo ſunt oppoſiti, quin ad vnum poſſint redigi principium. Id etiam, quod ex ſecundo Pſalmo excerptum adduxit, ſcilicet, *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo, ſuper Syon, montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius*: nullius eſt efficaciæ. quod iam iam apparebit, rationibus poſtremo adductis occurrendo.

Poſtremi Doctoris citati rationes euertuntur.

Caput IIII.

NVllo certe labore, faciliq. negotio, huius doctiſſimi viri rationibus poſſumus ſatisfacere: cum omnes fere funditus ſint euerſæ, & ſolutæ, argumenta Soti, & Catharini ponderando. Eadem fere, vt diximus ſupra, ſunt argumenta, pauca ſunt addita proprio Marte. Quattuor membris autem cuncta ab illo fuerunt diſpoſita: quorum primum illas continebat rationes, quibus nitebatur probare, Summum Pontificem totius Orbis non eſſe dominum. Primã illarum hanc fecit: Papa Chriſti Vicarius non eſt totius Orbis dominus, quoniam Ioannis capite vltimo, committens IESVS oues Petro, eas dumtaxat illius curæ commiſit, quæ erant ipſius, charactere nimirum baptiſmatis inſignitæ. Ad hæc, Papa non poteſt iudicare infideles. Quid ad me, de ijs, quæ foris ſunt, iudicare? His duabus rationibus retro occurrimus. Atque, licet ijs, quæ ſunt dicta, poſſem eſſe contentus, nihilominus, vti argumenta huius grauiſſimi uiri repetere volui, doctrinam conſiderando, ita etiam nonnulla addere decreui, ne fruſtra ſuſceptus ſit reſpondendi labor. Accipio primum, Saluator, dicens, *Paſce oues meas, & c.* Dicam primo, vt gloſſa nos docet, ſenſum verborum hunc eſſe: *Paſce oues meas*: ideſt, vt meas, non vt tuas, gloriam meam in eis quære, non tuam. mea lucra quære, non tua. gloria autem eius eſt, credentes roborare, ac ſtabilire, ne deficiant. terrena ſubſidia, ſi neceſſe ſit, ſubditis prouidere, exempla virtutum præbere, aduerſarijs obſiſtere, peccantes corrigere. Hoc ſenſu ſi accipiantur illa verba, nulla certe erit ratio, cum indifferenter de omnibus loquatur ouibus. Verum audio quempiam, adhuc inſtantem, has oues non eſſe Chriſti, quæ extra

1. Cor. 5.

ouile

ouile viuunt; ſunt vero Chriſti, quæ, terminis ouilis circumſeptæ degunt. Reſpondeo, Cum Dominus Petro commendauit oues, Paganos, nedum Chriſticolas, eius curæ demandauit: Verba Domini ſunt conſideranda, de ouibus ſuis loquentis: *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. ſicut nouit me pater, & ego agnoſco patrem, & animam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor.* Io. 10. Duas ouium meminit Dominus ſpecies his verbis. Commemorat oues proprias, & hæ ſunt, quæ vocem illius audiunt, quæ Euangelium ſuſcipiunt, & Chriſtum agnoſcunt Paſtorem, qui animam ſuam dedit pro grege. hæ ſunt, quæ intra ouilis ſepta viuunt. Alias quinetiam meminit, quas extra ouile eſſe aſſerit, a primis diſſidentes, quæ vocem eius non audiunt, quæ Euangelij prædicationem non ſuſceperunt, quas dicit ei fore adducendas, vt fiat vnum ouile, & vnus paſtor omnium. Teſtatur Dominus, has, & illas eſſe oues ipſius. Dicendo Petro, *Paſce oues meas*, omnes has oues ei commendat. Quare ratio illa, adducta ab ijs doctiſſimis viris, numquam mihi probari potuit, neque efficax viſa fuit. Iuriſdictio enim Papæ, ſi de iure loquamur, (verbis vtar alienis) & non de facto, latiſſima eſt, & omnes alias ſubditas habet. Hinc Iuris Pontificij doctores concludunt, paganos, barbaraſue quaſuis nationes, licet ſola lege naturæ vtantur, a Papa iuſte puniri poſſe: vt etiam in nonnullis ſacris Decreti legibus inſpicientibus fit conſpicuum. 32. q. 7. Flagitia. Idolatras quinetiam Chriſti Vicarius corripere poteſt: quoniam naturale eſt, Deum colere, non autem creaturas. 23. q. 5. ca. ſi audieris. Inde prouenit, quod Papa iudicat, & ſupplicijs afficit Iudæos, legem non obſeruantes in moralibus, quæ immutabilia perſeuerant. Ea propter Gregorius huius nominis Nonus, & Innocentius Quartus, Talmud Hebræorum librum comburi iuſſerunt, in quo quamplurimæ hæreſes continebantur, & illos puniri, qui eas ceteros docerent. Quod ſi Papa Iudæis, vel Paganis, ac etiam Chriſtianis, pœnas omittit inferre, hoc facit, vel quia proprium imperium ei vires non ſubminiſtrat, hæc agendi; vel imminentium periculorum cauſſa; vel ob futura ſcandala. Silentio prætereo, Infideles a Papa puniri poſſe, ſi miſſos ab eodem Papa concionatores verbi Dei in regiones eorum, eos non recipiant: Ex. de cle. c. exc. mi. quoniam, licet præciſe infideles nequeant cogi ad credendum, & ad fidem ſuſpiciendam, attamen, quia omnis creatura rationalis facta eſt ad laudandum Deum; *Laudate Deum omnes gentes.* Pſal. 116. *Omnis ſpiritus laudet Dominum*: Pſal. vltim. iccirco pagani, prohibentes prædicatores

catores, peccant, peccando autem, a Papa ſunt puniendi. Dicam ſolum, Pontificis Romani iuriſdictionem latiſſimam eſſe, vt demonſtraui; & eius curæ commiſſas fuiſſe oues omnes, ſiue ſint actu Chriſti oues, ſiue potentia. Omnes fieri poſſunt Chriſti oues, quæ poteſtate ſunt tales. Americarum populi id nos docent, qui, cum olim pecudum more viuerent, eſſentq. oues errantes, nunc tandem, ſumma Dei miſeratione, ad proprium paſtorem Chriſtum Dominum conuerſi ſunt. Quod ſecundo loco adiecit, verba fuerunt Sancti Pauli, dicentis: *De iis, qui foris ſunt, nihil ad nos.* Iam dixi, verba illa quem patiantur ſenſum. & ideo nunc explicatius aio, Apoſtolum loqui de poteſtate, quæ iuriſdictionem ſpiritualem requirit. Porro, cum infideles actu non ſubdantur ſpirituali iuriſdictioni, iccirco dixit, nihil ad eum attinere. Hæc fuit B. Athanaſij ſententia: qui, hunc locum explicans, ita loquitur: perinde dicat: Neminem equidem nunc eorum, qui exteriores ſunt, alloquor: id enim leges meas excederet. ſuperuacaneum igitur, Chriſti præcepta illis iniungere, qui extra Chriſti aulam diuagantur. Hoc idem Beatus Thomas ſentit. Addatur, eos, qui ſunt foris, ad nos nihil attinere præciſe, ſcilicet, eos ad fidem compellendo, quia ſola Dei gratia ſunt vocandi: at, ſi nos perturbant, ad nos faciunt. Canonicis conſtitutionibus non plectuntur, ſi illorum matrimonia, aliaue ſimillima his, conſideremus; at, ſi Chriſticolis iniurioſi exiſtunt, ſi fidei, vel cultui diuino inueniuntur contumelioſi, tunc quidem poſſunt coerceri, & ſubtractione participationis etiam omnium Chriſtianorum puniri. Tertium aggredior argumentum. Infideles Principes, ſunt veri Principes ſuorum Regnorum: nam dominium non fundatur in gratia, aut in fide, ſed in libero arbitrio, & ratione, nec deſcendit ex iure diuino, ſed ex iure gentium, vt patet, eo quod Deus approbat Regna Gentilium in vtroque Teſtamento. Daniel: *Tu es Rex Regum, & Deus Cæli dedit tibi Regnum & imperium.* Et apud Sanctum Matthæum: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; &, quæ ſunt Dei, Deo.* Ait Saluator: *Reddite*, non, Donate, ſed Reddite, quæ illi debentur iure. Et Sanctus Paulus: *Cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Iubet quinetiam, propter conſcientiam Ethnicis principibus obedire, at certe non tenemur obedire Principibus, qui non ſunt veri Principes. Hac eadem ratione vtebatur Sotus de Iuſt. & Iu. Quæ licet prima facie aliquid concludere videatur, nihilominus nullam habet efficaciam ad deſtruendam noſtram poſitionem. Non dicimus nos, quod Papa ſit totius Orbis dominus, ſed quod eius iuriſdictio omnium ſit eminentiſſima, & ad illam tamquam ad primam, ceteræ referantur. Ad hæc, quod de iure ſubditam habet omnem poteſtatem:

Ex. de iud. c. & ſi iud. & 17. q. 4.

Dan. 2.

Matth. 22.

Rom. 13.

4. q. 4. ar. 1.

tem: &, Turcarum, aliorumq. Gentilium poteſtas quomodo Sũmi Pontificis iuriſdictioni ſubijciatur, oſtendimus. Quare dato quod ali qui illorũ ſint veri domini, cũ dicitur, Paganorum Principes, ſunt veri Principes: igitur Papa non eſt totius Orbis Dominus. Reſpondemus, quod ſi accipiamus dominium proprie ſumptum, nihil facit ad rem adducta ratio. Diſtinximus retro dominium, a iuriſdictione: & oſtendimus, Papæ iuriſdictionem eſſe in omni orbis regione, aut actu, aut poteſtate, aut de iure, aut de facto iccirco ratio nihil ad nos, qui non dicimus, Papam eſſe dominum orbis, ſed ſupremum orbis Principem, cui alij ſubijci debent. Loca autem adducta noſtræ non obſunt ſententiæ. eo conſilio ſunt citata, vt confirmetur, Regna eſſe a Deo, quæ, vt Pater Auguſtinus aiebat, ab illo ſunt, aut volente, aut ſinente. Primus locus probat, omnem poteſtatem a Deo eſſe, quæ gratis admittitur, vt nunc dictum fuit. Secundus, *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo*, nihil aliud nos docet, niſi iuſtitiam quandam legalem, qua cuncta ſunt ponderanda, & vnicuique reddendum, quod ſuum eſt. Tributum debetur Principibus, tamquam ſtipendiarijs. laborant pro tutela populi: ideo tributum a populis illis eſt reddendum. Apoſtolus Paulus, rem hanc exaggerando, ad Romanos ſcribens, dixit: *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributũ cui vectigal, vectigal; & cui honorem, honorem; cui timorem, timorem*. Verba Beati Petri, quibus hortatur, nos ſubiectos eſſe, eo tendunt, quod ſubditi eſſe debeamus ob meritum humilitatis, non autem ſermo eſt de ſubiectione, qua homines Principibus, & Regibus ſubijciuntur. Gloſſa hæc fuit Innocentij Papæ huius nominis Tertij, qui ſic ſcripſit Conſtantino Imperatori: *Mirata Imperialis Sublimitas, quod te niſi fuimus in noſtris litteris increpare. Huic autem tuæ admirationi non cauſam, ſed occaſionem præbuit, quod legiſti, Beatum Petrum, Apoſtolorum Principem, ſic ſcripſiſſe: Subditi eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi, tamquam præcellenti; ſiue Ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Et infra: *Verum, ſi perſonam loquentis, & eorum, ad quos loquebatur, ac vim locutionis, diligentius attendiſſes. ſcribentis non expreſſiſſes taliter intellectum. Scribebat enim Apoſtolus ſubditis ſuis, & eos ad humilitatis meritum prouocabat. nam, ſi per hoc, quod dixit, Subditi eſtote, Sacerdotibus voluit imponere iugum ſubiectionis, & eis prælationis auctoritatem auferre, quibus eos ſubiectos eſſe monebat: ſequeretur ex hoc etiam, quod ſeruus quilibet in Sacerdotes imperium accepiſſet: cum dicatur omni humanæ creaturæ*. Hæc Magnus Innocentius. Ex quibus colligi poteſt, quis ſit illorum verborum ſenſus, & quod gratis citentur ad roborandum illud antecedens. His itaque expoſitis, ad alia accedamus, quæ ſequuntur.

De ma. & ob. c. ſolite.

Quod

Quod enim fruſtra eſſet auctoritas, iam reſponſum fuit. Vnum ſilentio prætereundum eſſe non cenſeo, in verbis Innocentij. Explicans verba Principis Apoſtolorum, *Regi, tamquam præexcellenti*, ait, *Non negamus, quando præcellat Imperator in temporalibus illos, dumtaxat eos, qui ab ipſo ſuſcipient temporalia*. Porro, cum Papa dignitatem Regiam ab illo non accipiat igitur non erit inferior. Accedamus ad alia.

Articuli Secundi rationes diluuntur, quibus probatur, Papam non eſſe Dominum totius Orbis Chriſtiani. Caput V.

RAtionibus Summorum Pontificum & dictis vir Theologus vtens, arbitratus eſt, cumulate ab illo fuiſſe demõſtratum, Romanum Pontificem totius Orbis Chriſtiani non eſſe dominum. Verum, vti rationes ſunt inefficaces, ita Summorum Pontificum dicta nihil eius ſententiam tuentur. Dicebat ille: Si totius Chriſtiani Orbis Summus Pontifex eſſet dominus de iure diuino, id ſane vel aliqua Scripturā, vel Apoſtolorum traditione deberet conſtare: at nihil habemus, niſi, traditas fuiſſe Regni cælorum claues, Regni autem terrarum nulla extat memoria, nullaue traditio Apoſtolica, igitur orbis Chriſtiani non erit dominus. Ratio retro a nobis nec vnico quidem medio eſt euerſa. Probauimus ſacris teſtimonijs, a Domino oues Petro fuiſſe commiſſas, ouiumq. regimen eidem fuiſſe demandatum. Ad hæc, omnem poteſtatem, in cælo, & in terra, a Deo Patre, Chriſto fuiſſe datam, hancue in eius Vicario reperiri. Quare falſo innititur fundamento hæc ratio, maleq. colligit qui eam ſic deducit. Eius autem ambitus eſt Petri poteſtas, Chriſtiq. Vicarij, cuius ſunt claues, ſi accipiamus iuriſdictionem Summi Pontificis eo modo, quem ſupra toties diximus. Cum, ad Petrum conuerſus, dixit, *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* reſpondenti Petro, *Tu es Chriſtus, filius Dei viui*, Dixit Dominus: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Fundamentum Eccleſiæ eſt Fides, quam Petrus confitetur, in Illoq. exiſtit: Petrus autem petra, latitudo Clauium tanta erit, quanta eſt credentium fides. Cum deinde dixit, *Paſce oues meas*, his verbis regimen, vt iam fuit demonſtratum, animarum, & iu-

& iuriſdictionem elargiendo, vtriuſque iuriſdictionis curam demandando, tanta proculdubio erit iuriſdictionis latitudo, quanti ambitus ſunt Claues. Addebat ille: Chriſtus non abſtulit Regna ijs, quorum erant, quoniam venit ea perficere, quæ bene ſe habebant, non autem deſtruere: igitur, quando Rex infidelis fit Chriſtianus, Regnum terrenum, quod habet, non amittit, ſed ad æternum Regnum nouum ius acquirit: alioqui obeſſet Regibus Chriſti beneficium, gratiaq. naturam deſtrueret. Confirmans hæc Sedulij poemate, cuius initium eſt,

A Solis ortus cardine,

In ortum Domini noſtri IESV Chriſti Regis Saluatoris noſtri edito. in quo, alphabeti litteris, quaſi gradibus, incedens, vir ille celebris, Ieremiam imitatus, laudes canit magnæ illius Natiuitatis, nobis ſemper feliciſſimæ, & ſummam Dei caritatem celebrat. In quo poemate hæc leguntur:

Hoſtis Herodes impie,
Chriſtum venire quid times?
Non erpit mortalia,
Qui Regna dat cæleſtia.

Argumentum nec veris vtitur ſuppoſitionibus, nec quid neceſſarium concludit. Singulas partes perpendendo, omnia manifeſta erunt. Supponit tamquam fundamentum, quod Chriſtus non abſtulerit Regna ijs, quorum erant. Quod quomodo cum veritate conueniat, non ſatis intelligo, Græcis, & Romanis Euangelium recipientibus. Audio Dominum, clamantem, ac dicentem Iudaiſmo: *Auferetur a vobis Regnum, & dabitur genti facienti hæc.* Lego Patrem Auguſtinum contra Petilianum hæreticum locum hunc interpretantem, & dicentem, verba illa omnibus impijs eſſe dicta. Quod ſi hæc omnibus impijs, & Iudæis ſimul fuerunt dicta, an vera ſit ſuppoſitio, vnuſquiſque poteſt videre. Quod vero ipſe tunc, dum vitam egit, non fecerit, hoc nihil refert. Non abſtulit quidem Dominus noſter Regna, vi opprimendo, ſed noua Sacramenta, & nouam legem inſtituendo, ac promulgando, Iudæorum, ac infidelium Regna facta ſunt credentium. Duo hæc mutuo ſe conſequuntur: & vnum alteri fit comes, Regnum, & Religio. Perſarum Regnum, quod nunc extat, & cum illo Turcarum, a religione falſa ortum habuiſſe, legimus. Verum, ne longe poetamus teſtimonia, Hebræi, de Domino loquentes, hæc dixerunt. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic omnes credent in eum, & venient* Romani, *& tollent locum noſtrum,*

P *& gentem.*

& gentem. Quod vero Regna, quæ tunc extabant, bene ſe haberent, hoc dubium eſt, & controuerſum. Plena erat gens illa, & Regna Idololatria, atque ſuperſtitione. de gentibus loquor: Iudæa autem quo modo bene ſeſe haberet, vnuſquiſque poteſt videre. hoc illi erat ſtabiliendum. Addebat, quod, dum infidelis Rex fit fidelis, non amittit ius Regni, ſed nouum acquirit ius ad Regnum æternum. ratio eſt, quia, ſi id daretur, ſequeretur magnum inconueniens, quod gratia deſtrueret naturam. Hæc adhuc mihi ſuſpecta ſunt. Si enim Regnum pendet a gentium libera voluntate, vt pro conſtanti habet vir iſte doctiſſimus; (loquor ad hominem) Turcarum Princeps, a populo electus, propria animi deliberatione, vt leges populi, mores, ac ſtatuta ſeruet, ac Dei, quem colit, religionē defendat, quod apud Tartaros, Turcas, & Perſas in vſu eſſe tradūt hiſtoriæ: ille vero, qui eligitur, iuramento hoc affirmet ſe facturū. Chriſtianam Religionem ſuſcipiens infidelis, an iura Regni retineat, erat ab ipſo ratione, & diligentia explicandum. Cum additur enim, Gratia naturam deſtrueret, hoc certe non ſequitur, quod a gratia deſtrueretur natura: deſtrueretur potius naturæ opus, nimirum, electio proueniens a libera populi voluntate, quam nomine Naturæ ſolemus appellare. Quod vero beneficium Saluatoris obeſſet, hoc etiam inde non infertur: quandoquidem, dato, quod amitteret ius Regni, cuncta quæ poſſidemus, ſunt danda pro Regno cælorum: amitteret certe Rex ille Regnum temporale, & æternum acquireret; iure Regni temporalis ſpoliaretur, vt haberet ius ad Regnum æternum. Sedulij teſtimonium adductum, tantum abeſt, vt nobis officiat, quod potius confirmat ea, quæ diximus. Alloquitur magnus ille doctor Herodem regem, qui, imaniſſima barbarie, & furore concitatus, in pueros Bethleemiticos inſæuiebat. horrendum facinus illi obijciendo, quærit ab ipſo, cur ſibi timeret? Chriſtus enim Dominus noſter non erat vi Regna ablaturus, ſed dulci quodam attractu cordium, erat Eccleſiam inſtituturus. quæ & incrementum, & perfectionem erat hoc eodem modo habitura Licetq. Chriſtus Rex eſſet, nihilominus Regia, Regaliue poteſtate minime erat vſurus. diuitiæ, & opes illi non erant neceſſariæ, quemadmodum ceteris Regibus, ad incutiendum populis timorem, & ad ſubijciendum gentes rebelles propriæ ditioni, ad tuendum ſe, ac populum ſuum, ad propulſandaſq. iniurias. Cum itaque diuitijs non egeret ad hæc agenda, non eſſetq. vſurus Regali dignitate, fruſtra ſibi timebat Herodes, impie, ac immaniſsime ſanguine infantium glebas Bethleem tingebat. parentes illorum mæſtitia afficiebat, proprio Regno damnum inferebat nece illa paruulorum miſerabili. Verba ſunt conſideranda. Inquit Sedulius: *Non eripit mortalia.* Verbum illud *Eripere*,

eum profertur vim quandam, & violentiam, more tyrannico, & iniuſto, indicat. Porro, cum Dominus noſter omnibus dominetur, omniumq. ſit productor ſanctiſſimus, aliena proculdubio quod eſſet erepturus, nullo modo debebat furens Rex ſuſpicari. Verum iterum rationem ſumamus: & illi ſatisfaciamus. Conſilium auctoris eſt, demonſtrare, Papam non eſſe dominum totius Chriſtiani Orbis: & vtitur hac ratione. Chriſtus non abſtulit Regna ijs, quorum erant: nec enim venit, vt, quæ bene ſe habebant demoliretur, ac deſtrueret, ſed vt perficeret: igitur, quando Rex infidelis fit Chriſtianus, Regnum terrenum, quod iure obtinet, non amittit, ſed nouum adipiſcitur ius ad Regnum æternum: alioqui Chriſti beneficium obeſſet Regibus, & gratiā deſtrueret naturam. Ea eſt uis, illud ve pondus argumenti. Regna ſunt a populorum electione, non autem a gratia. igitur Summus Pontifex non eſt dominus totius Orbis. Quod vero ſint ab electione, non autem a gratia, inde probatur, quia, ſi Rex infidelis fit Chriſtianus, Regnum non amittit, quod poſſidebat, ſed nouum ius acquirit ad Regnum æternum. Et Chriſtus, veniens in mundum, non abſtulit aliorum Regna, mundo conferens gratiā. Si Chriſtus non abſtulit Regna aliorum, vtique ſunt a populorum electione: igitur Summus Pontifex totius Orbis Chriſtiani non eſt dominus. Conſequentia hæc quantam vim habeat, vnuſquiſque poteſt facillime iudicare. Quoniam ſcilicet non abſtulit aliorum Regna, Chriſtus, igitur illius Vicarius non erit dominus Orbis. non abſtulit aliorum Regna: igitur ſunt a populorum electione. Si ab illis abſtuliſſet Regna, adhuc eſſent a populorum electione, tamquam a cauſa media: neque inde ſequitur, Igitur Vicarius illius non eſt dominus Orbis: quoniam, cum Papa ſit Dei Vicarius, illi debent omnia ſubijci Regna. Qua in re illud certe non eſt prætereundum ſilentio, quomodo Electio ſit cauſſa regni conſtituendi. Hoc ſimpliciter dictum, falſum eſt. Eligat populus Principem inhabilem, aut hæreſi, aut aliquo crimine: electio certe Principē nō conſtituet, tunc electio ne Rex conſtituetur, cum electio erit ritè, & recte ab Electoribus facta. Atqui ſatisfaciamus rationi, & dicamus, quod, ſi quid probat, illud probat, Papam non eſſe dominum totius Orbis Chriſtiani, vt imperet omnibus ordinarie, & de facto. Quod certe non aſſerimus: verum dicimus, totius Orbis Chriſtiani eo ſenſu eſſe dominum, quoniam aliorum iuriſdictiones ad hanc vti ad primam referātur, & quod de iure omnibus præminet. Hoc autem eſſe falſum adducta ratio minime perſuadet. Quomodo autem Paganis dominetur Regibus, alibi diximus, & quomodo etiam totius Orbis Chriſtiani dicatur dominus. Poſtrema ratio hæc erat: Si Papa eſt totius Orbis Chriſtiani dominus, ac Princeps, ſinguli quoque Epiſcopi e-

runt Principes in opidis, Epiſcopatui illorum ſubditis: ſiquidem id quod eſt Papa in Eccleſia vniuerſali, eſt quilibet Epiſcopus in propriâ diœceſi. Si ergo Summus Pontifex eſt totius Orbis dominus, ergo & quilibet Epiſcopus in propria diœceſi. hoc vero a veritate longe diſtat. Male colligitur hac ratione, quoniam eodem modo non ſe habet Epiſcopus in propria diœceſi, & Papa in toto Orbe Chriſtiano. Etenim, in Chriſti, Petriq. ſucceſſoribus temporalis poteſtatis culmen, & faſtigium reperiri, abūde, vt ingenij noſtri vires ferūt, (quas ſē per perexiguas eſſe non negaui) fuit demonſtratum. quod in Epiſcopis non inuenitur. Pariter etiā ſpiritualis dignitatis apex in Chriſti Vicario exiſtit, non autem in Epiſcopis. Sacra conſulamus Oracula: & hæc conſpicua fient, omniſq. controuerſia dirimetur. In nouiſſima cena, dicens, *Quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis*, diſcipulos ſuos, Sacerdotes ordinando, poteſtatem ſuper corpus Chriſti, verum & ſpiritualis iuriſdictionis, eis dedit. Poſt reſurrectionem autem, dicendo, *Euntes, prædicate Euangelium omni creaturæ: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; auctoritatē & poteſtatē donauit illis, ad annuntiandam remiſſionem peccatorum, eadem ve dimittendi. Faſtigium autem poteſtatis, & auctoritatis, Petro eſt elargitus, cum Claues ei tradidit ligandi, atque ſoluendi. Verba id nobis manifeſte indicant. Pollicēdo beato Petro Claues, ſingulari numero hunc diſcipulum eſt allocutus, dicens: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Petro autem, reſpondenti, & confitenti, Chriſtum eſſe filium Dei viui, cælorum Claues ſpopondit ei Dominus, dicens: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues Regni cælorum*. Singulariter Petrum eſt allocutus, & vſus eſt pronomine illo, *Tibi*, vt patefaceret ſummum huius poteſtatis culmen, ac apicem, in beato Petro reperiri. Eadem verborum ſerie vſus eſt Dominus, cum eundem Apoſtolum præficeret Eccleſiæ. Proprio nomine illū appellando, dixit: *Petre, amas me plus his?* Maiorem ab eo requirebat amorem, cui maiorem erat daturus poteſtatem. Promiſit Petro Claues, non autem Apoſtolis. Commiſit Petro Eccleſiam, non autem Apoſtolis. at, cum dedit poteſtatem Apoſtolis, & auctoritatē, ſine Petro nihil eſt elargitus. quæ, procul dubio, certam faciunt fidē, Apoſtolos ſine beato Petro nihil poſſe: contraque, Beatum Petrum ſine illis, poſſe. Quę omnia diligenter tra-
97. Diſt. 19 ctata comperimus a Sancto Leone, in epiſtola, quæ refertur in c. ita dominus. cuius magni Pontificis epiſtolæ, receptæ fuerunt a Concilio Conſtantinopolitano, ſummoq. honore habitæ: vt prima actione legitur in Epiphanij epiſtola Ioāniſq. Hieroſolymitani reſcripto. Vniuerſalis eſt igitur hæc poteſtas Vicarij Chriſti, nō diſtincta, nō limitata, non contracta, ac veluti menſura quadā conſtituta, vti Epiſcoporum,

porũ, quæ ſuis terminis eſt concluſa. Hinc Sanctus Pau. ad Rom. *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum?* Summus itaque Pontifex, Chriſti Vicarius, characteris impreſſione eſt Sacerdos, Characteris dilatatione, ac perfectione Sacerdos magnus. Vt autem habet iuriſdictionem in Eccleſia vniuerſali ſupremam, ad cuncta maiora negotia exercenda, maximus Sacerdos exiſtit, Chriſti Sacerdotium repræſentans. Verũ illud eſt, omnes Epiſcopos dici Fratres Papæ, at hoc limitationis, declarationiſq. miniſterio eſt indigẽs. Fratres dici poſſunt naturæ conformitate. qua etiam ratione Chriſtus Saluator noſter, qui verus homo, veruſq. Deus eſt, hæc proferendo non eſt dedignatus homines vocare Fratres. *Nunciabo nomen tuum fratribus meis,* ſcriptum eſt a Beato Paulo, ad Hebræos. Secundo dicuntur Fratres, meriti æqualitate. Tertio, ordinis dignitate. Omnes namque Apoſtoli ordinis poteſtatem a Chriſto æqualiter receperunt. Epiſcopi autem Apoſtolorum perſonas, vt receptiſſimo vtar verbo; repræſentant, Papa autem beati Petri gerit vicem, Chriſtiue dicitur, exiſtitq. Vicarius. Hæc ſcripta legimus c. in nouo teſtamento. vbi ceteros Apoſtolos cum Petro pari conſortio honorem, ac poteſtatem a Domino accepiſſe, nimirum ſi ordinem reſpiciamus, & conſecrationem, vt ibi luculenter Gloſſator animaduertit, licet videre. Huc tendunt, quæ ſcripta ſunt iu Concilio Tridentino, & c. quorum vices. At, cum ſermo eſt de iuriſdictionis poteſtate, nullus certe æqualis eſt Papæ in tali poteſtate. Epiſcopi omnes vocati ſunt in partem ſollicitudinis, ac adminiſtrationis: ſolus autem Papa in toto Orbe vniuerſalẽ habet adminiſtrationem. Hæc ſibi voluit Beatus Chryſoſtomus in homilia ſuper Ioan. dicens, a Chriſto Sanctum Iacobum in loco ſingulari decretum fuiſſe prælatum, Beatum vero Petrum totius Orbis magiſtrum, & doctorem, fuiſſe delegatũ. Super Apoſtolorũ Acta quin etiam ſcripſit, Petrum accepiſſe poteſtatem ſuper omnes homines, non quidem vt Moyſes, in gente vna, vel in vno populo, ſed in vniuerſo terrarum orbe. Adde, quod in Petro non tantum faſtigium poteſtatis ſpiritualis verum etiam temporalis exiſtit, vt iam dictum fuit. Quare nulla prorſus eſt illatio, nulliuſq. roboris adducta ratio. Ceterum, quoniam, argumentis non contentus, quædam afferebat patrũ dicta, hæc quoque ſunt perpendenda. illorum primũ erat Sancti Ambroſij ita loquentis, *Si tributum petit Imperator, tributũ Cæſaris eſt non negatur.* Et in epiſtola Athanaſij ad ſolitariã vitã agẽtes. Hoſius Epiſcopus ait: *Imperatori tibi Deus Imperiũ, nobis autẽ quæ ſunt Eccleſiæ cõmiſit.* Vnũ, & alterum teſtimoniũ, nullum nobis faceſſit negotiũ, nec ingerit laborẽ. in confutanda ſentẽtia aliorũ, Ijs, quæ ſupra ſũt expoſita, vni, & alteri, cumulate fuit ſatisfactũ. Miles Chriſti exiſtit Imperator, Eccleſiæ aduocatus, ac protector, hac de cauſſa

Cap. 14.

Cap. 2.

21. Diſt.

Seſſ. 23. c. 4.

Diſt. 63.

illi tributa ſunt reddenda, atque vbi deſunt laicorum bona, ex ære Eccleſiæ ſtipendia ei ſunt eroganda, quæ ſecum meditando Pater Ambroſius ait, tributum Cæſari non eſſe negandum. Addamus ijs, cumulatioris doctrinæ gratia, prædia illa tributum Imperatori reddere, quæ prius erãt Domini, vt dicunt, tẽporalis, & certũ reddebant tributũ, mox ad Eccleſiam tranſeunt onere proprio. Iuſtum eſt, ab Eccleſia ſolui tributũ illud, quod ſoluebatur a Domino prædij, qui ſcilicet idẽ donauit, vel vendidit Eccleſiæ. ob id tamẽ nõ ſubijcitur Eccleſia domino tẽporali, vt ei cõtribuat vt c. in qualibet, §. ſãcimus, ac alibi legimus. Soluit etiã Eccleſia hoc tributũ pro cauſſa quã aſſignat Vrbanus Papa loco citato, nimirum c. tributum, pro pa-
Diſt. 33. q. 8 ce, & quiete, quam tueri debent Imperatores. Eccleſiam, & clericos protegere. At, ſi ſermo ſit de agris, qui prius immunes erant, & Eccleſiæ donati fuerunt, nullum certe eſt dubium, quod tributum non ſoluunt. Verba autem Sancti Ambroſij de prædijs illis, quæ tranſeunt cum onere proprio, ſunt accipienda, quemadmodum gloſſa inſinuat in eodem capite. Si tributum, in verbo agri. Secundus item locus, quomodo ſit exponendus, conſpicuum eſſe arbitror ijs, quæ ſupra fuerunt allata. Imperium datum fuiſſe Imperatori a Deo, vt tractet temporalia, non autem ſpiritualia, Summo Pontifici Eccleſiam fuiſſe commiſſam, vt ſacra tractet. nec tamen inde ſequitur, quin Summus Pontifex poſſit etiam temporalia moderari. Adiecit his & alia duo loca Beati Leonis Papæ: vnum ex epiſtola trigeſima octaua; alterum ex epiſtola quadrageſima tertia. Quæ loca teſtantur, Imperatorem a Deo fuiſſe factum. Quæ teſtimonia haud officiunt nobis, aſſerentibus, a Deo Principes ad Principatum, & dignitatis culmen euectos fuiſſe. quin autem Papæ poteſtas ceteris ſuperemineat, & quod mediãte illa aliæ non inſint principibus poteſtates, inde non ſequitur. Saul a Deo Rex fuit electus, a Samuele tamen vnctus, & conſtitutus fuit. Dauid quoque populi eiuſdem Rex fuit Dei electione, & Samuelis poſtmodum electione, & vnctione. Coronatur a Summo Pontifice Imperator, & vngitur, eligitur quoque ab Electoribus, a Chriſti Vicario ad hoc officium ordinatis, & delegatis. Succeſſione Rex fuit Salomon, at a Sadoco Sacerdote vnctus eſt, & Rex conſtituitur illa vnctione, ſi poteſtatem attendamus. quamobrem neganda eſt merito illa conſequentia. neque enim ex verborũ contextu talis illatio ſequitur. Peccat argumentum, vt logici aiunt, per fallaciam conſequentis. Gentes (gratia exempli) diuinitus conſecutæ ſunt baptiſmum. igitur non per miniſtrum. Aaronus, ac filij eiuſdem diuinitus ſunt Sacerdotes: igitur non medio Moyſe? In Exo-
Cap. 28. do dixit Dominus: *Veſtes his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios eius cum eo; & cunctorum conſecrabis manus, ſanctificabiſq. illos, vt Sacerdotio*

cerdotio fungantur mihi. A Deo habuerunt Sacerdotium, præbente manu Moyſe. Sui Iuris approbationem, conſecrationem, vnctionē, & Diadema quoniā a Papa obtinet Imperator: ideo concludimus, hæc eadē a Deo illi obuenire Papa mediāte. Deus aliqua facit immediate, ea ſcilicet, quæ creat. aliqua vero medijs creaturis. In Exodo frequens eſt huius elocutionis vſus: *Locutus eſt Dominus ad Moyſen*. Doctores interpretantur per Angelum. Quare nil obſunt ſententiæ noſtræ adducta teſtimonia, qui, vti aſſerimus, omnes dignitates a Deo prouenire, ita affirmamus omnes poteſtates, & iuriſdictionem ad primam, in Summo Pontifice exiſtentem, tamquam ad metrum, & menſuram aliarum referri. His adijciebat nonnulla alia dicta Beatorum Pontificum, Gelaſij, Gregorij, Nicolai, Alexandri, ac Innocētij. Quæ fere omnia, qua nam intellectione ſint accipienda, ſupra expoſuimus. Primum eſt Beati Gelaſij, quod legitur c. Duo ſunt, de quo fuſius ſuperius dictum fuit. Ceterum, quoniam obſeruat vir iſte doctiſſimus quædam, illa ſunt adducenda, & reijcienda. Animaduertit, ibi non eſſe ſermonem de ſola executione, ſed de ipſa poteſtate. Ait ille: *Ne dicant aduerſarij, vt ſolent, Papam quidem habere vtramque poteſtatem, at executionem alijs demandare. Gregorius, ad Mauritium ſcribens, ait. Poteſtas ſuper omnes homines dominorum meorum pietati cælitus data eſt.* Hæc animaduerſio ad noſtrū nō facit negotium. numquam negaui, nec alios negantes legi, poteſtatem rerum temporaliū Imperatori ineſſe. ego lippus in Sole non caligo, multo minus ceteros, aquilinis oculis præditos caligare credidi. Dico ego, rerum temporalium poteſtatem a Deo Imperatori fuiſſe elargitam. quemadmodum etiam Sancti Gregorij Papæ verba teſtantur. Verum aſſero, inde non ſequi, quod talis poteſtas, omniſq. alia, Summi Pontificis iuriſdictioni non ſubijciatur. Conſequentiā inualidam eſſe: Poteſtas hæc, eſt a Deo, igitur non eſt Papæ poteſtati ſubdita: nunc demonſtraui. Patefeci quinetiam, licet ſit a Deo, adhuc tamen verum eſſe, quod dependeat a Summo Pontifice. Loca etiam, quæ ex Beato Nicolao excerpta adducūtur, nullū nobis afferunt laborē. Primus locus nil aliud legentem monet, niſi, quod in ijs, quæ ad iuriſdictionē attinent, cū Sūmus Pōtifex nihil noui efficiat, quod imminuat poteſtatem Principū, multo magis (modeſte loquitur, ac lene oir Sanctus) Principes, Eccleſiæ iura non debent ſibi vſurpare. Secundum vero dictum, iam fuit ſuperius declaratum. Vnum dumtaxat addo. Cum legimus officiorum horum diſcrimen, id caſte eſt intelligendum. nec enim eſt ijs concludendum, Papam carere omnino executione rerū temporaliū, & pugnæ præcipue. Siquidem, vt immediate nō licet, ſe miſcere pugnis ac bellis: nihilominus medijs alijs, hæc facere poteſt. Tali ſenſu ſunt *23.q.8.q.3.* accipienda verba Gregorij Papæ c. ſi in morte, & Patris Ambroſij. *Diſt.63.q.6*

c.vides

23.q.8.q.3 c. vides, &c. Adrianus. Arguebat autem dicens, vel Summus Pontifex a Regibus, & Imperatoribus, hanc executionem poteſt auferre, tamquam ipſe Summus Pontifex, & Imperator, aut non poteſt.
Diſt.63.q.6 Si primum detur, erit maior Chriſto; ſi ſecundum concedatur, non habet poteſtatem regiam. Ratio hæc ſupponit ea, quæ incaſſum probare nixus eſt. Reſpondeo, quod poteſt: vt etiam ſupra fuit demonſtratum, tamquam ille, in quo apex vtriuſque dignitatis fulget. at, cum infert, Igitur erit maior Chriſto, conſequentia eſt neganda. Cauſſa negationis patet. Nō exercuit autem hāc Chriſtus dignitatem cauſſis alibi a nobis expoſitis. Venio ad Alexandri
Ex de Ap. decretum, c. ſi duobus, § denique. Qui, interrogatus, num appellatio a iudice ſæculari ad Papam teneat, reſpondit, *Tenet quidem in ijs, quæ ſunt noſtræ temporalis iuriſdictionis ſubiecti, in alijs vero ſe-*
Ex. q. ſi ſi. leg. *cundum iuris rigorem credimus non tenere*. Item c. cauſſam, *Nos attendentes, quod ad Regem pertinet, non ad Eccleſiam, de talibus poſſeſſionibus iudicare, &c.* Ambæ inſtantiæ facili labore tolluntur. Sunt appellationes in duplici differentia, vel negotiorum difficillimorum & ſummi ponderis, vel in mediocritate quadam collocatorum. in primis locum habet appellatio ad Summum Pontificem, non autem in ſecundis. Cum appellamus a Rege, aut ab alio iudice ad Papam, nec temere, nec leui de cauſſa id eſt faciendum, ne imminuatur Principis auctoritas, venia, & facilitate appellationum: ſed in cauſſis dumtaxat ſummæ vrgentiæ, vbi ui ius noſtrum peſſum dari videmus. tunc ad ſupremum confugimus iudicem, cuius officium eſt huiuſmodi cauſſas iudicare. Sed, quæ ſuperſunt, ponderemus, obſecro. Citauit, ad propriam roborandam doctrinam,
Ex. de ma. & ob. decretum Innocentij Papæ c. ſolitæ. vbi Chriſti Vicarius ſimilem, ſe facit Soli, Imperatorem Lunæ. qui locus quoniam ſupra in gratiam noſtri adductus fuit, & diſcuſſus, nunc bona venia relinquatur intactus. Tantum enim abeſt, vt ſententiam noſtram euertat, quod illam potius roboret, atque firmiorem reddat. Ad vltimum locum adductum me conuerto, qui erat Epiſtola Summi Pontificis
Ex. q. ſi. ſi. leg. in. c. per venerabilem. Dicebat Theologus iſte doctiſsimus, verbis harum litterarum conſpicuum eſſe, Papam ſolum in Patrimonio Beati Petri, in temporalibus habere plenam poteſtatem, in alijs vero regionibus minime. Et ibidem addebat, a Rege nullum ſuperiorem in hac vita recognoſci. Verba hæc ſunt: *Inſuper, cum Rex in temporalibus ſuperiorem minime recognoſcat, ſine iuris alterius læſione, in eo ſe iuriſdictioni noſtræ ſubijcere potuit, in quo videtur aliquibus, quod per ſe ipſum, non tamquam pater cum filijs, ſed tamquam Princeps cum ſubditis, potuit diſpenſare. Tu autem noſceris alijs ſubiacere.* Hæc Beatiſſimus ille Pontifex. Ex quibus colligit doctiſsimus vir, Re-

gem in temporalibus neminem cognoſcere ſibi ſuperiorem. Qui locus, licet prima facie, neſcio quid roboris maximi videatur in ſe cōtinere, nihilominus, ſi recte quis eum conſiderabit, videbit profecto, quod gratis adducitur. Si quidem in eo reſcripto hæc leguntur verba: *Rationibus igitur his inducti, Regi gratiam fecimus, requiſiti, cauſſam tam ex veteri, quam ex nouo Teſtamento trahentes, quod nō ſolum in Eccleſiæ Patrimonio, ſuper quo plenam in temporalibus gerimus poteſtatem, verum etiam in alijs regionibus, certis cauſſis inſpectis, temporalem exercemus iuriſdictionem: non quod alieno iuri præiudicare velimus, &c.* Non dicit Summus Pontifex, dumtaxat ſe habere poteſtatem plenam in temporalibus, in Eccleſiæ Patrimonio, negando, alibi ab eo exerceri temporalem poteſtatem: ſed loquitur de poteſtate efficiendi filios legitimos, dicēs, non tantum in Beati Petri Patrimonio, verum in alijs ditionibus, id ab ipſo fieri poſſe. Cum vero actus iſte ad iuriſdictionem ſpectet, plane ex ijs colligere poterimus Papæ iuriſdictionem omnibus præſtare, ac omnia amplecti loca, ſuā vbiq. poteſtatem exercendo caſualiter. Vt autem res plene intelligatur, cognoſcaturque, locum hunc magis noſtræ, quam oppoſitę fauēre ſententiæ, non grauabor, ea qua fieri poterit, breuitate illa hic referre, quę Chriſti Vicarius in ea epiſtola lectores docuit: vt vnuſquiſque poſſit iudicare, hanc veritatem, & adductum teſtimonium in noſtrum auxilium iuſte poſſe vocari. Humili ſupplicatione, precibuſq. rogatus Summus Pontifex ab Archiepiſcopo Arelatenſi, illius ſcilicet partis Galliæ, quæ Narbonenſis paſſim appellatur, vt cuiuſdā nobiliſſimi viri illius regionis filios titulo, vt dicunt, legitimationis, dignaretur decorare, ne obiectio natalium, illis eſſet impedimento, in adeunda patris hereditate. Audaciam, animumq. accipiebat filiorū pater rogandi Pontificem, ab illoq. poſtulandi hanc gratiā, eo quod Francorum Rex vxorem Reginam cum dimiſiſſet, & ex alia poſtmodum ſuperducta puerum, & puellam ſuſcepiſſet, ita & ipſe, legitima vxore exploſa, aliam ſibi copularat, ex qua filios genuerat, quemadmodum cum filijs Regis, illegitimo thoro natis, ex benignitate Sedis Apoſtoliæ diſpenſauerat, ita quoque cū ſuis eſſet diſpenſandū. Papa, his reſpondens ſupplicationibus, negat petenti gratiam. Ne autem quis ſuſpicaretur, hoc ea de cauſſa fieri, quoniā in aliena iuriſdictione huiuſmodi poteſtatē non poſſet Papa exercere, cum filios illegitimos idoneos, ac legitimos facere ad actus ſæculares, ſit Imperatoris, Regiſue munus, cuius eſt leges condere, ac illas (vt ita dixerim) ferire, ac iugulare, & tollere: Pontifex oſtendit, primo in Chriſti Vicario plenam eſſe huius facti auctoritatem, deinde huius viri caſum eſſe valde diſſimilem à Regis Galliarum euentu. Probat autem, ab Apoſtolica Sede ſuper hoc plenam haberi poteſta-

tem, hiſce vtendo rationibus. Primo, quoniam, diuerſis cauſſis inſpectis, Apoſtolica Sedes cum quibuſdam diſpenſauit, minus legitime natis, non naturalibus tantum, verum etiam adulterinis, vt poſſint in Epiſcopos promoueri. veriſimilius itaque erit, & probabilius reputabitur, vt poſſit legitimare ad actus ſæculares, hocque præcipue, ſi, præter Romanum Pontificem, inter homines ſuperiorem alium non cognoſcant, qui legitimandi habeat poteſtatem. Hoc roborando, confirmat, quoniam ceteri Principes, ad actus ſæculares huiuſmodi filios, legitimationis ditant honore, Pontifex Maximus non tantum ad hos actus verum ad ſpirituales, vt dictum eſt, in quibus maior prouidentia, & auctoritas, & idoneitas requiritur, legitimos facit. Quod autem in maiori conceditur, in minori licitum eſſe videtur. Argumento præterea a ſimili ducto, perſeuerat in probanda concluſione. Probatio eſt hæc. Eo ipſo, quod aliquis ad apicem Epiſcopatus attollitur, eximitur a patria poteſtate. &, ſi ſimplex Epiſcopus, ſcienter alterius ſeruum ordinaret in preſbyterum, licet ordinator domino ſatisfacere teneretur, ordinatus tamen iugum euaderet ſeruitutis. Monſtruoſum ſiquidem videretur, vt, qui legitimus ad ſpirituales fieret actiones, circa ſæculares actus illegitimus remaneret. Porro, ſi in ſpiritualibus diſpenſatur, in temporalibus quoque diſpenſatum eſſe, intelligitur. His concludens, in Patrimonio Beati Petri a Sede Apoſtolica id libere effici poſſe, in quo & Summi Pontificis auctoritatem exercet, & Summi Principis exequitur poteſtatem. Quod autem illius viri Illuſtriſſimi caſus ſit diſpar, ac longe diſſimilis, ab euentu Galliarum Regis, docet, quia Francorum Rex per Rhemenſem Archiepiſcopum, Sedis Apoſtolicæ Legatum, fuit per ſententiam ſeparatus: ille vero, propria temeritate ductus, vxorem a ſe ipſo ſeiunxit. Rex, antequam ad ipſum prohibitio de non contrahendo cum altera peruenifſet, filium, & filiam ſuſceperat; ille vero, in Eccleſiæ contemptũ, aliam vxorem ſuperducere tentauerat. Rex e contra matrimonio obiecit impedimentum affinitatis, & coram præfato Archiepiſcopo teſtes induxit; at ille Narbonenſis, nihil, quod diuortium induceret, obiecerat. Poſtremo, cum Rex in temporalibus ſuperiorem minime recognoſcat, ſine iuris alterius læſione, in eo ſe iuriſdictioni Apoſtolicæ ſubijcere potuit, in quo videretur aliquibus, quod per ſe ipſum, non tamquam pater cum filijs, ſed tamquam Princeps cum ſubditis, potuit diſpenſare, at Gallus Narbonenſis ſubditus erat. Hiſce rationibus inductum Regi gratiam feciſſe, ex veteri, nouoque Teſtamento cauſſam trahendo, non ſolum in Eccleſiæ Patrimonio, ſuper quo plenam in temporalibus gerit poteſtatem, verum etiam in aliorum Principum ditionibus, poſſe filios ex amplexu illegitimo

natos

natos, legitimos facere, docet Chriſti Vicarius. Ex quibus primo colligitur, in Summo Pontifice apicem vtriuſque poteſtatis reperiri. Inquit Papa, in Patrimonio Beati Petri libere poteſt Apoſtolica Sedes id efficere, in quo & Summi Pontificis auctoritatem, & Summi Principis poteſtatem, exercet. Adiectiuum illud *Summi* vt *Pontifici* additum, dignitatis Sacerdotalis culmen in Papa denotat: ita etiã adiunctum, *Principi*, faſtigium Principatus in eodem debet indicare. Cum enim eodem modo vtrobique iaceat, nulla voce contrahente ſeu limitante, vtrobique vt eundem pariat ſenſum, eſt neceſſe. Colligitur ſecundo id quod ſæpius hactenus dictum fuit: Papam ſcilicet in toto orbe Chriſtiano habere temporale dominium, ſeu mauis poteſtatem, ac iuriſdictionem, licet illam dumtaxat ordinarie exerceat in Patrimonio Eccleſiæ. Hoc liquet. Rogatur Papa a quodam Principe Galliæ Narbonēſis, vt filios ſuos legitimationis gratia honeſtet. Regio illa inter partes Patrimonij Beati Petri non adnumeratur. Actus ille ad Principem habentem iuriſdictionem, & illius regionis auctoritatem, ſeu poteſtatem ſpectat: attamen teſtatur Papa, teſtimonijs acceptis a nouo, ac veteri Teſtamento, in remotis partibus illis, ac alijs a Beati Petri Patrimonio diſtantibus, id facere poſſe. Diſputat Pontifex, &, vt dubium ſoluat, an ſcilicet poſſit filios legitimos facere, in parte Galliæ, ſoluendo, oſtendit quod poteſt, licet gratiam deneget, vt liberaret animum omnium, & præcipue poſtulantis a dubitatione, an ſcilicet poſſet legitimationis gratia honorare filios ſubditorum alterius Principis. Docet, tali actu ſe habere plenam poteſtatem, libere autem ea vti in Beati Petri Patrimonio. Vox illa, *Præcipue*, comparatiuum redolet, ad aliud ve refertur, ad aliam partem, in qua non ita exercet, omni ſemoto reſpectu, propriam Principis auctoritatem. Id etiam aduerbium *Libere* iudicat. hoc aduerbium refertur ad id, quod aliquo reſpectu, ſeu aliqua ratione, minus libere exercetur. at libere in Eccleſiæ Patrimonio, minus libere in aliorum ditionibus: quoniam in illo ordinarie, in ijs caſualiter Papa Principis vtitur poteſtate. Colligitur quinetiam, in Summo Pontifice ſuperiorem auctoritatem reperiri Regum poteſtate. Si enim Regum filij illegitimi, Papæ auctoritate habiles fiunt ad Regnum, actus vero talis auctoritatem requirat ſuperioris, cum id a Rege nequeat fieri, ſed a Pontifice agatur, proculdubio talis auctoritas erit eminentior. Accedo modo ad argumentum: reſpondeoque, illis verbis nos doceri oppoſitum. Ait Beatus Pater, non tantum in Patrimonio Eccleſiæ, verum etiam in aliena ditione, plenam habere poteſtatem, filios ſpurios legitimationis gratia decorandi, libere autem, atq. omni ſemoto reſpectu, in Patrimonio Beati Petri, vbi Summi Principis exequitur poteſtatem.

Duo hic affirmat. Quorum vnum eſt, in ditionibus aliorum Principum plenam habere talis actus poteſtatem; alterum eſt, libere eam exercere in Eccleſiæ Patrimonio. Non dicit, quod ſolum habeat poteſtatem in Patrimonio Beati Petri, quemadmodum illi aſſerunt. Vſus liber refertur ad Eccleſiæ Patrimonium, plenitudo poteſtatis ad omnia loca, omnes ve ditiones. Verba etiam ſecundo loco adducta illorum deſtruunt ſententiam, qui oppoſitum ſentiunt, noſtramq. confirmant, atque conſolidant. Comparat Papa ſubditum cum Rege, vt vidimus, cur ve cum filijs Regis diſpenſarit, & cum filijs ſubditi neget diſpenſare. ait, quod latum eſt inter hos diſcrimen: Rex eſt ſui iuris, ac mancipij, nullum habens ſuperiorem in proprio Regno, cuius ſit munus filios legitimationis honore decorare, at ſubditorum filij cum habeant ſuperiorem Regem, illius erit munus tales filios legitimatione honeſtare. Sine alterius læſione Rex, & Princeps, poteſt ſe alterius poteſtati ſubdere: at ſubiectus, alienæ ſubdens ſe poteſtati, lædit proprij Principis auctoritatem, quemadmodum læditur auctoritas iudicis, ad quem primo ſpectat cauſſas audire, ac primam proferre ſententiam, vbi quis ſuperius tribunal tentat adire. Cum ait, Regem non habere ſuperiorem, comparat illum cum ſubditis in propria ditione, non autem loquitur abſolute: quoniam loquendo ſimpliciter, Rex quoque ſubditur poteſtati primæ, vt diximus. Ipſe Summus Pontifex, ſe ipſum declarando, ait, quod, cum in aliena iuriſdictione diſpenſandi vtitur auctoritate, aliorum iuriſdictioni non vult præiudicare. Papæ temporalis poteſtas, licet proprijs concludi terminis, dici poſſit, ſi eius vſum quotidianum liberum aſpiciamus, atque vt Principis Apoſtolorum Patrimonio eſt accommodata, nihilominus caſualiter, & in ſe conſiderata in omnibus Chriſti Principum ditionibus habet ſuas uires. Verba vero illa, cum Rex in temporalibus minime recognoſcat, haud nos docent, Regis poteſtatem Papæ poteſtati non ſubiacere, ſiquidem quę ſequuntur, contrarium indicant: verum innuunt, Regem in proprio Regno non recognoſcere ſuperiorem, non autem quod extra ditionem non habeat Pontificem Romanum ſuperiorem. Gloſſa non eſt ſilentio inuoluenda: quæ ait, quod, ſi de facto non ſubijcitur, de iure ſubditur: quoniã, licet Principes ſint ſui iuris, ac libere propriã exerceant auctoritatem, nihilominus inde nõ ſequitur, quin a Papa poſſint iudicari. Non ſunt hæc duo adeo oppoſita, vt ſimul non poſſint exiſtere: quod libere exercere valeat auctoritatẽ, & quod habeat ſuperiorem iuriſdictionem, vt alibi demonſtrauimus. Hac de cauſſa, & his, quæ nunc, late explicauimus, dixit Sanctus Bernardus, quod non debet mittere Papa falcem in meſſem alienam. & hoc ſenſu loquuntur Pontificiæ ſanctiones, c. cum ad verum c. quoniam idem, c.

ſolitæ. quæ omnes locum habent, ſi loquamur de Papæ auctoritate, ratione quotidiani vſus in Eccleſiæ Patrimonio, vbi terminis quibuſdam cōcluſa iudicari poteſt, & de exercitatione poteſtatis Principum in eorum ditionibus in ſubditos: at, ſi loquamur caſualiter, & ratione eius latitudinis, de iure in omnibus iuriſdictionibus, ſi exerceatur, non erit incongruum. diſcreta eſt ab alijs, vt Patrimonio Eccleſiæ eſt accommodata. Hæc hactenus. Ad tertiam diſputationis partem accedamus.

Diluuntur rationes, Probantes, Papam nullam habere temporalem iuriſdictionem directe. Caput VI.

VErum, quemadmodum argumenta hactenus adducta infirma fuerunt, ad probanda huius viri placita; ita ſane minus ſunt efficacia, quæ ornato verborū apparatu conſtruit, vt probet, Summum Pontificem nullā habere iuriſdictionem temporalem. Quibus equidē ſatisfaciendi laborem æquo animo recuſare poteram, cū nō ſemel, ſed bis, ac ter, in reijciendis Hugonis, Catharini, & Soti rationibus, hæc quoque euerterim. Verum, quoniam nonnulla ab hoc excultiſſimo Theologo ſunt addita, iccirco nouo examine eas perpendere decreui, vt nihil ſuperſit, quod ſtudio meo nō fuerit diſcuſſum, atque dilucidatum. Argumentū erat hoc. Chriſtus, vt homo, cum in terris vixit, tūc non accepit, nec voluit vllum temporale dominum. Summus autem Pontifex Chriſti Vicarius eſt, & nobis repræſentat, qualis Dominus noſter erat, dū hic inter nos homines viueret: igitur Papa nullū habet tēporale dominiū. Vt vero probaret huius rationis vnā, & alterā propoſitionē, longa vtebatur oratione, a Soto, Catharino, ac Sandero mutuādo. Aiebat primo, Chriſtū fuiſſe quidē ſemper, vt Dei filiū, Regē, ac dominum omnium creaturarum, eo modo, quo eius Pater; ſed hoc Regnū eius æternū eſſe, & diuinū, nec tollere dominia hominū, nec poſſe Pontifici conuenire. Fuiſſe præterea Chriſtum, vt hominem, Regem hominum ſpiritualē, & habuiſſe poteſtatē ampliſſimā in omnes, tā fideles, quam infideles, in ordine ad ſalutem æternā, ita, vt poſſet obligare ad fidem, & Sacramenta ſua ſuſcipienda. futurum etiam poſt diem iudicij, hoc ſpirituale Regnum Chriſti etiam ſenſibile, & manifeſtum; & ita inchoatam eſſe gloriam

huius Regni, in ipſo capite noſtro Chriſto,quando a mortuis reſurrexit. Ceterum, hoc etiam non eſſe Regnum temporale,qualia ſunt noſtrorum Regum, nec poſſe Pontifici communicari,quia præſupponit reſurrectionem. Potuiſſet denique,Chriſtum hominē,ſi voluiſſet,& expedire ſibi viſum fuiſſet accipere Regiā auctoritatē tamē noluiſſe,ac proinde non accepiſſe,nec habuiſſe non ſolum executionē, dominij, & Regni, ſed nec auctoritatem, nec poteſtatem, vllius Regni temporalis. Id probabat, quoniam, ſi habuit Regnum, aut hereditaria ſucceſſione, aut electione, aut iure belli, aut dono ſpeciali habuit. at nullo horum modorum Regno potitus eſt: igitur nullo modo illud obtinuit. Quod ſucceſſione hereditaria Regnum non habuerit, inde probatur, quoniam, tametſi ex Dauidis familia deſcenderit, tamen non conſtat,an ipſe eſſet Dauidi magis proximus, quam multi alij,qui eiuſdem erāt familiæ, & propterea tunc ab eadem familia Regnum erat ablatum,idq.volente Deo,qui etiam prædixerat ex Iechoniæ familia, vnde Chriſtus, fuit oriundus, nullum futurum Regem temporalem. Ierem. *Hæc dicit Dominus: Scribe virum iſtum ſterilem, virum,qui in diebus ſuis non proſperabitur.nec enim erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iuda.* Ex hoc autem Dominum traxiſſe originem conſtat ex Matthæi verbis. Nec titulo electionis. quoniam in Euangelio Sacro Sancti Lucæ legimus: *O homo, quis me iudicem conſtituit, aut diuiſorem inter vos?* Hoc eſt,neque Imperator, neque Reſpublica. Ad hæc, apud Ioannem Sanctum legitur, quod, cum cognouiſſet Dominus, vt turbæ eum raperent, Regemq. conſtituerent, fugit. Nec dono ſpeciali. quoniam, cupiens a ſuſpicione liberare Pilatum, vt Theophylactus, Beatiq. Auguſtinus, & Cyrillus interpretantur, dixit, *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Hæc eſt tota, ac integra ratio, quam prolixiore ſermone, Sotus conſtruxit. probationes vero apud Ambroſium Catharinū leguntur. Omnibus, vt dixi, ſupra fuit ſatis factum. at in veritatis gratiam, iterum reſpondendi onus minime recuſabo. Peccat argumentum in illatione,cum infert, Summus Pontifex, Chriſti Vicarius, repræſentat Chriſtum, inter homines in hoc mundo degentem, igitur non eſt in illo Regia poteſtas. Duo ſupponit antecedens:quorum vnum limitationis eſt indigens, alterum vero omnino eſt negandum.Supponit, quod Summus Pontifex repræſentet Chriſtum omnibus modis. quod ſane contracte eſt accipiendum: nimirum, vt eſt caput Eccleſiæ huius viſibilis, ac militantis, vt ve in illo eſt culmen poteſtatis. Supponit ſecundo, quod in Chriſto non fuerit Regia poteſtas.quod proculdubio negandum eſt. etenim iam demonſtratum fuit, in Domino Saluatore noſtro, & Regiam poteſtatem, & actus quoſdam huius poteſtatis extitiſſe

Ierem. 22.
1 Cap.
12.Cap.
6.Cap.

tiſſe. Ideo illatio eſt neganda. Probabat illationem, ſed incaſſum: vt iam patebit, ac manifeſtum etiam fuit in anteactis diſputationibus, quas cum Catharino, Sotoque habuimus. nam ex communibus ratiocines exiſtunt. at, demonſtrationes ex proprijs cõſtare, me docuit. Ariſtoteles, non autem ex communibus. Si dixero, Fabricius ridet, quoniam eſt animal, male colligo, cauſſam communem aſſignando. non enim ideo ridet, quoniam eſt præditus ſenſu, quo animal exiſtit, ſed quia rationis eſt compos, atque admiratiuus, vt in ijs, quæ de riſu, & de ridiculis edidi, memini me demonſtraſſe. Ita ſane in re propoſita. ex communibus conſtant probationes, ideo nil cogunt. Eas conſideremus. Probat, quod non fuerit Rex electione, loco ex Euangelio Sancti Lucæ deſumpto, vbi Dominus adoleſcenti familiæ herciſcundæ, & cõmuni diuidundo (vt iuris interpretes aiunt) intẽto, dixit. *O homo, quis me iudicẽ conſtituit, aut diuiſorem inter vos?* Hæc ratio ex communibus nimis conſtat. nam non eo quod cauſſam illam iudicare, iudiciũmq. proferre negauerit, iccirco non erat Rex electione. Innumeri propemodum ſunt iudices, qui nec ſunt Reges electione, nec a talibus Regibus conſtituti iudices. Multo maioris eſt ambitus, cauſſas iudicare, quã fungi Regia dignitate. Negãdo proferre ſententiã, & declinãdo ab illo iudicio, nõ ſequitur quod Rex non fuerit. oppoſitũ cõſequentis optime iungitur cũ ſuo antecedẽte. Quare, vt logica ratione, ſeu regula vtamur, nullius eſt roboris conſequẽtia. Quid vero locus ille adductus habeat momenti, alibi ex Patre Ambroſio, & Beato Thoma, declarauimus. vbi oſtẽdimus, noſtræ opinioni minime aduerſari. nihil enim aliud docet locus ille, niſi quod exercitiũ talis poteſtatis tunc libere noluit, nõ autẽ quod poteſtas in Chriſto iudicandi non extiterit. Addebatur locus Ioannis Euangeliſtæ ad hæc confirmanda: vbi docemur, Dominum aufugiſſe, cum Hebræis in animum incidiſſet, vt illum raperent, & Regem conſtituerent. Probatio hæc prope magis ad rem accedit, licet nullam habeat efficaciam. Quare enim aufugerit Dominus Ieſus, Saluator noſter, ſatis expreſſum fuit. Redeamus ad probationem. Hæc, ut dixi, magis ſapit artem: electio enim, vt colligitur ex Sancto Thoma, & ex Ariſtotele eſt multorum placentium in ordine (quod etiam verbum quodammodo indicat) vnius præacceptio: ſicut, ſi quis, facturus iter, quod & nauibus, & equo peragi poſſit, commodiq. gratia, nauem eligat, is ex duobus alterum eligit. Electio vero, vt ſpeciatim de illa loquamur ſicut Oſtienſi arriſit (quod etiam colligitur ex c. cum in cunctis, & c. quia propter, de elec. & c. cum olim, de arb.) eſt idoneæ perſonæ ad dignitatem, vel fraternam ſocietatem ſeruata forma Canonica, vocatio. Porro, cum hic, vt Euangeliſta ſcripſit, turbis eſſet animo, rapere Dominum, vt Regem conſtituerent,

2. 2. q. 13. 3. Ethic.

Oſtien.

rent, proculdubio locus iſte proprius eſt magis, accommodatu ſue rei propoſitæ. Verum liceat obſecro antiquum imitari inſtitutum quod Hebræis familiare fuit; obiectionem obiectione repellere. Ita Dominus Scribarum, & Phariſæorum nequitiam repreſſit, quemadmodum ex Sancti Matthæi Euangelio colligitur. Illis obijcientibus, cur diſcipuli illotis manibus manducarent, obiecit Dominus, quare ipſi mandatum Dei transgrederentur, propter eorundemmet traditionem. Virgilius quoque, dum cantu paſtores certare facit, Menalcam, & Damoetam, coram Palæmone, hæc ſcripta reliquit.

Cap. 15.

DA. *Dic, quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)*
Tres pateat cæli ſpatium, non amplius vlnas.
ME. *Dic, quibus in terris inſcripti nomina Regum*
Naſcantur flores: & Phyllida ſolus habeto.

Vnus paſtor, alterius paſtoris obiectionem, noua repellit obiectione. Sequar antiquum inſtitutum, & dicam ego. Summitati Crucis, cui affixus fuit Saluator noſter, tabella appoſita fuit, in qua titulus hic legebatur, *Ieſus, Nazarenus*, *Rex Iudæorum*; vt in Euãgelio Beati Ioannis ſcriptum legimus; vel, *Hic eſt Ieſus Rex Iudæorum*: vt Sanctus Matthæus ſcripſit; ſeu, *Rex Iudæorum*: vt habet Euangeliſtæ Marci Euangelium. Docebant hæc verba lectorem, Dominum noſtrum fuiſſe Regem Iudæorum. Aegre tulerunt ipſi, Pilatumq. adierunt, eum rogantes, vt, titulum immutando, ſcriberet, quod ipſe dicebat, ſe eſſe Iudæorum Regem. Hæc flagitantibus Hebræis, reſpondit Pilatus: *Quod ſcripſi, ſcripſi*: inſcriptionem relinquens intactam. Iam vero, cum hæc omnia magno myſterio fuerint peracta, & Dei nutu; dicam ego, ex hoc loco colligi, Dominum noſtrum fuiſſe Regem. Ad hæc, Pilato interroganti, an eſſet Rex Iudæorum, reſpondit Dominus, vt in Euangelio Sanctorum Matthæi, & Marci, legimus, *Tu dicis*: his verbis confirmans, ſe eſſe Regem. Negabit forte quiſpiam, verbis illis affirmari a Domino, quod eſſet Rex. At, qui hæc aut dixerit, aut conceperit, meminiſſe oportet, hanc fuiſſe phraſim, & modum dicendi IESV Saluatoris noſtri, quo affirmabat. Cum ductus eſſet coram Principe Sacerdotum, ab illoq. his verbis fuiſſet rogatus: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei viui*; dixit illi: *Tu dixiſti*. Si verba illa, *Tu dixiſti*, attendamus, & interrogationem aſpiciamus, neceſſe eſt confiteri, verba illa eſſe affirmantia. Adiuratus per Deum viuum, & reſpondendo, *Tu dicis*, quod erat, minime negauit, ſed confeſſus eſt, & affirmauit. Confirmemus hæc Sancti Marci Euangelio, qui, hunc eundem actum ſcribens, habet hæc verba: *Rurſum Summus Sacerdos interrogabat eum*, *& di-*

Matth. 26.

Cap. 14.

& dixit ei: *Tu es Chriſtus, filius Dei benedicti: Ieſus autem dixit illi, Ego ſum & videbitis filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cæli*. Quod etiam Sanctus Matthæus expreſſit, dicens, *Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*. Quare, cum idem ſit dicendi modus, dum reſpondet, an ſit filius Dei Viui, & an ſit Rex, vti reſpondens primæ interrogationi, *Tu dicis*, affirmatiue reſpondet, ita etiam, eodem modo reſpondendo, ac ijſdem verbis, interrogationi, an eſſet Rex, dicendum eſt, & pro certo habendum, quod affirmet, & aſſertiue reſpondeat, non autem negatiue. Obiectioni autem dicendum eſt, quod, cum Dominus Rex Regum, & vniuerſalis dominus omnium, non erat, cur fieret illius paruæ multitudinis, &, qui iam Rex erat, ab illis turbis Rex conſtitueretur. Addendum eſt ijs, Gloſſam aſſerere, a Domino id fuiſſe factum, vt doceret mundi electos proſpera fugere, quæ animū præpediunt in via Dei. docuit, opes, & diuitias fore contemnendas, vt facilius ſit nobis iter ad cælum Ratio præterea, qua vſus eſt, probando, Dominum non fuiſſe Regem ſpeciali dono, eadem laborat infirmitate: ex communibus namque conflata eſt, non autem ex proprijs. Si quid demonſtrat, id oſtendit in Chriſto ſimpliciter non fuiſſe Regnum, non autem quod dono nō acceperit Regnū. Latius eſt, Regnum non habere, quam dono Regnum non accepiſſe; ſiquidem multi ſunt Reges electione, & hereditaria ſucceſſione, qui non ſunt donatione. *Donum*, quemadmodum Beatus Thomas aiebat, ab Ariſtotele accipiens, *eſt datio irredibilis, ideſt quod non datur intentione retributionis*. Et hoc modo dicit gratuitam donationem. Hinc primo Sentent. Ariſtotelem quoque ſecutus ſcripſit: *Donatio, eſt datio liberalis, ſiue irredibilis, ideſt recompenſationem non intendens*. Et Azo dicebat: *Donatio, eſt rei licitæ facta collatio*. definiens donationem inter viuos, vt plerique doctores ſentiūt. Hæc eadem habemus l. Donatio, ff. eo. tit. Quæ cum ſic habeant, demonſtrādum erat, quod tali titulo Regnum non obtinuiſſet. At verba illa, Pilato Præſidi dicta, hoc profecto perſuadere non poſſunt. Quid vero ſit reſpondendum huic obiectioni, ijs, quæ alibi ſunt dicta, ſit manifeſtum. Quæ vt maiorem accipiant ſoliditatem, locum ponderemus. Dubio procul, ſi verbis noſter Saluator negaſſet, ſe eſſe Regem, Pilatus ex illis haud collegiſſet, quod Dominus eſſet Rex. Statim enim ac IESVS dixit, Regnum meum non eſt de hoc mundo, intulit Pilatus: Ergo Rex es tu? Concluſio hæc, quæ interrogatione profertur, oppoſita eſſet præmiſſis, & hominem, non præſidem, non ius reddentem, non populos regentem, ſed ipſa infantia infantiorem, rudemque, indicaret. Veluti, ſi aliquis pauper alloqueretur quempiam, & cala-

P. p. q. 38. ar. 2.

Diſ. 18. ar. 1.

In Summa.

calamitates elapſi temporis,quo ciuitas Romæ cum multis alijs Italiæ,vexabatur penuria annonæ, incredibiliq. egeſtate peribant homines inedia, & diceret, quod pauperes, brutorum more, glandibus,& herbis veſcebantur, audiens autem ex ijs inferret,igitur tu affluebas,& epulis genio indulgebas? fatue, inſipienter, loqueretur iſte,& inepte colligeret ex præmiſſis hanc concluſionem cum pauper, deplorando miſeriam propriam, illa dixiſſet. Ita in re propoſita. ſi Dominus verbis illis negaſſet ſe eſſe Regem, quonam modo interrogaret Pilatus eũdem,ac ex præmiſſis inferret,*Ergo Rex es tu?* Inſuper,quoniam hæc diceti Pilato, reſpondit IESVS:*Tu dicis, quia ego ſum:* quæ verba, vt ſuperius nunc dictum fuit,affirmant:non poſſumus colligere tam facile, quod Dominus negauerit ſe Regem eſſe.Quapropter alia mehercle intelligentia verba illa ſunt intelligẽda.In memoriam igitur reuocandum eſt, inter alias calumnias falſo ab Iudæis Domino noſtro aſcriptas,& accuſationes inique ei illatas, hę fuerunt, vt in Sacro Euangelio Lucæ, & Ioannis legimus,

Cap.23. Cap.19. quod gentem Hebræam ſubuerteret, & Regẽ ſe faceret, tributaq. ob id Cæſari negaret dari. Lucæ vigeſimo tertio, ſic dicebant accuſatores: *Hunc inuenimus ſubuertentem gentemnoſtram, & prohibentem tributa dari Cæſari, & dicentem,ſe Chriſtum Regem eſſe.* Apud Ioannẽ vero: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. omnis enim,qui ſe Regem facit,contradicit Cæſari.* Et ibidem, Iudæi, Pilatum rogantes, vt immutaret ſuperſcriptionem cauſſæ mortis dicebant:*Noli ſcribere,Rex Iudæorum; ſed, quia ipſe dixit, Rex ſum Iudęorũ.* Cũ igitur huius criminis eſſet accuſatus,a Pilato interrogatus eſt illis verbis,*Tu es Rex Iudæorum?* Cui reſpondens Saluator. *A temet ipſo hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me?* A quonam huius criminis accuſaretur,quod,gẽtem ſubuertendo, Regem ſe faceret,reſpondit Præſes Romanus,accuſatores manifeſtos faciens, dixit, quod Hebræi eſſent, qui illlum accuſarent.Falſas autem accuſationes reijciens Dominus, quod illius regionis ſe Regem feciſſet,negat exercuiſſę Regiam poteſtatem, Regẽq.ſe feciſſe.Si enim hoc verum eſſet,vtique, qui eius ſubditi eſſent,decertarẽt, atque eniterentur,ne a Iudæis tã male tractaretur: & concluſit,quod Regnum ſuum non erat illinc. Quæ verba Pilatus audiens,ratus,ne,dum negaret,illius prouinciæ eſſe Regẽ, alterius eſſet, vt iuris interpretes dicunt, vnius excluſio, eſt alterius incluſio,cum ea reſponſione non intelligeret ab illo abſolute, & ſimpliciter negari,ſe Regem eſſe, noua interrogatione efflagitauit, num eſſet Rex.Cui tandem reſpondens Saluator, dixit: *Tu dicis,quia ego ſum*: indicans,hac dicendi phraſi,quod, licet poteſtatem non exercuerit in ſubditos, nihilominus Rex erat, Regali fulgens dignitate. Verba igitur hæc nihil prodeſſe poſſunt doctrinæ, quam hactenus

adſtrue-

adſtruere ſtudui. His addebat. Temporalia non ſunt æterna, ſed ortui, & interitui obnoxia: at Chriſti regnum eſt æternum, atteſtante Dauide illis verbis: *Ego conſtitutus ſum Rex ab eo, ſuper Syon montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.* Et apud Danielem: *In diebus autem illorum Regnorum ſuſcitabit Deus cæli Regnum, quod in æternũ non diſſipabitur.* Igitur non eſt dicendum, quod in illo fuerit tempora le Regnum. Priorem locum alibi tetigimus, hucuſque differẽdo expoſitionem abſolutam. Aio nunc, diminute citari Dauidis Prophetæ ſacra verba. In eodem Pſalmo legimus: *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Vtriuſque Regni mentionem fecit Vates: Spiritualis quidem, dum dixit: *Conſtitutus ſum Rex ab eo, ſuper Syon montem ſanctum eius*: Temporalis autem, cum cecinit: *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hereditatẽ tuã, & poſſeſſionem tuam, terminos terræ.* Verum illud eſto, quod Sanctus Propheta vnum dumtaxat meminerit Regnum, nimirum ſpirituale: inde tamen non ſequitur, quod Regiam non habuerit poteſtatẽ temporalem. Et, licet ex illo loco non colligeretur, tamen ex alijs locis elici poteſt. Peccat iccirco argumentũ, a ſingulari, vt dicũt logici, ad excluſiuã. Rex eſt domi, ergo ſolus Rex. illatio eſt inefficax. Regnũ Chriſti ſpirituale erat, quod prędicaret ſuper Syon, ergo Chriſtũ ſolum hoc Regnum poſſidebat, nulla eſt hæc conſequentia. Locus ſecundo adductus ex Daniele noſtræ fauet cauſſæ. Interpretationem ab eodem Propheta petamus, viſionem Nabucdonoſoris exponente. Vidit ille Rex ſtatuam magnam, cuius caput aureum erat pectus, & brachia argentea, venter, & femora ex ære, tibiæ fereæ, pedum pars fictilis: ſine manibus de monte lapis abſciſſus eſt, ſtatuæ pedes percutiendo comminuit, tuncq. pariter contritum eſt ferrum, æs, argentum, & aurum. Hæc Daniel ſpiritu Dei interpretando. ait, aurum, argentum, æs, & ferrum, diuerſa nobis indicare Regna, Chaldæorum, Aſſyriorum, Græcorum, & Romanorum: vltimo loco futurum eſſe Regnum populi Chriſtani, quod in æternum eſſet perduraturum. ſic inquit: *In diebus autem Regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & Regnum eius alteri populo non tradetur. comminuet autem, & conſumet Regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.* Loquitur di Regnis temporalibus: quæ finem habuerunt. Regna, adnumerat; & hæc ad finẽ temporũ, quæ non potuerint perdurare, explicat. at, quoniã Regnum Chriſtianorũ eouſque perdurabit, ideo in æternum ait eſſe duraturum. Hoc etiam ſenſit Diuus Thomas de regimine Principum loco, quem retro citauimus. Adducebat nouiſſime, pro ſui tutela: Si Chriſtus fuit Rex Iudæorum, deſijt Regnum, cum diem obijt. Negatur hæc illatio: etenim, delegando

R 2 Petro

Petro propriã auctoritatem, vt in illo collocauit Sacerdotij faſtigiũ, ita Regiã poſuit poteſtatem; atque, vti morte non deſijt apex Sacer dotij, ita etiam neque dignitas Regia. Deſinant autem, & finem habeant, quæ ad hanc attinent partem.

Poſtremi Articuli examen, Papam ſcilicet indirecte habere poteſt. temporalẽ. Caput VII.

DIrecte rerum temporalium negans in Chriſti Vicario reperiri poteſtatem, ita, indirecte eidem ineſſe, affirmabat. Hoc duplici exemplo demonſtrare ſatagebat. primũ, ab artibus, vt dicunt, ſubalternantibus, & ſubalternatis, vt ab ea, quæ frena facit, & ab ea, quæ domat equos: aliud vero, a ſpiritu, & carne deſumptum. Primo autem abiecto, ſecundum accipit. Primum ea reprobabat ratione: quoniã, ſi vera eſſet ſimilitudo, ſequeretur, quod vna non poſſet ſine alia cõſiſtere; nobilioriq. ablata, rueret inferior. Secundum autem ideo accipiebat, quia caro, ſpirituſq. ſunt duæ res, quæ ſeorſum, ac ſeparatæ ab inuicem, nec non coniunctæ poſſunt adinueniri. Habet caro ſenſum, & appetitum, quibus res, actus, & obiecta proportionata reſpondent, &, quorum finis immediatus eſt ſanitas, ac bona corporis conſtitutio. habet ſpiritus intellectũ, & voluntatem, actus, atque obiecta proportionata, & pro fine animæ ſanitatẽ, & perfectionẽ. inuenitur caro ſine ſpiritu, vt in brutis: inuenitur ſpiritus ſine carne in Angelis. Hinc deducebat, quod, vti caro proprias habet leges peculiares, & ſpiritus ipſe quoque: ita etiã poteſtas ſæcularis & ſpiritualis ſe habẽt. & quemadmodũ, vbi contumacẽ, & petulantẽ ſpiritus cognoſcit ſenſũ, a viaq. ſalutis declinantẽ, leges ei pręſcribit, terminos pręfigit, quos nequit tranſire, illũ caſtigat, & macerat: ita ſpiritualis auctoritas vbi videt temporalem a ſalute, & via Dei aberrantem, emendat, atque cohibet. Hinc demum tria, vt inquiunt logici, corellaria eliciebat. Primum illorum hoc erat: Papam vt Papam ordinarie temporales Principes etiam iuſta de cauſſa, eo modo, quo Epiſcopos priuat Epiſcopatu, nimirum tamquã iudex verus, & ordinarius, deponere non poſſe. nihilominus mutare Regna, vni auferre, & alteri conferre tamquã Princeps ſpiritualis, ſi id vergit in bonũ animarũ, ſitq. neceſſariũ ad illarũ ſalutẽ. Secundum eſt: Papã vt Papã ordinarie non poſſe cõdere leges ciuiles, aut infirmare Principũ decreta: cũ non ſit ipſe politicus Princeps. Tertiũ: Non poſſe Papã ordinarie de rebus temporalibus iudicare. Poſtrema hæc pars ab ijs, quæ

præceſſerunt,non diſſimilis, quamplurimis ſcatet mendis, varijſq. af fligatur incommodis.Atque,vt ſilentio prætereã vocũ improprieta tem, quæ ſemper in diſciplinis extitit culpabilis,aſſertionũ duricies, quæ dũ proferuntur,animus læditur,parit horrorem. Verum nõ eſt, quod Papa leges ciuiles condere nequeat:falſum eſt, (parcat mihi illius virtus: veritatis illuſtrandæ gratiæ hæc proferuntur,non illius minuendæ gloriæ ſtudio) quod non poſſit priuare Reges Regno, tã-quam iudex,ſi cauſſa adſit iuſta. A veritate quoque alienũ eſt, quod temporalia non poſſit iudicare. Nouiſſime (& hoc veluti auctuariũ accedat)in explicatione propriæ poſitionis,vt videre videor, a ſco-po ſibi propoſito aberrat.Hæc omnia ſunt dilucidanda,vt,quid ego ipſe velim,benignus accipiat lector.Primo relicto exemplo,)hinc or dior,ſeriem non immutando dictorum illius)ne cogeretur admitte-re,Pontificiam dignitatẽ temporalẽ præſtantiorẽ eſſe Regali poteſta te,& hanc omnino in gratiam eſſe illius,ablataq. perfectiori, imper-fectiorem ruere,accepit ſecundũ,carnis ſcilicet,ac ſpiritus. Quæ res licet in homine reperiantur coniunctæ,nihilominus in brutis,& ange lis ſeiũctæ atque ſegregatæ exiſtũt.Verũ res ad reſtim redit:adhucq, eidem luto hæremus.Si quidẽ,quemadmodũ in artibus illis imperfe ctior eſt in gratiam perfectioris, ita in vitis illis imperfectior eſt in gratiam perfectioris, ignobilior in gratiã nobilioris.Lex eſt inuiola-bilis Naturæ,vt imperfectum ſit in gratiam perfectioris.quam ſecu-tus Ariſtoteles de anima, diſſerendo,longo examine nos docuit, a-nimam vegetalem, imperfectiorem, eſſe in gratiam perfectioris, atque,vbi perfectior reperitur, ibi etiam imperfectior, ablataq.per-fectiori, vbi plures ſunt,imperfectiorem deſtrui, atque perire. Eſt in homine plantarum virtus,eſt ſenſus,ac intellectus, ſeparetur anima intellectiua a corpore,vegetalis,& ſentiens vbi nam erunt? viuimus primo vitam plantæ, demum animalis, poſtremo hominis, vt dice-bat Ariſtoteles, ſenſu, & ratione ducibus. inferiores hæ vitæ in gra-tiam ſunt ſuperioris. quare, argumentum reflectendo, ſic dicere poſſumus: Vti ſe habent in humano corpore ſenſus, & intellectus, ita poteſtas laica, & ſpiritualis in Eccleſia. at in corpore humano ſenſus paret intellectui, omninoſq. ſubditur ei,& eſt in gratiam il-lius: ac, ablato intellectu, ruit ſenſus:igitur in Eccleſia poteſtas lai-ca omnino ſpirituali ſubdita erit,in gratiam ve eius, & hac ablata, illam auferri,eſt neceſſe. Minor iam ijs,quæ ſunt dicta,conſpicua eſ-ſe poteſt: maior autem inde probatur,quoniam de principibus, ac poteſtatibus,quæ ſunt in Eccleſia,eſt lis,& controuerſia. Eccleſiam autem perſimilem humano corpori facit Sanctus Paulus; & ſcri-pſit, nos eſſe illius membra, cuius caput exiſtit Chriſtus Salua-tor noſter. Hæc eodem ſenſu tractata legimus a Bonifacio, & Inno-

2.li. 4. tex. 14. vſq. ad 22.

2. de. gen. ani.c. 3.

& Innocent io,c. vnam ſanctam, & c.ſolitæ Summis Pontificibus. Quæ dicta ſint, vt ſit conſpicuum, quanti roboris exiſtat ratio. Verum tamen illud eſt, quod argumentum parum, aut nihil poteſt nobis eſſe negotij, qui dicimus, a prima Summi Pontificis Regia poteſtate alias pendere, ad eamq.referri in iudicijs.Quod vero bona corporis conſtitutio ſit finis sēſus immediatus,neſcio,quo modo
a.tex.70. vere poſſit affirmari.Si enim corporis conſtitutione accipit craſim, ſeu temperiē, dubio procul longe abeſt a ſcopo.nā optimū temperamentum eſt materia ſenſus, non autem finis: vt de longitudine, & breuitate vitæ ſcripſit Ariſtoteles. Hinc, generationem viuentium, & vitam definiens, dixit, vitam eſſe permanſionem animæ in calido, & humido; generationem vero, participationem animæ, calidi, & humidi. In libris autem Phyſicorum, cauſſam efficientem,formam, & finem,in idem plerumque venire aiebat,materiam vero minime: materiamq. in gratiam formæ eſſe, non autem e contra Hæc autem cum vera ſint,ſenſuſq. ſit forma,& bona corporis conſtitutio ſit materia, talis conſtitutio non poterit eſſe finis: quoniam materia, vt dictum eſt nunc, non venit in vnum cum cauſſa finali, atque materia eſt in gratiam formæ,non autem forma in gratiā illius. finis erit ſenſus,quoniam forma eſt,in cuius gratiam erit bona corporis conſtitutio. Sin autem nomine bonæ conſtitutionis corporis accipiat ſanitatem, neque hoc tam facile eſt illi condonandum. etenim in Commentarijs de anima paſſim docemur, obiecta fines eſſe potētiarum,haſq. operationibus,ac obiectis diſtingui,tamquā proprijs finibus, non autē ſanitate,quæ eſt qualitas,proueniens a vera humorum proportione. Aſſerebat inſuper,ſenſum proprias habere operationes, quibus mens non miſcetur, & inde nonnumquam euenire, vt ſpiritus ab elocutione linguam auocet, arceat manus a tactu, guſtui deneget cibos, & auditui ſonos. Quæ an ſatis caute ſint dicta, aliorum eſto iudicium. Vnica in nobis eſt anima, omnium Theologorum aſſenſu.quod etiam optimis Peripateticis, Alexandro præcipue,arriſit.vnumquodque agit, per quod eſt in actu. per rationalē
12Me.tex. animam homo eſt in actu, & per hanc omnia facit officia, vegetat,
13.& 2. (homo hominem generat,dixit Ariſtot.) hac ſentit, hac intelligit.
Phyſ.26. Si ergo vna eſt anima,de hac non eſt, quod loquamur, tamquam de rebus inter ſe vere ſeiunctis: niſi velimus omnino improprie loqui, ac in nobis plures animas ponere ſubiecto diſtinctas; vt Platoni, tamquam probrum, obijcere ſolebat Ariſtoteles. Inſuper, Si ſpiritus legem ponit ſenſibus, & propria auctoritate corripit errantes, cur non poteſt Summus Pontifex, vt Papa eſt, inferiorem caſtigare auctoritatē,vbi iuſta adſit cauſſa,cū ſpiritus,vt ſpiritus hæc efficiat? Audio aliū,dicentē,in ijs,quæ sūt ſpiritus,poteſt directe; in ijs, quæ

ſunt

ſũt huius ſæculi, indirecte. At hęc reſpõſio iã reiecta fuit, vbi oſtenſũ fuit, a prima hac poteſtate directe alias omnes iudicari. Accedamus ad corellaria. In quorũ diſcuſſione veritati erimus adiumẽto. Primũ illorũ hoc erat: Papam vt Papam Principes temporales iuſta de cauſſa non poſſe deponere, eo modo, quo Epiſcopos ab Epiſcopatu ſolet abdicare. Vt ſupra animaduertebam, in hac vocula, *Quatenus*, morbus deliteſcit, nec non in nomine illo *Papa*. Vox illa, *Quatenus*, quæ apud logicos appellatur nota reduplicatiua, primo ſignificat formam, demum omne genus cauſſæ: Papa vero trifariam ſumitur, vt alibi diximus. Cum igitur inquiunt, Papa quatenus Papa, ſenſus verborum primo hic poteſt eſſe: Papam ſecundum eſſe patris, ideſt, vt pater quemadmodum Papa nobis indicat patrem, non poteſt &c. At hoc ſenſu non poteſt accipi, vt decreto Summi Pontificis Clementis cautum fuit. Neque etiam poteſt eſſe ſenſus, quod Papa vt Sacerdos non poſſit, eadem de cauſſa, quia decreuit Beatus vir Clemens, vt ſoli Chriſti Vicario nomen illud eſſet tribuendum: Et dictio *Quatenus* eſt de omni, vt contex. V. pri. Poſter. docetur. quare, ſi ei competeret, quatenus Sacerdoti, hoc iudicium, omnibus cõpeteret Sacerdotibus. Supereſt igitur, vt accipiatur ea ſignificatione, vt eſt Summus Sacerdos, Chriſtiq. Vicarius. Sed, hac acceptione ſi verba intelligantur, id quod ipſe, tamquam certum, ac verum, exiſtimauit, a veritate erit ſemotum. Chriſti Vicarius proprie dicitur Papa: at in Chriſti Vicario eſt apex vtriuſque poteſtatis: & ideo, vt Papa, inferiores poteſtates dijudicat. Addã hic paucula, huius veritatis illuſtrandæ ſtudio; & oſtendã, ei, non tantũ vt Summo Principi, ſed vt Summo Sacerdoti, hoc iudicium iure conuenire. Dominus, Moyſen alloquẽdo, in Exodo, dixit: *Conſtitui te Deum ſuper Pharaonem*. Iuxta phraſim ſacræ Scripturæ, nomine Dei iudicem accepit. In eodem libro ita ſcriptum reperimus. *Si quis commendauerit amico pecuniam, aut vas in cuſtodiam, & ab eo, qui ſuſceperat, furto ablata fuerint, ſi inuenitur fur, duplicem reddet; ſi latet fur, dominus domus applicabitur ad Deos, & iurabit, quod non extenderit manum in rem proximi ſui ad perpetrandam fraudem* Nomine Deorum iudices intelligit. Et alibi: *Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices*. Ex ijs hanc colligo rationem Moyſes iudex a Deo conſtituitur ſuper Pharaonem: igitur Papa habet poteſtatem ſuper Principes, & Reges: Conſequentia probatur: quoniam Moyſes a Deo eſt conſtitutus iudex ſuper Pharaonem. Moyſes autem Summus fuit Sacerdos: vt ſuperius fuit demonſtratum, & verbis Sancti Anacleti poteſt confirmari: qui, exponens verba illa Pſalmi, Moyſes & Aaron inter Sacerdotes eius, ait: ut c. Sacroſancta legitur: *Primi inter Sacerdotes fuerunt*. Quod ſi Summi Sacerdotes veteris legis

Cap. 7. *Cap. 22.* *Pſal. 98.* *Diſt. 22.*

legis hac functi ſunt poteſtate, multo ſane magis nouæ legis illa fulgebunt. Confirma hæc Innocentij Papæ doctrina, c. per venerabilem, & c. ſolitæ. Quibus in locis docet Summus Pontifex, plenam iudicandi poteſtatem, temporalia, Reges, & Principes, in Christi Vicario reperiri, uarijs rationibus, ex ueteri, ac nouo Teſtamento deſumptis. Increpauerat Papa Conſtantinum Imperatorem, ea de cauſſa, quoniam Patriarcham Conſtantinopolitanum eo non erat proſecutus honore, qui tantæ conueniebat dignitati. Miratus eſt Imperator Papæ reprehenſiones, illaſq. ægre tulit. Summus Pontifex, re hac cognita, ſumpſit calamum, & ad Imperatorem litteras dedit: quibus oſtendit, ab ipſo iudicari poſſe Reges, & Principes. Ad hoc efficiendum accipit illud a Domino Ieremiæ dictum: nimirum: *Ecce conſtitui te ſuper gentes, & Regna, vt euellas, diſſipes, & ædifices, & plantes*. Hæc verba non ſunt dicta a quolibet, ſed a Deo; non Regi, ſed Sacerdoti: non de Regia ſtirpe, ſed Sacerdotali proſapia deſcendenti, & de Sacerdotibus, qui erant in Anathot. Quod ſi hæc dicta fuerunt Sacerdoti, multo ſane magis, concludit Sanctus ille Pater, erunt dicta, Summo Pontifici. Iam vero, ſi illis verbis, datur Sacerdoti poteſtas iudicandi Reges, illoſque Regno priuandi: ait enim: *Conſtitui te ſuper Reges, & Regna, vt euellas, diſſipes, ædifices, & plantes*. Multo magis Summus Pontifex hac fulgebit auctoritate. Conſequentia eſt Beati Innocentij, loco nunc adducto. Aſſumit inſuper, ad probandum, in Papa reperiri plenam iudicandi poteſtatem, tum tempotalia, tum ſpiritualia, ea, quæ ſcripta ſunt in Deuteronomio: nimirum: *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſſam, & cauſſam, lepram, & lepram, & iudicium intra portas videris variari, venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, qui indicabunt tibi iudicij veritatem: & facies quæcumque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus: ſequeriſq. eorum ſententiam. qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, decreto iudicis morietur*. Hæc ſunt libri Deuteronomij verba. quæ diligenter interpretantur ab eodem Papa, ſingula conſiderante. Supponit hoc, tamquam firmum, quod nullus certe poteſt negare: ſcilcet, quod lex ſecunda primam interpretetur: & ex ui vocabuli comprobatur. inde ſequitur, vt, quod ibi decernitur, in nouo Teſtamento debeat obſeruari. Locum autem, quem elegit Dominus, Apoſtolicam Sedem eſſe, nullus negabit: præcipue ſi ea mente reuoluet, quæ dixit Dominus Petro, fugienti, cum iam Vrbem exiuiſſet. Volens Saluator ad locum, quem elegerat, eum reuocare, ab illo interrogatus, *Domine, quo vadis?* reſpondit, *Venio*

Ca. 10. q. ſi. ſint leg. & de maio. & ob. c. ſolitæ.

Romam

uocare, ab illo interrogatus, *Domine quo vadis?* reſpondit, *Venio Romam iterum crucifigi.* Quæ pro ſe dicta eſſe intelligens, ad locum ipſum protinus eſt reuerſus. Leuitici generis Sacerdotes ſunt fratres Papæ, qui eidem iure Leuitico exiſtunt coadiutores Sacerdotalis officij. Is vero ſuper eos Sacerdos, ſiue iudex exiſtit, cui Dominus inquit: *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Vicarius illius, qui eſt Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Tria diſtinguit iudicia iudex iſte: inter ſanguinē & ſanguinem, inter cauſſam, & cauſſam, inter lepram, & lepram. per primum, criminale, & ciuile; per ſecundum, Eccleſiaſticum, & ciuile; per vltimum, Eccleſiaſticum, & criminale accipit. In ijs ſi quid controuerſum ac dubium extiterit, ad iudicium Sedis Apoſtolicæ eſt recurrendum: cuius ſententiam qui ſuperbiæ tumore contempſerit obſeruare, mori præcipitur, ideſt per excommunicationis ſententiam, veluti mortuus, a communione fidelium ſeparari. Hæc Papa, Oraculo Diuino duce. Quibus colligitur, quod non tantum Eccleſiaſtica, verum & ſæcularia, munus illius ſit iudicare, & Principes, ac Reges iudicio eius ſubdere. Scopus Papæ eſt in illa epiſtola, demonſtrare, a Papa iudicari poſſe Reges, & Principes. id demonſtrauit argumento ſumpto a verbis Domini, Ieremiæ prophetæ dictis: perſeuerans in eadem ſententia, noua ratione accepta a lege Deuteronomij: & tria facit diſtincta iudicia ad Chriſti Vicarium attinentia, inter quæ iudicium ad res temporales attinens ſibi locum vſurpat. Generatim autem loquitur Dominus, verbaq. ſunt generalia; vt nos doceat, quod omnia iudicia, ad ſæcularia ſpectantia, ad Papam pertineant. Eodem modo, & eo ſenſu, nulla addita limitatione, verba Deuteronomij loquuntur. Eodem modo igitur poterit iudicare temporalia, & ſpiritualia. at ſpiritualia directe iudicandi poteſtatem habet: igitur & eandem habebit directe iudicandi temporalia. Et, quoniam nullum excipit iudicium, Reges quoque, & Princeps directe iudicandi habebit facultatem. Nulla itaque erit gloſſa illa *indirecte*: quæ multoties adducebatur pro defenſione propriæ doctrinæ. Si enim directe iudicandi haberet facultatem ſpiritualia illis verbis, temporalia vero indirecte, æquiuocatio eſſet in verbis, immo vim inferemus textui, verba contorquebimus, quæ ſic ſub vno, & eodem ſenſu ſunt legenda: *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſſam, & cauſſam, lepram, & lepram & iudicium intra portas videris variari, venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem: &c.* Omnia hæc iudicia abſolute ad vnum, & eundem attinere, ait Dominus,

nulla facta limitatione, nullaue adiuncta appendice, omnia vniet eidem iudici, eidemq. iudicio. His non contentus Pontifex, in eo loco ad oſtendendam poteſtatis Pontificiæ plenitudinem, adducit verba Sancti Pauli, idem aſſerentis. Legis verba ſunt hæc: *Paulus etiam, vt plenitudinem poteſtatis exponeret, ad Corinthios ſcribens, ait: Neſcitis, quoniam angelos iudicabimus? quanto magis ſæcularia?* Quod ſi Reges iudicant a Deo iudices conſtituti ſuper ipſos, ac illorum regna, ſi ad illos pertinet, cauſſas omnes, & Eccleſiaſticas, & ciuiles, nullam excipiendo, iudicare, & eodem modo abſolute ſcilicet eis fuerit commiſſum hoc iudicium, nullum certe eſt corellarium illud; inaniſq. familiaris ea declaratio *indirecte*. Id autem tanto magis eſt firmum, tantoue maiores acquirit vires quod in Chriſti Vicario apex Regiæ poteſtatis quinetiam reperitur. Tranſeo ad ſecundam concluſionem, a prima dependentem, illiue ſimillimam. In talibus facilis eſt tranſitus, vt dicebat Ariſtoteles, de elementorum ortu

2. *De Gen.* diſputans. Talis erat concluſio. Papa leges ciuiles nequit condere, aut confirmare, vel infirmare Principum leges, cum non ſit in Eccleſia Dei politicus Princeps. Aſſertio hæc, vti falſo innititur fundamẽto, ita propria ruit imbecillitate. Si Papa Principatum obtinet, cur leges ſancire, & promulgare, non poteſt? Dicet, quod Papa condit leges, ſed non vt Papa. Optime quidem loqueretur, ſi his verbis intelligeret, Papam non eſſe Principem: quoniam ſui excellentia vincit omnes temporales auctoritates; & longe ſuperat illas dignitate: at, quoniam contrario ſenſu proferuntur, nimirum, quod non ſit in eo poteſtas promulgandi ciuiles leges, quia Princeps non eſt politicus, ideo afferenda eſt reſponſio. Negatur primo, quod Papa vt Papa non ſit Princeps. Anteactis diſputationibus oſtendimus, vocẽ hanc ſoli Chriſti Vicario conuenire, decreto Clementis Summi Põtificis: in quo Vicario culmen temporalis auctoritatis, nedum faſtigium Sacerdotalis dignitatis, reperiri, pariter demonſtratum fuit. Ideo falſum eſt, quod Papa vt Papa leges condere nequeat ciuiles, & Cæſareas immutare, ac corrigere, ſi Reges ipſos, & Imperatores ei licet emendare. Quod etiam non mediocrem facit perſuaſionem, & ratio ſufficiens eſſe poteſt ad perſuadendum, quemadmodum Principum, Regum, & Imperatorum poteſt immutare poteſtates,

Diſt. 63. vt c. Adrianus docemur, ita leges principum infringere, & caſtigare. Ad hæc, diuinæ legis eſt executor, vt Imperator legis humanæ eſt conditor: quare plane poterit leges ciuiles caſtigare, quo leges

1. *Cap. 5.* humanas diuina debet emendare. Sanctus Pater Auguſtinus ideo dicebat, de libero arbitrio diſſerens: *Videtur mihi lex iſta, quæ regendis ciuitatibus fertur, multa concedere, atque multa impunita relinquere, quæ per Diuinam legem iudicantur:* Porro, cum Diuina lege hæ ſan-

ctiones ſint iudicandæ, ac corrigendæ, has poterit immutare, ac emendare. Inſuper, humana iudicia ſæpe declinant a rectitudine. hinc idem Pater, explicans verba illa Principis Apoſtolorum, *Si iuſtus vix ſaluabitur, impius, & peccator vbi parebunt?* ſic ſcripſit: *Quare iuſtus vix ſaluabitur? niſi, quia, iuſtitiam Dei tantam eſſe, conſtat, vt, ad examen Diuinæ iuſtitiæ deducta, iniuſtitia appareat.* Iudicia itaque humana vbi non conueniunt cum lege diuina, munus eſt Papæ, qui eſt Diuinæ legis executor, & illa, & reſponſa prudentum, Principumq. placita, iuſtitiæ, & rectitudini reſtituere. Præterea, hæc poteſtas a Deo Principi datur ad terrorem malorum, bonorumq. honorem. Humana lex, vt dicebat idem Pater Auguſtinus, in eodem libro, litteris promulgata, ſolum hominibus opitulatur, ſecundum vitam hanc animalem viuentibus: at lex diuina ad vltimum finem nos dirigit. igitur a Summo Pontifice poterit lex temporalis immutari, cuius officium eſt, executioni demandare diuinam legem vt poteſtas data a Deo ipſa quoque propriũ conſequatur finẽ. Prçterea, uſu ſolet euenire, quod homines, peccando, pacẽ publicam turbando, alios lædendo, carceribus detineantur, a iudiceq. ſint iudicandi, & pœna mulctandi: atqui, cum homo ſit Dei ſtructura miranda, & opus omni honore dignum, hanc ob rem non temere torquendus, tormentiſq. vexandus, vt Hippolytus de Marſilijs iudices monebat, ſed ſumma prudentia, ac iuſtitia vexationibus vrgendus: & ſententia de illo non eſt ferenda, cui maturum non prçcedat conſiliũ: quoniam de ſumma rerum agitur, ideſt de vita humana, neceſſe eſt, vt ſit conſpicuum, & teſtibus comprobatum, a reo talia perpetrata fuiſſe delicta, ore inſuper proprio contumax peccata fateatur. Hinc illud Sancti Auguſtini, Nos in quenquam non ferimus ſententiam, niſi ſponte conuictum, vel confeſſum. Humana vero lex eſt inefficax ad interiora iudicanda, Diuina vero apta & magis accommodata: icciirco hac illa humana debet corrigi: & propter hæc Papa poterit legem ciuilem meliorem facere. Nouiſſime, Papa, vt alibi demonſtrauimus, culmen habet poteſtatis temporalis, & ad illũ attinet omnes cauſſas iudicare, tamquam iudicẽ à Deo conſtitutũ: igitur & leges condere, ac promulgare, & immutare: quoniam hæc agit tamquam iudex omnium eminentiſſimus. Quod ab hoc doctore vltimo loco adiectum fuit, Pontificem ſcilicet non ferre iudiciũ in temporalibus, iam fuit exploſum. ideo, hac diſputatione relicta, in quã forte magis laborauimus, quam onus ſuſceptum requireret, pulchritudine problematum allecti, concludentes, ſupremam poteſtatem iudicandi omnes in Chriſti Vicario reperiri, & faſtigium vtriuſque dignitatis ac culmen vtriuſque poteſtatis. Nunc tandem ad ipſammet reuertamur poteſtatem, vt partes definitionis allatæ

1. Cap. 4.

Cap. 15.

In Tract.

explicentur, eaq. ratione, natura rei inſpecta, facilis ſit aditus ad alia, quæ ſequntur, exploranda.

Poteſtas dependens, & independens, quæ vere dicatur.

Caput VIII.

LVce immiſſa, tenebriſq. fugatis, nunc demum ad id, quod propoſitum fuit initio, redeuntes, imperantium eſt diuidenda auctoritas, eiuſq. ſpecies ſunt aſſignādæ. Hæc gemina eſt: quemadmodum duplex eſt Regnum, cæleſte nimirum; ac terrenum. Altera, dicitur naturalis, ſeu humana; altera, ſpiritualis, ac diuina. Vtramque autem a Deo eſſe, iam iam exponemus, Dei Optimi, & Maximi beneficio. Prima, reſpiciens regimen temporalium rerum, & caducarum, Temporalis appellatur: Secunda vero, ſpiritualium, ac æternarum rerum moderamen amplectens, dicitur Spiritualis. Temporalis a mundi infantia ſumpſit exordium: vt retro demonſtrauimus: & apud omnes homines reperitur, ſiue Deo permittente, ſiue volente. Hinc Iſraelitæ, Samuelem alloquentes, dixerunt, Conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos, ſicut & vniuerſæ habent nationes. Id enim, quod, naturæ impulſu, conuenit omnibus, naturam participantibus quin ſit commune, nihil eſt, quod vereamur. at, naturæ impulſu, regimine, & moderamine, homines duci, olim oſtendimus: ideo, communem eſſe omnibus hanc viuendi regulam, neceſſe eſt fateri. Spiritualis vero poteſtas apud veros Dei cultores extitit, atque nunc etiam reperitur. Sub lege Moyſis ſatis enituit: at in nobis ſub lege gratiæ viuentibus lucida fulget. Vna, & altera a Sacerdotio diſtinguitur: ſuntq. inter ſe differentes: varij enim ſunt illarum actus, & diuerſi fines. Prima adeo diſiuncta eſt a Sacerdotio, vt multoties diuerſis fuerit attributa perſonis Sacerdotalis, & temporalis dignitas, ne vna alteri eſſet impedimento, & ne quis, melioribus addictus, dum inferioribus eſſet præpeditus præſtantiora, ſuperioraq. amitteret. Verum tamen illud eſt, quod, licet hæ auctoritates diſtent ab inuicem, nihilominus, vnam alteri cohærere, & ſimul ambas iungi, multoties videmus. Tempore legis Naturæ nedum ſcriptæ, & gratiæ, in vno ac eodem collocatas fuiſſe, in ſummo ſcilicet Sacerdote, iam demonſtrauimus. Addo nunc, id non tantum apud eos, qui,

vero lumine veritatis illuſtrati, Deum coluerunt, extitiſſe in vſu, verum etiam apud ipſoſmet Gentiles antiquum fuiſſe inſtitutum. Aegyptij illum Regia honeſtabant poteſtate, qui ſapiens eſſet, & Summus Sacerdos: Romanos quoque Imperatores apice dignitatis Sacerdotalis fuiſſe ornatos, teſtantur hiſtoriæ. & ff. l. 1. legitur, & a Claris etiam viris docemur. Hæc ſecum reputans Iſidorus, aiebat, maiorum fuiſſe conſuetudinem, vt Rex eſſet Sacerdos, ſiue Pontifex. Atqui, vti temporalis poteſtas a Sacerdotali eſt abiuncta, ita etiam Regia illa ſpiritualis auctoritas ab eodem eſt ſeparata. Multi ſunt Sacerdotij dignitate fungentes: quorum tamen nulla eſt poteſtas in alios. Hinc euenit, tamquam a ſuo proprio principio deriuans, illa vulgatiſſima apud omnes, ac receptiſſima diſtinctio poteſtatis ſpiritualis in poteſtatem ordinis, ac iuriſdictionis. Prima proprie dicitur Sacerdotalis, ſecunda iuriſdictionis, quoniam ſapit dominium Regium. Iunguntur, & copulantur hæ quinetiam auctoritates, ac eidem inexiſtunt. In Romano Pontifice primo, demum in Patriarchis, & Epiſcopis, ac ceteris, quos Spiritus ſanctus præpoſuit regere Eccleſiam Dei: vt in Actibus Apoſtolorum legimus. Cum itaque duplex ſit poteſtas, ſpiritualis ſcilicet, quæ & ipſa quoque eſt bipartita; ac temporalis; prima omiſſa, cum ad noſtrum non attineat inſtitutum, ſecundam accipiamus: & dicamus, hanc vel eſſe omnium primam, alias excedentem, quodammodo illimitatam, ac independentem, ad quam aliæ habent relationem: ceteræ inferiores, quæ ad primam referuntur, dependentes dicuntur, ſiue inſtitutione, ac vſu, ſiue ſaltem, vt a prima iudicantur. Age, ſingula declaremus membra. ſic namque, vt opinor, & allata patebit definitio, &, quæ ſunt dubia, fient conſpicua. Prima in Summo Pontifice reperitur, a Deo eius Vicario elargita. Plena nuncupatur, quia omnis poteſtas, ad hominum, & præcipue fidelium regimen a Deo ordinata, in hac comprehenditur, & illi omnia alia ſubditur, omnes alias excedendo, illas quoque dijudicat, modum imponit, & corrigit. Illimitata dicitur, quoniam non tantum in parte eius peculiari, in Patrimonio ſcilicet Beati Petri, verum in alijs ditionibus exerceri poteſt, vt vidimus. Ad hæc, operari poteſt alijs poteſtatibus medijs, atque ſine illis, ſecundum leges ab ipſa promulgatas, & ſi oportuerit, illis etiam abrogatis. Omnibus ſupereminere dicitur, quoniam ceteræ ad eius pedes iacent, tamquam ancillæ, tamquam immutandæ, ſuſtituendæ, abrogandæ. Ob hanc eminentiam, alias in ſui auxilium poteſt vocare. Atqui in dubium forte vocabit aliquis, quinam fieri poſſit, vt hæc poteſtas plena, ac eminens dicatur, quia, cum

10. Diſt.
7. Ethic.

a Chriſto, in quo plenam dicimus extitiſſe poteſtatem, eius Vicario talis fuerit elargita poteſtas, latumq. ſit diſcrimen inter hanc, & Chriſti poteſtatem. Non eſt negandum, reſpondeo, maioris eſſe ambitus Chriſti poteſtatem Summi Pontificis auctoritate, verum, quemadmodum Chriſtus dicitur plenus gratia, & mater gratia plena, Chriſtus in ſumma excellentia, quæ poſſit haberi ad omnes effectus gratiæ, mater vero, quoniam ſufficientem ad illum ſtatum, vt ſcilicet Dei Optimi Maximi mater exiſteret, ita ſane in re propoſita plenior eſt Chriſti auctoritas, qui Deus & homo erat a Deo cōſtitutus iudex viuentium, & mortuorum, ob eius grauem, & acerbiſſimam paſſionem. Summo autem Pontifici conuenit, Chriſto committente, atque tradente. Chriſtus agebat, vt inſtrumentum diuinitatis, cui excellenter erat adiunctus: at Papa agit, vt gerit eius vicem. Chriſtus poteſt quoſcumque homines ſibi ſubijcere: Sūmus Pontifex hoc minime poteſt. Chriſtus, Angelorum, viuorum, & mortuorum caput, rationalium, & irrationalium Dominus: Papa, hominum dumtaxat, præcipue autem fidelium, qui præcipue capaces ſunt felicitatis, ad cælum habentes iter, ſecundo autem, infidelium, eatenus: quoniam, ſi illorum naturam aſpiciamus, felicitatis minime ſunt incapaces. Verum plena dicitur, ſi mundum hunc aſpiciamus, ſi viuentes homines voluamus mente: quoniā illā dedit Vicario ſuo poteſtatē, quæ plane poterat ſufficere ad omnia obeunda munia, vt omnium pater, omniū rector, omniū paſtor, omniū rex. Hæc igitur, vere, & proprie loquendo, eſt independens, ſui iuris, ac mancipij omnino. Ceteræ autem, dependentes dicuntur, ſiue iure Emphytheuſis, ſiue feudi ratione, ſiue delegatione, ſiue alio modo quis fulgeat auctoritate. Eſt dependens, qui viget dignitate ei delegata: ſiquidem inſtitutione, executione, ac depoſitione, a ſuo pendet delegante. A quo quis inſtituitur, eius operatur virtute, ac poteſtate, & deſinit ad nutum illius, cuius voluntate tali auctoritate honeſtatur. Qui iure Emphytheuſis habent poteſtatem, hoſce dependenti poteſtate eſſe præditos facile eſt videre, ſi, quid ſit Emphytheuſis, inſpexerimus. Emphytheuſis, inquit Angelus, eſt vox Græca, ſignificans rem commiſſam fidei alicuius. addit, Latine dici (verbis eius vtor) Rei meliorationem. Cui aſſentit Siluester, ſic ſcribens. *Emphytheuſis, vocabulum eſt Græcum, & Latine dicitur Melioratio, propter hoc, quod olim per iſtum contractum ſolum viles quædam terræ, & ſteriles, concedebantur, vt accipiens melioraret, & fertiles redderet.* Hæc ille. Si quis roget, quomodo ex Græco eloquio poſſit hauriri, quod Emphytheuſis ſignificet rem alicuius fidei commiſſam, reſpodet Angelus, id nobis indicare vim, vocabuli. Emphytheuſis, inquit ipſe, dicitur ab *En, id eſt In;*

Tit. de Emph.

Tit. de Emph.

Fitos, ideſt Fides; & *Theſis, ideſt Poſitio.* Doctrina hæc quomodo litteras Græcas callentibus poſſit arridere, non ſatis intelligo. Emphytheuſis, Græce ἐμφυτεύσις, Latine Plantatio dicitur, a verbo Græco ἐμφυτεύω quod ſignificat Planto, Inſero, ac Ingenero. Id quod in Pſalmo legitur, Et ſeminauerunt agros, & plantauerunt vineas, codex Græcus habet, Καὶ ἔσπειραν ἀγρούς, καὶ ἐφύτευσαν ἀμπελῶνας. Quinetiam verbũ illud φυτεύω, frequenter non tantum accipitur pro Plãto, Produco, ſed pro Sero, Arboribus conſero. φύτιος autem, germinationis auctorem denotat, quod cognomen Solis proprium eſſe dicitur. Quare, cũ Emphytheuſis, a verbo ἐμφυτεύω, ſit quod ſignificat Conſero, Sero, Arbores planto, & ἐμφύτευσις Latine dicatur Plantatio, prædia dicuntur dari in Emphytheuſim, ob id, vt doctiſſimus Budæus ad notauit, quoniam dantur, vt etiam dicebant doctores, *In pã.J.ſed*
iſti, (cum quibus conuenio in concluſione, licet diſſentiam in fundamento) quia cultura & laboribus meliora, & feraciora fiant. *ſi §. 1.*
Hæc nos Græca docet ſtructura. nec eſt confugiendum ad ea, quæ ab Angelo ſunt ſcriptis commendata, quæ linguæ Græcæ imperitiam atteſtantur. Dicendum eſt itaque, Emphytheuſim nobis indicare rei conceſſionem, quæ fit a Domino eiuſdem, vt res ipſa melior fiat. Iam vero, cum quippiam hac conditione alicui conceditur, planum eſt, dominium, vt dicunt iuris Cæſarei profeſſores, directum apud concedentem remanere, licet dominium vtile accipiẽti tradatur. Cum igitur aut prædium, aut caſtrum, aut quippiam, in quo iuriſdictio exerceatur ab alio quis acceperit poteſtas accipientis a concedente dependet. Hac eadem ratione, quæ iure feudi poſſidentur, dependentiam auctoritatis neceſſario arguunt: ſiquidem, vt Pet. Heli. adnotauit, dominio directo apud concedentem permanente, vtile traditur recipienti, in cuius ſubiectionis teſtimonium *Trac. de*
quotannis recipiens ſoluit aliquid concedenti. Hinc Gof. Feudum *Feu.*
definiens aiebat: Feudum eſſe conceſſionem rei immobilis, factam pro homagio. Hoſtienſis quoque, & Azo, ab hoc non diſſidentes, dixerunt, Feudum eſſe beneficium alicuius rei, inueſtitura interueniente, ſic conceſſæ, ſeu datæ ali, vt dominium penes concedentem remaneat, cuius occaſione recipiens, & ſucceſſor eius concedente domino ad id ſeruitium, de quo & conuenit, & feudi natura requirit, tenetur directo domino, vtile autem ad feudatarium tranſit. Cũ itaque Summus Pontifex, aut Imperator, aut Rex, aut Dux, caſtrum, ciuitatem ac ſimilia bona conceſſerit, iuriſdictionem, ac poteſtatem, qua fungitur recipiens, eſſe dependentem, dubitare non poſſumus. Eſt poſtremo auctoritas, quæ nec iure delegationis Emphytheuſis, ac Feudi dicitur dependens, ſed ea ratione, quoniam imperfectum eſt in gratiam perfecti, membra in capitis gratiam, & quia in

omni

omni genere, quod primum exiſtit, aliorum regula, & metrum ab hominibus habetur. Hoc modo, Regum, & Imperatorum poteſtates ſubiectæ ſunt Chriſti Vicario, quoniã ab hac ſuprema ille iudicantur, & corriguntur. Ad hæc, vnctio, qua ſignificatur auctoritatis collatio, non eſt mediocris perſuaſio huius dependentiæ a prima: ſiquidem, cum a miniſtris Papæ vngantur, & confirmentur, licet a populis ſint electi, nihilominus, actione vnctionis, a prima poteſtate dependere intelligunt. Ordo autem talis eſt inter haſce poteſtates, quoniam, in delegato, quæ reperitur auctoritas; ad delegantis nutum incipit, progreditur, ac definit. minus pendet, quæ iure Emphytheuſis in aliquo reperitur; minus, quæ feudi iure; at multo ſane minus, quæ vltimo loco eſt adducta ſpecies poteſtatis. hæc ſuperiorem cognoſcit, vt neceſſitas vrget, nimirum, vt iudicium eſt ferendum. Nouiſſime, poſſumus dicere, ab hac prima omnes alias pendere: quoniam, licet immediate ſint a populorum, vel electorum conſilio, & electione, mediate ſunt a Deo, Dei autem Summus Pontifex eſt Vicarius in hoc mundo. Hæc itaque, & tot, ſint dicta in gratiam ueritatis: quæ adhuc magis explicabitur, ſi diligenti examine ponderabimus, omnes poteſtates a Deo eſſe.

Principia Regnorum propinqua quæ ſint, & omnes poteſtates a Deo prouenire. Caput IX.

GLadium ſub gladio eſſe, unamq. alteri poteſtatem ſubijci, iam diximus. Nunc occaſio expoſtulat, vt exponamus, quonammodo in hominibus hæc poteſtas initium ſumpſerit. Quæſtio hæc leuis non eſt iudicanda, ac paruipendenda. nec enim defuerunt, qui auſi ſint, adſtruere nullum eſſe legitimum Regem, & Regna tyrannidem admodum ſapere, potiusq. redolere uim, ac violentiam, quam aliud quippiam. Vt igitur error iſte explodatur, &, quæ hactenus ſunt dicta, magis roborentur, quod fuerit Regnorum initium; conſideremus. Qui Regna magis tyrannidem ſupere quam legem iuſtitiæ, ac ordinem, aiunt, his rationibus ſolent vti. Si hominum exordium conſideremus, videbimus hominem a Deo dominum, non ſubditum, fuiſſe factum. Dixit Dominus: *Dominamini piſcibus maris*, & c. non autem, Alter alteri dominetur. Præterea, primus omnium, qui ceteris imperauit, fuit Nemrod, poſt aquarum illam vniuer-

vniuerſalem inundationem: qui vir, ceteros vi opprimendo, eis eſt dominatus. Durandus, quem ſecutus eſt Franciſus ab Oſſuna in Ser- *de iur ant.* monibus ſacri Ieiunij, cuius doctrinæ alibi etiam fecimus mẽtionem, *in Domi.* rigorem huius duriſſimæ ſententiæ ſecum reputans, illam mitiorem *Pal.* reddere ſtuduit, dixitque, omnia, Regna a violentia ſumpſiſſe initium, licet, labentibus annis, populorum electione, legitima facta fuerint, quæ ſolida reddere, & confirmare, nixus eſt, argumentis ſumptis a quatuor Monarchijs. Prima illarum fuit Aſſyriorum quæ a Nino, Beli filio habuit initium, & mille ac ducentis annis perdurauit teſte Diuo Patre Auguſtino de Ciu. Dei. Hæc vi incepit in Nẽrod, viquinetiam habuit finem a Dario, & Cyro, regiones illas depopulantibus, & populos ſanguine, & ferro ſibi ſubijcientibus. Hæc ab *lib. 4 c. 6.* Alexandro armis, & bello proſtrata, atque omnino ablata, Aſsyriorum, & Perſarũ dominijs Græcorum ſucceſſit monarchia, quæ a Romanis & ipſa quoque armis oppreſſa quarta viguit Romanorũ. Cũ igitur Principatus iſti, quos ob illorũ magnitudinẽ, Monarchias & noſtra, & anteacta ætas nominauit, vi tyrannica, ac violenta oppreſſione habuerint exordia, cõcludunt multi, quod regna ſapiunt violẽtiam, & vim quandam redolent homini illatam. Primæ, & ſecundę ſẽtentiæ doctores fingũt ignorare, quæ S. Paulus, ad Romanos ſcribẽs *c. 13.* monet legentem, necnon quę ſcripſit Apoſtolorum princeps. Dicebat Sanctus Paulus, omnem poteſtatem a Deo eſſe, ordinationemq. Dei, quod vnus præſit multis. cum enim ordine regatur *1. c. 2.* mundus, ordoq. ſit bonum illius, vt Ariſtoteles etiam ſcripſit, ordo autem, qui in hoc mundo conſpicitur, ſit imago illius, qui in *12. diui.* mente opificis mundi reſidet, non poſſumus non fateri, poteſtatem a Deo optimo & maximo eſſe. Quæuis poteſtas a Deo eſt. licet autem diſtribuatur in diuinam & humanam, nihilominus & hæc, & illa a Deo prouenit. Etenim auctoritas, quam ex inſtitutione naturæ eſſe dicimus, non ob id appellatur talis, quoniam non ſit a Deo; ſed potius humana dicitur ad differentiam illius quæ a Deo immediate prouenit. Atque, vt, quid mihi velim, explicem, in memoriam reuocemus, quod nuperrime fuit dictum, Duplicem ſcilicet eſſe poteſtatem, alteram diuinam, alteram humanam, atque terrenam. hæc humana inſtitutione exiſtere dicitur, natura inclinante: quoniam, cum in brutis animalibus, gregatim viuentibus, hoc conſpiciat homo, quod Natura dumtaxat magiſtra duce reguntur, ipſe, qui eſt animal ſociabile, mutuis viuens officiis, naturæ igniculis ſuccenſus, ducem, ac Regem, a quo regatur exoptat. Hinc maiores natu populi Iſraelitici dixerũt Samueli, Da nobis Regem, vt, quemadmodũ alij populi Rege ducũtur, ita nos quoque, illo duce, viuamus. Regalis huiuſmodi poteſtas a Deo eſt, media, & in-

T terce-

tercedente propenſione naturali, quam humana perficit natura. at ſpiritualis ideo diuina dicitur, quoniam a Deo prouenit, illam tradente, ac inſtituente, nihilq. in eius inſtitutione operis, ſeu pro penſionis naturalis, apparet. Similes ſunt harum poteſtatum dependentiæ, animæ noſtræ operationibus. Quarum quædam dicuntur animæ; quædam animæ, & corporis, licet omnes ab anima, tamquam ab origine, & fonte, ac principio, dimanent. Iraſci, dolere, amare, odiſſe, triſtari, corporis diſcuntur affectiones. at; intelligere, ratiocinari, animæ appellantur operationes. hæ, & illæ sũt animæ, tamquam originis, & fontis, ac principij. ceterum, quoniam in primis maxime viget corporis participatio, in ſecundis nulla talis communicatio, iraſcatur aliquis, oculi veluti ignis ſcintillabunt, facies primo palleſcet, mox alio colore ſuffundetur. erubeſcat pudore quiſpiam, in facie color ſtatim huius affectionis indiciũ apparebit, timeat, palleſcet. at, dum meditatur, dum intelligit, nihil horum conſpicitur euentuum. illæ dicuntur corporis, hæ autem mentis. Recte ſcripſit iccirco Ariſtot. primo de anima, loquẽs de primis operationibus, quod ſunt coniuncti, quoniam maxime viget in illis corporis communicatio. Verum dicat mihi, obſecro, iuris Cæſarei peritus, ac alius, in quauis ſchola veritatis eruditus, quidnam eſt illa propenſio, & inclinatio naturæ, quæ homines Regem exoptant, a quo ducantur? Nil aliud certe, (niſi proteruire voluerit) poterit reſpondere, niſi, legem eſſe naturæ, qua id cupiunt, & eligunt. hęc autem lex eſt effectus ordinis, in mente Dei exiſtentis, vt infra Dei gratia patebit. Paſcat mille ouium grex virentia prata, ex illis multæ ſint fetæ, agnus paruulus matrem derelinquat, & a grege fiat ſegregatus, turmam mox ouium intret, inter tot matrem inueniet. Hirundines quotannis ad nos redeunt ſtatutis temporibus, plumas aqua irrorant, in puluere alas expandũt, & corpus peruoluunt, vt lutum efficiant, & nidos conſtruant. Alcyones, quoniam in vndis marinis nidificant, quæ facillime omni aura turbantur, & fluctus efficiunt, tempus illud placidum, quod ſancti Martini æſtatem nominamus, expectant, vt nidos fabricent, & prolem alant. Innnmera poſſem adducere huiuſmodi teſtimonia: verum his paucis ero contentus. Dicam tantum, quis has docuit bruta leges? quiſnam ſiderum, & temporum mutationes, ac aſtrologiam, illa inſtruxit? nemo, certe alius, niſi melior natura, Deus. Iam vero, cum, hæc propenſio ſit lex, & ordo naturæ, qui ordo eſt effectus ordinis, in Diuina mente exiſtentis, poteſtas vero humana ab hac propenſione, ab hac ve natura ſecunda oriri videatur, recte loquendo, & ſapide, dicendum eſt, quod proueniat a Deo. Vtraque poteſtas a Deo eſt. at, quoniam vna immediate in nos homines deriuat,

riuat, altera vero, naturali propenſione intercedente, famulatuq. naturæ, Dei Optimi, & Maximi miniſtræ, ideo hæc dicitur naturalis, illa vero diuina. Naturæ, quæ rationis eſt compos, poteſtatem hanc regendi communicauit Deus, qui etiam dominium rerum eſt elargitus. ob hanc homo homini imperat, *Homini homo Deus*, antiquum ait adagium. Licet autem natura rationis compos videatur poſſe regere ſe ipſam proprij intellectus ope, attamen, quoniam omnia, quæcunque ſunt, a primo ente progredientia, habent eſſe dependens, & ob id errare poſſunt, (vbi enim deficientia, ſiue, vt dicunt, defectus, ibi error eſſe poteſt) mētes illæ, ab omni corporis concretione abiunctæ, primam intuentes tamquam normam, & ducem, vt quidam dicunt philoſophi, nos ob gratiam Dei operando, non errāt homines, duce, & legibus, veritateq. ducti, a recto tramite non diſcedunt. Ex hominibus qui etiam illis magis Dux eſt neceſſarius qui mentis penuria ſe ipſos regere nequeunt. A Deo iccirco illi ceteris præponuntur, qui mente, & intellectu, magis uigent, & perſpicacia ingenij aliis præſtant. Hominibus igitur homines imperant, hac poteſtate, qui dominio brutis, rebuſq. inanimatis dominantur. Quæ duo inter ſe valde diſſident, poteſtas nimirum, qua hominibus præſumus, & imperium, quo brutis, & rebus inanimatis dominamur. Præſumus, & dominamur brutis, & rebus anima carentibus, non quidem, vt illarum conſulamus vtilitati, ſed potius e contra, vt ad propriam vtilitatem, ac noſtrum commodum illis vtamur. Hinc Ariſtoteles dicere ſolitus erat, nos quoque quodammodo finem eſſe omnium, pulchre quidem, ac eleganter. In noſtrum namque obſequium, & propter nos, omnia illa a primo opifice fuerunt condita. At hominibus præſumus, & illis imperamus, ac quodammodo dominamur, non quidem ob noſtrum commodum, ac vtilitatem, ſed illorum potius commoditatis gratia, vt ve ſubiectorum proſpiciamus honeſto, & conſulamus vtilitati. Reguntur huius finis gratia homines, Regibus, ac Principibus ſubijciuntur, vt tali regimine proprium aſſequantur bonum. Quod ſi quis ceteris præeſt, & ſtudeat, vt regimen non in ſubditorum bonum, ſed in proprium vergat commodum, a rectitudine Imperij degenerans, ab illoq. recto moderamine declinans, quod competit hominibus, vertit imperium in dominium, quod in bruta habet homo. tuncq. ij, qui ſubduntur imperio, & humanæ poteſtati, more pecudum, ac brutorum, ab imperante recti dominium experiuntur nimis graue, moleſtaq. opprimūtur tyrannide. id Princeps aſſequitur dominio, (& hoc debet eſſe contentus) quod, dominando, Deo ſeruit præclariſſimo famulatu, ad ſimilitudinem eius accedit, & ſupremæ illius maieſtatis non ſimulacrum tenue, & obſcurum, ſed claram nobilem, ac ſolidam ima-

2. *Phyſ. t. 14*

ginem gerit. bonum enim tanto magis eſt bonum, quanto ſui eſt diffuſiuum, vt Dionyſius martyr frequenter dicere ſolebat. Primum autem ens dicitur tale, quoniam ab illo omnia entia eſſe obtinent, ſuiq; diffuſione cetera ſunt entia. Hoc vt ceteris ſupereminet entibus, ita primum bonum omnia bona excedit. ad inſtar primi entis, ille qui ceteris imperat, exiſtit, & ad eius ſimilitudinem prope accedit. Ad hæc, regentis, & imperantis eſt, miniſtros habere, quibus propriam exerceat auctoritatem. Cæſaris Maieſtas facillime innoteſcit miniſtrorum, auctoritate, iudicum, legatorum poteſtate, eiuſdem Cæſaris vicem gerentium. fulget quinetiam, ac nitet ſplẽdor Principis ſeruientium præſtantia, & nobilitate. In Principis itaque honorem, in populorum bonum, poteſtas hæc a Deo homini data fuit. dum enim animi noſtri hoc vehiculo oſtreacco feruntur, vt verbis Platonis vtar, dum his ſenſuum vinculis detinentur, hoc obſcuriſſimo corporis carcere clauduntur, æquum eſt, vt gratia Dei, qui omnium vt eſt productor, ita etiam eſt Rector, Duce ſenſibili regeremur, cuius moderamine, & legibus, in finem tendentes, metam tandem attingeremus. Hæc omnia nobis Paulus Apoſtolus ob oculos poſuit, illis verbis: *Omnis anima poteſtatibus ſublimibus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas, niſi a Deo: quæ autem ſunt a Deo, ordinata ſunt: itaque, qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Atqui non ſolum Principum Chriſtianorum, verum etiam Paganorum poteſtas a Deo data eſt, ſeu permiſſa, in bonum populorum. Illi ſiquidẽ populorum bono conſulere poſſunt in ijs, quæ ad legem naturæ attinent. Legimus hanc ob rem apud Danielem, Nabducdonoſori a Deo Regnum fuiſſe donatum. Hoc quinetiam ſenſu Dominus Saluator noſter Pilatum Præſidem eſt allocutus: *Non haberes poteſtatem, niſi deſuper tibi data fuiſſet.* Et, in naſcentis Eccleſiæ exordio, licet ferè Principes omnes cæcitate Idololatriæ laborarent, nihilominus iubebat Apoſtolorum Princeps famulis IESV Chriſti, charactere baptiſmatis inſignitis, vt omni humanæ creaturæ ſubijcerentur, dicẽs: *Subditi eſtote omni humanæ creaturæ propter dominum, ſiue Regi, quaſi præexcellenti.* Et, paucis quibuſdam interpoſitis verbis: *Serui, ſubditi eſtote dominis, non ſolum bonis, & modeſtis, ſed & dyſcolis.* His itaque, omnibus ſit notum, Principis poteſtatem a Deo eſſe, non autem vi, ac oppreſſione, habere principium, vt nonnulli ſibimet ipſis perſuaſerunt. Licet autem dixerit Deus, hominem producendo, quod brutis dominaretur, & rebus inanimatis: inde tamen non ſequitur, vt negarit, Principatum homini conuenire. Sermo eſt ibi de dominio, non autem de principatu, quæ duo valde inter ſe diſſident, vt expoſuimus. Inſuper, aliud eſt loqui de homine ante lapſum, & poſt lapſum. Ibi ſermo eſt, de homine in primo ſtatu exiſtente, non

Cap. 2.

autem in ſtatu naturæ corruptæ, ac deprauatæ. Si primæ condicioni ſeruire non conuenit, ac ſubijci, ſecundæ congruit. Pateat quinetiam quod ſit exordium Iuris Principatuum. Quod vero Nemrod primus non fuerit, qui regnare cœperit, retro patefecimus. Ceterum, quoniam, definitione, concluſimus, poteſtatem hanc a Deo Principibus fuiſſe datam in populos, nunc illud ſeſe offert diſcutiendum, num hæc poteſtas ſit in corpora ſubditorum aliqua ratione, an ve in illorum bona. Quibus inſpectis, cognitum erit, quæ ſit intenſio huius poteſtatis.

Principum poteſtas quas reſpiciat actiones, quæue a iure Principatuum complectantur. & primo, an Princeps ſit Dominus vitę ſubditorum, & facultatum.

Caput X.

Actiua poteſtas cum reſpiciat paſſiuam, agens namque agit in paſſum, congruum erit ordini propoſito, vt nunc conſideremus, quæ ſit materia, in qua Princeps hanc exerceat poteſtatem, & vtatur dominij auctoritate. At quoniam duplici conſtat principio Mundus paruus, cui præeſt Princeps, ex parte corporea, & incorporea ex ſpirituali, & corporali, eſt diſcutiendum, an vtriuſque partis ſit dominus, an ve bonorum temporalium, ſeu, vt dicũt, proprietatum ſubditorum, vitæq. illorum, an ve poteſtas illius ſpiritualia complectatur. A rebus autem primæ claſſis ordiemur: quoniam hoc naturæ ordo expoſtulat, vt ab imperfecto ad perfectum ſit progreſſio, dum operatur naturale agens. Non deſunt, qui, extollentes nimis, & magnificientes poteſtatem a Deo Principibus elargitam, a proprijs terminis eidem præſcriptis illam extrahunt, atque omnino a metro, ac menſura, amouent, alienamq. efficiunt. Aiũt iſti, Principem abſolutum, (verbis illorum vtor) præcipuè Imperatorem, dominum eſſe bonorum, quæ; communi vocabulo & voce receptiſſima vtendo, Proprietates ſolemus nominare, ſubditorum, quibus præeſt. Hoc autem ne videantur gratis aſſerere, adducunt pro ſuæ opinionis tutela, ac munimine, ea, quæ leguntur. leg. Zenone: vbi hæc a legislatore *c. de quad. præſcr.*

tore ceteris fuerunt inſerta: *Omnia ſunt Principis*. Quod ſi omnia Principis exiſtunt, vtique Princeps bonorum, ſeu proprietatum ſubditorum, dominium habebit. Ad hæc in Authen. legitur, Imperatorem poſſe aliquando quippiam accipere venerabilium domorum, dum voluerit. Quod ſi harum domorum, cum libet Imperatori, poteſt aliquid accipere, multo ſane magis aliarum. igitur proprietatum erit dominus Imperator. In hanc ſententiam declinauit Oſtien. tit. de præſcript. Alij, his addendo, aſſerunt, Principem non tantum horum bonorum, quæ meminimus, eſſe dominum, verum vitæ quinetiam ſubditorum. Id perſuadent verbis Ariſtotelis, dicentis, eum, qui ſibi manus conſciuerit, necemq. intulerit, afficere remp. iniuria. Præterea, Princeps, & bello, & periculis, populos ſibi ſubditos poteſt obijcere, igitur vitæ illorum dominatur: ſiquidē, cum mortis periculo illos obijcit, dominium in vitam eorundem exercet. quare, cum hæc quotidie oculis cernamus, fateri eſt neceſſe, quod Princeps ſubditorum vitæ dominetur. Harum, quas recitauimus, opinionum, prima opponitur communi Iuriſperitorum ſententiæ. Secunda vero adeo aduerſatur veritati, adeoq. illi eſt contraria, vt intolerabilis error debeat haberi. Atque, vt vnico omnia cōplectar verbo, vna, & altera vertit iuriſdictionem in dominium, quæ res ſummopere ab inuicem diſtant, & mutant ius Principatus in aſperrimam tyrannidis immaniſſimæ legem. quoniam, ſi Princeps ex iuriſdictione facit dominium, Imperium mutat in tyrannidem, ius Principatus in voluntatem iniuſtam, & ex Principe fit Tyrannus. Quod attinet ad vitam, nullum habet Princeps ius, quo humanæ vitæ dici debeat dominus. Deus ſolus eſt vitæ dominus, vt eiuſdem eſt auctor ac productor. Subditi ſuarum facultatum domini. Principes proprie loquendo præſunt populis iuriſdictione, non autem dominio. Miror eos, qui tales inuexerunt ſententias: quę, licet poſſent reijci ijs, quæ retro ſcripſimus, illaq. ſufficere poſſent adhunc explodendum errorem, nihilominus nonnulla hic apponam, vberioris doctrinæ gratia, & veritatis dilucidandæ ſtudio, noua enim hæc occaſio, nouum laborem ingerit. Sapientiæ libro hæc ſcripta legimus: *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis, & reducis*. In Deuteronomio quoque hæc leguntur verba: *Ego occidam, & ego viuere faciam*. Et alibi: *Dominus eſt, qui viuificat, & mortificat, deducit ad inferos, & reducit. ego percutiam, & ego ſanabo*. Atque, vt ſilentio prætercam multa, Rex Dauid iuſſit, armigerum illum Amalechitam interfici, qui, iactantia ductus, aiebat, Saulem ſemiuiuum ab eo fuiſſe occiſum, precibus ac iuſſu eiuſdem Saulis. Quod factum a ſacra non reprehenditur Scriptura; nec homicidij notam inuſſit Dauidi. Signum euidentiſſimum,

Vt de Cæ. coll. ſ.

§. quæ autē.

ſ. Eth. c. 11

Cap. 16.

Cap. 22.

tiſſimum, quod Saul propriæ vitæ non erat Dominus. nam, ſi talis extitiſſet, iniuſte armiger ille Amalechita fuiſſet occiſus. Quod ſi propriæ vitæ Rex non eſt dominus, multo minus alienæ. Præter hæc, communis eſt omnium doctorum ſententia, Principem non poſſe hominem mortis pœna punire, niſi iuſta de cauſſa, quæ teſtimonijs ei fiat conſpicua; vel reus proprium fateatur crimen. Colliguntur hæc ex Sancti Ioannis Euangelio, vbi Euangeliſta ſcribit Nicodemũ ita loquentem. *Dixit Nicodemus ad eos, Ille, qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipſis. Numquid lex noſtra iudicat hominem, niſi prius audiuerit ab ipſo, & cognouerit quid faciat?* Agebatur in Concilio illo de morte Domini noſtri: Nicodemus, legis teſtimonio, concludit, innocentem a Principe morti non poſſe tradi, niſi iuſta de cauſſa, quæ cognita ſit, & reus proprium confiteatur crimen. Legimus etiã, protoplaſtum non prius a Deo fuiſſe condemnatum, quam proprio ore crimen perpetratum fuerit confeſſus. Si autem Princeps eſſet dominus vitæ ſubiectorum, hæc ad illorum necem vtique non eſſent neceſſaria. Addamus, quod iudex, Principis poteſtate fungens, illum non poteſt morti condemnare, quem reum eſſe nouit extra iudicium, vbi teſtibus idoneis probetur innocentia. nec eum poteſt a morte liberare, quem inſontem pro comperto habuerit, tamquam priuatus, vbi in iudicio teſtes contrarium aſſerunt. Non me latet, in hac materia varias extitiſſe doctorum ſententias. Nonnulli oppoſitum ſentiunt, ſiue de ciuili, ſiue de criminali cauſſa, ſit ſermo. Quod placuit Calderino, & Panormitano, cap. paſtoralis. Alij aiunt, in cauſſa ciuili, ſecundum allegata, & probata, (vt dicunt) iudicem debere iudicare: at non ſic in cauſſa, quæ ad vitam ſpectat hominum. At Sanctus Thomas ab ijs diſſentit. Cuius doctrinam, veluti cum veritate conuenientem, ſum ſecutus. Aſſerit, in omni cauſſa teſtium atteſtationibus eſſe adhærendum, illiſq. ducibus proferendam eſſe ſententiam. Hæc ſunt illius verba: *Dicendum, quod, ſicut dictum eſt, iudicare pertinet ad iudicem, ſecundum, quod fungitur publica poteſtate: & ideo informari debet in iudicãdo non ſecundũ id, quod ipſe nouit tamquã priuata, ſed ſecundum id, quod innoteſcit tamquã perſonæ publicæ.* Hæc Doctor Sanctus, & in reſponſione ad tertium, in eodem loco ait: *Homo in his, quæ ad propriam attinent perſonam, debet informare conſcientiam ſuam ex propria ſcientia; ſed in his, quæ pertinent ad publicam poteſtatem, debet informare conſcientiam ſuam ſecundum ea, quæ in publico iudicio ſciri poſſunt.* Hæc fuit ſententia Patrum, Ambroſij, & Auguſtini in Pſalmos: cuius exemplum legitur iij. q. vij. c. iudicet. Et pater Auguſtinus: Bonus iudex nihil ex arbitrio facit ſuo, ſed ſecundum leges, & iura pronuntiat. In Deuteronomio autem legimus, admonitione præmiſſa: *In ore duorum, vel trium ſtet omne verbũ.*

Cap. 7.

Gen. 3.

De off. del.

2. 2. q. 67. ar. 2.

Pſal. 118.

Cap. 17.

peribit,

peribit qui interficiatur. Statimq. ſubditur. *Iudex ſequatur in iudicio veritatē.* idē ſētit Alexāder de Ales, Richardus, Petrus de Tarantaſia, &
3.q.40.mē- Paludanus, quos ſequitur Illuſtriſſimus Caietanus loco nunc ex S.
br.6.ar.2. Thoma adducto, ratione adductus quæ deſumitur a rei natura, ab actu, inquiens: *Actus enim, quo iudex reum condemnat, ſententia, vel illa damnantis, eſt actus publicus, & iccirco per ſe cauſſas debet habere publicas, ſcilicet perſonam, poteſtatem, ſcientiam, & voluntatem, quæ præcepto publico, quod index facit de pœna huiuſmodi, manifeſtatur. Præceptum enim a voluntate eſt: nec perſona iudicis aliquem actum propriæ voluntatis apponit in hoc caſu in damnum innocentis, niſi vti poteſtate, ſcientia, & voluntate publica. quem actum ſi poſſet omittere, libenter omitteret: ſed, quia tenetur ad illum, propter coincidentiam perſonæ publicæ cum ſua, ideo non tenetur omittere illum, propter damnum alterius, per accidens rariſſimum eueniens, ex vſu publici officij. &, quoniam hæc via ſolidum habet fundamentum. &c.* Hæc Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus iſte Doctor. Silueſter, non ſpernendæ Doctrinæ Theologus, re diligenter inſpecta, ac mature excogitata, poſt multorum ſcriptorum lectionem, tum Theologorum, tum Iuris Pontificij doctorum, in hanc deuenit ſententiam, quod hæc fuerit opinio antiquorum, qui Theologiam, & Ius Canonicum ſcriptis conſignarūt. Hæc ſunt illius verba, in Summa, in dictione Iudex: *Prima eſt antiquorum Theologorum & Canoniſtarum, dicentium, quod iudex poteſt talē condemnare, ſine peccato, duobus concurrentibus.* Loquitur de Innocenti, quem ſcilicet nouit Iudex eſſe innocentem extra iudicium. Hanc ſecutus eſt Bartolus, interpretum Iuris Cæſarei facile princeps,
l. illicitas, & Ioan. Ant. in ſuis Nouellis, tit. de oblig. Quare, ſi iudex, fun-
ff. de off. præ gens Principis poteſtate, non poteſt reos morte condemnare, nec
ſid. a morte liberare, niſi criminis faciant fidem teſtes, aut innocentiam atteſtentur, vtique Princeps vitæ ſubditorum minime dominus erit cenſendus. Hæc, quo ad vitam. Quod vero ſpectat ad facultates, veritas facillime fiet conſpicua, ſi conſideremus, quid differat Iuriſ-
Lib. de pot. dictio a Dominio. Definiunt ſic omnes Dominium: *Dominum, eſt*
Pa. *vſus rei, atque ſubſtantiæ, iuxta vtentis placitum. Iuriſdictio* autem ſic, vt notat Herueus, quem ſequitur Archiepiſcopus Florentinus, tertia parte, & Silueſter in verbo Iuriſdictio, vt vocis etymologia in-
Tit.22. dicat, *eſt poteſtas ius dicendi ſiue ſententiam promulgando, ſiue decer-*
Cap.3. *nendo.* Latere autem non decet in re propoſita, quod Ius dicere bifariam contingit: vel, ſi quis iuſtum decernat diſſerendo, adſitq. audientium libertas, quemadmodum in gymnaſijs publicis quotidie fit, in quibus Pontificij, ac Cæſarei iuris interpretes ex ſede, quid ſit iuſtum, audientibus, iura profitendo, decernunt. Liberi tunc ſunt auditores, nimirum diſcipuli, nec illos doctor aliquo obligationis

nexu

nexu deuincit, ad parendum eius decretis. Alio etiam modo dicitur quis Ius dicere, ac decernere, cum habet poteſtatem eos, qui decreta audierint, obligandi, ac deuinciendi ad huiuſmodi decreta obſeruanda, & tamquam iuſta habenda, ſiue quis ius dicat, promulgando ſententiam, ſiue alio modo ius decernendo, legeſq. promulgando, ac ferendo. Ex ijs elicit idem Doctor Sanctus nunc citatus, *Iuriſdictionem nihil aliud eſſe, niſi poteſtatem, qua Præſes alicuius Reipublicæ poteſt ius dicere ſtatuendo, vel ſententiando, cum obligatione ſubditorum, ad habendum id, quod dicitur, pro iuſto*. His addens, declarationis gratia: *Contingit autem in ijs ſtatuendis, vel decernendis, vel ſententiandis, aliquando poteſtatem iuriſdictionis determinari dupliciter: vno modo, quantum ad cauſſas, ita ſcilicet, quod ipſa poteſtas non ſe extendat ad omnes caſus, ſed ad quoſdam; alio modo, quantum ad populum ſubiectū, ſcilicet, quod ſe extendat tantum ad populum, & non ad populos*. Hæc vir beatus. Quæ ſane optime conueniunt cum ijs, quæ Azo ſcripſit, dicens: *Iuriſdictio, eſt poteſtas de publico introducta, cum neceſſitate ius dicendi, vel æquitatis ſtatuendæ*. Atque, vt colligitur. l. 2. ff. de iur. om. Iu. *eſt facultas quædam conceſſa ei, qui præeſt ius dicendo qua commiſſa, intelliguntur omnia conceſſa, ſine quibus explicari non poteſt*. His ſit acceptis, reſpondeamus adductis rationibus ordine præpoſtero. Cum arguebant, quod, quando quis ſe ipſum interimit, ignominia afficit Remp. reſpondetur, id euenire, non quia Reſp ſit domina vitæ, ſed quia eſt cuſtos, qui iniuriam patitur, cum res ſibi commiſſæ male tractantur. Secundæ rationi reſpondetur, quod Princeps offert bello ſubditos vtilitatis publicæ cauſſa, atque vt totum ſeruetur, cuius gratia partē perire iuſtum eſt. Quod attinet ad ſecundam dubitationem, negandum eſt, quod Princeps ſit dominus facultatum. quemadmodum enim notauit Faber, Princeps, vti vitæ ſubditorum non eſt dominus, ita neque facultatum. Hoc modo barbara tyrannide Turcarum Princeps dominatur populis, qui profitetur ſe eſſe dominum populi. Cum vero quis audiet omnia eſſe Principis, verba hæc ſunt intelligenda caſte; ſcilicet, omnia eſſe Principis, quæ fiſco, (vt dicitur) publicoq. Principis mulctarum ærario, obueniunt. Senſus quinetiam poterit eſſe: Omnia ſunt Principis, quod Princeps poteſt omnibus rebus ſubiectorū vti quemadmodū ſi publicæ neceſsitatis cauſſa aderit, ſicut etiam diximus, cum vita ſubditorum vti. quotieſcumq. iuſta neceſſitatis cauſſa adeſt, tunc quid priuatarum domorum poteſt accipere. Quomodo autem facultatum populi particeps fiat, & eſſe poſſit, nunc eſt exponendum. Verum quæret aliquis, an detur euentus, in quo permittatur Principi, (excipio mulctas, & pœnas, ob perpetrata delicta) legibus Regni, ſubiectos domibus, campis, & hortis, prædijſq. ſpoliare, nulla facta pecuniæ, aut alterius

In Sum.

l. bene a Zenone ff. de quā proſcrip.

re illam tali titulo accipere. pretio voluit poſſidere locum ad ædificandum altare. Quod ſi pietatis cauſſa, & Dei cultus, ac ſalutis totius populi, iuſtus Rex Dauid voluit rem pecunia poſſidere, non autem dono accipere, quanto magis Princeps debebit erga ſubditos ita ſe præſtare ornandæ ciuitatis gratia, aut ſimilis finis ſtudio? His addamus, quæ de Nabot narrat Regum hiſtoria. Vineam habebat: 3. Cap. 21. Rex, vt hortum ex illa faceret ad ſerenda olera, a Nabot vineam petijt. negauit vir iſte Regi petenti vineam, & iuſte vt Sanctus Ambroſius ait, c. conuenior. Rex non abſtulit vi, quod petierat, ſed animi moleſtia affectus eſt. Quod ſi iuſte Nabot negauit vineam, & Rex non abſtulit eam vi, concludamus, Regi non licere iuribus ſtatus ſubditorum facultatibus dominari, & illas in ſui commodum vertere. 23. q. 8.

LIBER QVINTVS.

Paupertatem
Statui Principis minime poſſe conuenire.

Caput I.

BONORVM indigentiam Principi adeo opponi, vt cum Principatu nulla ratione, nullaue condicione poſſit eſſe, facillime quis nouerit, ſi Principis maieſtatem, ac ſplendorem; ſi diſcrimina, in quibus verſatur eius vita, vſum ve pecuniæ, vel vix conſiderabit. ſeruorum, miniſtrorum ſibi aſtantium multitudine, valorum, equorumue numeroſa quantitate ſplendeſcit Principis maieſtas, in quibus alendis, ſuſtinendis, ac ſeruandis, copia auri, nec parua requiritur. Perlegat quis, obſecro, Palæſtinorum Regis Salomonis geſta: adſpiciat eius magnificentiam: & ſtatim ſumptus illius Principis incipiet admirari. Regum 3. hæc leguntur: *Erat autẽ cibus Salomonis per dies ſingulos, triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ, decem boues pingues, & uiginti boues paſcuales; & centum arietes, excepta venatione ceruorũ, caprearũ, atque bubalorũ, & auiũ altiliũ.* Et, paucis interpoſitis, additur: *Et habebat Salomõ quadraginta millia præſepia equorũ curriliũ, & duodecim millia equeſtriũ. Nutriebantq. eos ſupradicti Regis præfecti ſed & neceſſaria menſæ Regis Salomonis, cum ingenti cura, præbebant in tempore ſuo. Hordeum quoque, & paleas*

leas equorum, & iumentorum deferebant ad locum, vbi erat Rex, iuxta conſtitutum ſibi. In eodem libro, de vaſis, ſupellectilique loquens Sacer hiſtoricus, hæc ſcripſit: *Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo, ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti vnius. & tercentas peltas ex auro probato, tercentæque mnæ auri, vnam peltam veſtiebant. poſuitque eas Rex in domo ſaltus Libani. fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat ſex gradus, & ſummitas throni rotunda, erat in parte poſteriori, & duæ manus hinc, atque inde, tenentes ſedile; & duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas, & duodecim leunculi, ſtantes ſuper ſex gradus, hinc atque inde. non eſt factum tale opus in vniuerſis Regnis. ſed & omnia vaſa, de quibus potabat Rex Salomon, erant aurea, & vniuerſa ſupellex domus ſaltus Libani de auro puriſſimo. non erat argentum, nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis.* Hæc ibi legũtur. Magna profecto, & miranda fuit huius Regis magnificentia. neglexit argentum, tamquam vile metallum, in vaſis, ſcutis, ac peltis conflandis, armiſque bellicis conſtruendis. ſumptus vero rum domus ædificandæ, tum familiæ alendæ, equorumque paſcendorum gratia, omnem excedunt admirationem. Quare, ſi Regem decet maieſtas, vt vere decet, cũ in illo deitatis conſpiciatur fulgor, qua ceteris præeminet excellentia, maieſtatẽ inſequatur magnificẽtia; magnificẽtiæ, ac ſplendoris anima ſit aurũ, iure quidem Principatum, & paupertatem non poſſe eſſe ſimul ſed omnino mutuo pugnare, diximus. Præterhæc, in continuis Principis vita verſatur periculis. Qui populos regit, ſibi debet, timere etenim quem multi timẽt, is multos debet timere, aiebat Labentius, Romanus eques. Et ſapiens ille maiora ſcripſit imminere pericula regnantibus, quam ijs, qui iudicantur. *At, quem metuunt, oderunt, & quem quis oderit, periſſe expetit*, cecinit ille poeta. Hinc euenit, vt ſcripſit Seneca, quem nunc retulimus, quemlibet ſubditum poſſe tuto exiſtere in quauis ciuitatis parte; miſſoque omni timore, quouis incedere; Principem vero, armatis hominibus, cuſtodiaque militum circumvallatum ire, atque in munitiſſimis arcibus ſemper timere, ac formidoloſe viuere. timet fortes, prudentes, ac ſapientes, potentes, & diuites, timet, & imperantes. fortes quidem, ne quid audeant libertatis gratia; prudentes, ac ſapientes, ne quid aduerſus eos moliantur, & populi, ac plebis animos verbis ſibi concilient; potentes, ac diuites, ne muneribus, diuitijſque ſubditos deuinciant demumque a ſe ipſis deficiant; imperantes, ne bello indicto, aut repentino motu, Regnum inuadant.

c. 10.

Labentius

Seneca

Ennius

Summos feriunt fulmina montes, *Hora. 3.*

dixit ille Poeta.

Sola

Ouid. *Sola miſeria caret inuidia*,

Cecinit alter.Regi, Rex;Princeps,Principi ſolet inuidere.inter æquales inuidia ex ercet uires ſuas. hanc ob cauſſam timere ſolent Principes, ne bello, & vi armorum Regnum quis inuadens, priuentur Principatu. Et ideo pro vrbium, locorumq. munimine, milites ſunt conducendi, quibus ſtipendium eſt erogandum. nemo enim proprijs militat ſtipendijs: quemadmodum Sanctus Paulus ad Corinthios ſcripſit.Caſtra, arceſq. muniēdæ sūt militū præſidio, armis, & annona,ne quis,Regnum inuadēs,armorum vī,captis habitatoribus,

8.Ethic. & arcibus,illud occupet. Ad hæc,Rex,vt dicebat Ariſtoteles, eo modo debet eſſe cum populo, quo pater ſe habet erga filios, & paſtor erga oues. pater filios alit, paſtor gregem paſcit, Rex populum nutrire debet. Paſtorum nomine Reges antiquitus fuiſſe appellatos, ſupra diximus.Et in ſacra Geneſi legimus,Pharaonem ſeptem annis cum præualuit inopiā, ſegetumq. penuriā, Aegypti populis alimenta ſubminiſtraſſe frumento, quod antea propria pecunia ab ipſomet fuerat emptum. Collegium humano corpori ſimile facit Ariſtoteles: ærarium autem Principis cum ſtomacho eleganter ſolet comparare: quoniam,ſicut a ſtomacho cibi recepti,in omnia tādem diffunduntur membra; ſic a Regis theſauro receptæ pecuniæ,demum,vbi neceſſitas ei ſeſe offert, ſubditi populi indigentiæ cōſulitur. Ea propter, vti paupertas Principi nulla conuenit ratione, ita decet maxime, immo neceſſe eſt,diuitijs abundare,auro,& argento affluere.eſt enim Pecunia inſtrumentum,quo ad omnia vtimur,quo ve humanæ vitæ negotia abſoluuntur, tranquillām, ac ſtudioſam ducimus vitā, & pace, ac vnitate ſeruatur quæuis hominum multitudo,Reſpublica augetur, Ciuitates ſuſcipiunt incrementum. Omne regnum di-

Salluſt. uiſum deſolari, dixit Saluator. Saluſtius ſcripſit, Concordia parua concreſcere, parta vero,& aucta diſcordia prolabi, ac interire.Pax autem duplici modo ſolet perturbari. vel iniuriam ciuibus ſibimet inferentibus, mutuaq. læſione iniuſta; vel extrinſecus,Principe bello,& armis ciuitatem inuadente. Quibus omnibus auri virtute facillime occurritur, atq. conſulitur, ceteris ve proſpicitur. Aurum fu-

5.Ethic. turæ neceſſitatis facit iuſſorem Ariſtoteles: nec immerito. opera enim,labores, ac operationes continet. mercedem,ac præmium,harum rerum comprehendens. hinc euenit, vt quilibet pecuniæ ſit indigens,multoq. magis Princeps,qui maioribus,ac grauioribus premitur ſumptibus: cuius ſtatus eſt quid vniuerſale, operatio communis,auri pōdus expoſtulans. Reges, quorum mentionem facit ſacra Scriptura, ij omnes auro, & argento abundarunt. Legimus in Iudith, quod Holofernes,Princeps exercitus Regis Nabucdonoſoris, cum Syriæ,& Ciliciæ,regiones inuaſiſſet,magna illa,& numeroſa mi

litum

litum copia,aurum,& argentum(multum nimis, illud appellat ſacer hiſtoricus) habuit, paratum ſcilicet ad illarum regionum munitionem,ad hoſtes propellendos,ad conſulendum ſubditorum neceſſitati. Auri,& argenti copia, illuſtris extitit Dauid, vt Paralipomenon liber manifeſte nos docet. Ditiſſimus fuit Salomon, vt theſauro Darium ſuperauerit : quemadmodum notauit Budæus. Salomon, de ſe loquens,hæc voluit illis verbis:*Coaceruaui mihi argentum,& aurum,& ſubſtantiam Regum,& prouinciarum*. Turpe eſſet Regi,a ſubditis;aut ab æquali non ſatis commendatum; ſumptuum, aut belli gratia argentũ mutuo accipere. Nec caret periculo talis mutuandi actio.Qui mutuat, vt Bias dicere ſolebat,amicum perdit. Quare concludamus, quoniam diuitiæ ad Principis maieſtatem ſuſtinendam, ad tutelam eiuſdem, ad populorum tranquillitatem, Regni perſeuerantiam, & defenſionem,ad incrementum Reipublicæ, ad ſubſidium ſubditorum ſunt neceſſariæ;Principi, cuius curæ hæc omnia mandata ſunt, conuenit illis affluere. Quæ autem ſint iſtæ diuitiæ,nunc diligentius eſt dicendum.

Budæus.

Bias.

Diuitiarum diuiſio, & de ædibus monetarijs agitur, de nummis aureis,& argenteis: et num liceat Principi, pretium numiſmatum varium facere, vt ei libuerit.

Caput II.

Diuitem neceſſario debere eſſe Principem, rationibus veriſſimis huiuſq. concluſimus: vna & altera diuitiarum ſpecie, verbis illis innuendo, eum abundare oporteте. Diuitiæ, namque,vt Ariſtotele præceptore didicimus,ſunt in duplici differentia; quædam naturales, quædam artificiales.illæ ita dictæ, quoniam ſunt a natura; hæ vero artificiales nuncupatæ, quoniam arte parantur. primæ ſunt agri,nemora, vineæ, ſiluæ,armenta, aues, alia ve animalia, quæ vſui noſtro ſunt accommodata, nobiſq. uictum, & cenſum ſolent ſuppeditare. Pecunia, a Pecore, ſiue a Pecu, dicta eſt,quia apud antiquos omnis pecuniæ fundamentum fuit pecus. Qui pecoribus abundabãt,ij diui-

Pol 1.c.5.6 & 6.

tes dicebantur; armentis affluentes, & ipſi diuites habebantur: quoniam in pecoribus, & armentis, diuitiæ exiſtebant. Abramus, Lothus, alijque, quos ob diuitias celebrauit antiquitas, & ſacra teſtatur hiſtoria, ouium, armentorumque copia, locupletes extiterunt. Plinius voluit, Pecuniam, a Pecudis ſigno, nomen accepiſſe, eoquod priſcis temporibus æs, dum cudebatur, Pecudis nota ſignabatur. Quam ſententiam apud Plutarchum legimus, in vita Publicolæ. Aſſerit magnus iſte uir, in vetuſtiſſimis nummis, ouis, bouis, ſuiſque figuras impreſſas extitiſſe. A Pecu igitur Pecunia dicta eſt: quo nomine non tantum nummos, verum res omnes ſolidas, immobiles, mobiles, iura ve cenſeri, tradit Hermogenianus l. pecuniæ. Diuitiæ igitur ſunt, & res naturales, & artificiales, quibus Rex debet affluere: vt de Salomone legimus. & ipſe, de ſe loquens, dicebat: *Aedificaui mihi domos, plantaui vineas, feci hortos, & pomeria, & conſeui ea cuncti generis arboribus. extruxi mihi piſcinas ad irrigandum ſiluam lignorum germinantium.* Cum autem diuitem quẽpiam appellamus, ea ratione talem dicimus, quoniam auro abundat, & argento, priſcis autem temporibus pecoribus, & armentis. apud antiquos prior, vt refert Iſidorus, æris, quã auri cognitus fuit vſus. ære quippe priſci terram proſcindebant, ære certamina belli gerebant, eratque in pretio magis, inquit ille, quam aurum, & argentum; quæ propter inutilitatem reiiciebantur. Verum temporum ſucceſſione viluit æs, aurum autem ſummo ceſſit honore. Vnaquæque ætas nouam affert vitam, vnaquæque vita ſuos expoſtulat mores, dixit ille poeta. inualuit aurum, adeoque proprium dilatauit imperium, vt cuncta ſuæ ſubiecerit ditioni:

Auri ſacra fames, quid non mortalia pectora cogis?

Poeta noſter elegantiſſime ſcripſit. Aurum, & argentum in numiſmata formata ſunt; eoque peruenit eius imperium, vt rebus omnibus ſe miſceat, omniumque rerum agendarum ſit inſtrumentum. Ariſtoteles appellauit manum, inſtrumentum inſtrumentorum, ingenioſe: quoniam in quodlibet facillime vertitur. Si malleo clauum figas, in malleum; ſi ſera lignum ſeces, in ſeram; ſi calamo litteras ſcripſeris, in calamum; ſi gladio ferias, in gladium tranſmutatur. Ita aurum, & argentum, ſi equus ematur, in equum: ſi ager, in agrum; ſi lignum, in lignum; ſi lapides pretioſi, in lapides pretioſos; ſi veſtimenta, in veſtimenta mutatur; fitque omnia, quæ ad vſum ſpectant humanum. Eſt Proteus ille a poetis decantatus, qui nouas ſemper induit formas. Docuit hæc nos Ariſtoteles, dicens, Numiſmata eſſe veluti fideiuſſorem futuræ neceſſitatis; quoniam, pretium rerum omnium, quæ nobis ſunt neceſſariæ, continendo, res quoque ipſas, vt alibi diximus, etiam complectitur.

Sanctus

l. 33. c. 3. — *ff. de ver. ſigni.* — *3. Reg.* — *Eccle. c. 1.* — *Lib. 16. Ethy.* — *Teren.* — *Virgi.* — *3. de. ani. t. 38. & 4. de par. an. c. 10* — *5. Ethic.*

Sanctus Thomas ſcripſit, Pecuniæ vſum vitæ humanæ moderari, & hanc ob cauſſam Regna aſſequi rectum, cum ſit veluti regula ac menſura propria. Quid mirũ, obſecro? Viuũt populi commercijs ac cõmutationibus: mutuiſq. officijs vnus alteri auxiliando, manus manum lauat. herus eget ſeruis, ſerui domino; ager colono, colonus agro; æger medico, medicus ægro; vnuſquiſq. indumentis, & calceamentis, propter hæc lanibus, & corijs, nedũ ſutorum, & ſartorũ operis ſumus indigentes. Ratio certe nobis eſt ineunda, qua indumẽtis veſtiamur, medicus curet, pane, & alimentis alatur pauper, ſeruus hero ſeruiat, & indoctus inſcitiam depellat. Humana corpora, mortalis hæc vita noſtra innumera propemodũ requirit auxilia. Vt legibus Naturæ ſancitũ eſt, ætherea corpora quãto magis ſunt perfectiora, tãto paucioribus egent medijs, vt propriã ſeruent vitam. ob id octauã ſphærã quã vnico motu contentã eſſe dixerunt antiqui, ſideribus & figuris mirifice, veluti cælatura quadã inenarrabili, vnde cælũ nomẽ ſortitũ eſt, vt Varro doctiſſimus voluit, liberaliſſime natura honeſtauit. Lunæ vero, Mercurij, ac Veneris, Martis, Saturni, & Solis cęlo, plures fabrefecit orbes, pluresq. tribuit motus, ordine immutato eadẽ rerũ productrix. ita ea quæ cæli ambitu continẽtur, perfectione excellẽtia, pluribus egẽt adiumẽtis, vt propriæ cõſulãt incolumitati, pluribus ve medijs, vt exiſtant, atque ſeruentur. Animantium formæ id neç obſcure teſtantur. Anima noſtra, quæ omniũ eſt perfectiſſima, intelligit, ratiocinatur, memoratur, videt, audit, olfacit, guſtat, vegetat. Pluribus eget inſtrumentis, vt viuat. Vermes, quorũ eſt imperfecta anima, paucioribus indigent organis, pro illorum agenda vita, incolumitateq. ſeruanda. Ad hæc, incidatur pars hominis, bouis, leonis, equi, animaliũq. perfectorum; illico pars, huiuſmodi vita deſtituta, perit. Non ſic pars lacertæ, alteriuſue beſtiolæ, huic perſimilis, quæ paſſim a philoſophis animal anuloſum dicitur: viuit ſaltem aliquo temporis ſpatio. pũgatur acu, ſentit, nocuumq. ſaltu nititur euitare, atque ſe ipſam a moleſtia liberare. Signũ euidentiſſimum, tum ſenſum, tum appetitum, tum phantaſticã virtutem ibi reperiri. Plantarum vero partes diutiſſime viuunt, ſi humi fodiantur, vitam ſeruãt integrã, quarum animæ quoniam imperfectiores ſunt ceteris, ideo paucioribus contentæ ſunt medijs, vt propriæ conſulant ſaluti, ac vitam viuant. Homo igitur, perfectiſſimũ omniũ animal, innumera fere, vt dixi, requirit adiumenta. vt non tantũ vitam plantarũ, & brutorũ, verũ hominis, viuat: vt, depulſis dãnabilis ignorantiæ tenebris, intellectũ luce ſcientiarũ illuminet, artes mechanicas, & liberales, ac ſellularias, addiſcat. Hęc autem cum ita ſint, qui fieri poteſt, vt ſibi cõſulat; neceſſaria adſint; nullum pręſtante auxilium auro? vt labor, opera, & opus alia re compenſetur, diuerſa ab auro, difficile eſt videre, ſi

De Re. prin. 2. Cap. 13.

lites velimus adimere. Propinat medicus pharmaca, ex Oriente, vel Americis aſportata: at, niſi aurũ id nobis ſuppeditaret, impoſſibile eſſet, vel ſaltẽ nimis arduũ, vt auxiliũ huiuſmodi nobis præſto eſſet. Doceat præceptor bonas artes, ſudet, & algeat, mercedis gratia: quæ nã iſta erit? frumentum, vinũ, pannus? hæc autem quomodo noſtra erunt? qua ratione hæc prius erant noſtro vſui accommodata, erãtq. in noſtra poteſtate? Singula mente reuoluamus, & niſi, pertinacia adducti, obſtinate veritati aduerſari velimus, fatebimur, auri argẽ-

5. Ethic. ti, numiſmatumue vſum eſſe perquam neceſſarium. Ariſtoteles dicebat & ipſe, nummorum vſum eſſe adinuentum, vt a commercijs lites abeſſent, & pecunia commutationum eſſet metrum, ac menſura. Non negarim, varia eſſe commutationum genera, multaq. negotia

Pri: Politi. abſolui commutatione, vt dicebat idem Ariſtoteles, de Politicis diſſerens. at, quænam ſit hac accommodatior, & abſolutior, quæ minus affligetur incommodis, nullam certe poſſumus adinuenire. Lycurgus leges tulit, quibus numiſmata inhibebat. verum, vt nimis duræ, vtq. intolerabiles, a ſapientibus, & præcipue ab Ariſtotele, fuerunt reiectæ. Conſiderarunt viri iſti prudentes, ſi ſola commutatione rerum negotia deberent abſolui, aut litium imminenti turba nũquam perficienda, cum vnuſquiſq. rem propriam pluris faciat, quam par ſit, alienam vero contemnat:

Omnis emptor malus, ſcripſit Salomon.

Largius æquo

Horat. *Laudat venales qui vult extrudere merces*, dixit poeta Calaber: aut ſumma incommoditate, & pene inſuperabili difficultate abſoluenda fore. Quem vſum commutationum vti neglexit priſca ætas, vbi au-

Cap. 23. rum non intercederet, argentum ve, ac pecunia; ita numiſmatum conſuetudinem eſt amplexa. Legimus in ſacra Geneſi, Abrahã Chaldæorum gloriam, agrum emiſſe auro. Roganti magno patri iſti Ephron filium Seor, vt venderet ſpeluncam duplicem, quam poſſidebat, in extrema ſui agri parte, vt magnam Saram ſepeliret, in vxoris defunctæ honorem. *Quæſo, vt audias me, dabo pecuniam pro agro, ſuſcipe eam, & ſic ſepeliam mortuum meum in eo.* Reſpondit ille: *Domine mi, audi me, terra, quam poſtulas, quadringentos ſiclos argenti valet. iſtud eſt pretium inter te, & me: ſed quantum eſt hoc: ſepeli mortuũ tuũ.* Pretio autem cognito, ſacra nos docet hiſtoria, pecuniam hanc poſtulatam in pretium agri, a Patre Abramo Ephron fuiſſe ſolutam. Verba ſunt recenſenda: *Quod cum audiſſet Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron poſtulauerat audientibus filijs Eth, quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ.* Vſus itaq. antiquiſſimus eſt numiſmatum, & tamquam vitæ neceſſarius a priſcis temporibus ſemper approbatus. Dignum certe, & laudabile repertum, tũ Regibus,

tum

tum populis,ſi honorem,ſi vtilitatem aſpiciamus,accommodatum. Imprimitur imago principis in auro, argento, ac ære; nummi autem frequenter manibus tractantur hominum: memoria Principis regnantis recens ſemper tali vſu ſeruatur. Signis quibuſdam,& figuris,veluti litteris hieroglyphicis, figuratur metallum: ijs perpetua geſtorum apud populos memoria viget,quæ a Principibus facta fuerunt, cum litteræ illæ præclara geſta nobis indicent, & illorum ſint apertiſſimæ imagines. In illis, ſine hiſtoriarum lectione, quis nam priſcis temporibus regnarit, optime intelligimus, & quæ geſta fuerint, typo quodam inſpicimus. Poſteritas itaque docta, inde ſummã haurit commoditatem, vti Princeps gloriam,& honorem. Aſſequitur quidem honorem Princeps, quoniam, ſicut nummus regula eſt humanarum actionum,ita Princeps, cuius imaginem in nummo cernimus,eſt moderamen, ac norma populorum. Has crediderim ob cauſſas nummos dici Monetas. nomina enim ſunt rerum, animiq.notionum, ſigna, ac figuræ. quare, ſi proprie ſunt impoſita, talia nomina debent eſſe, quales res exiſtunt, quarum ipſa nomina,ſunt imagines.Ne quis mihi Peripateticus obijciat, nomina eſſe ad placitum; ſiquidem (omiſſa illa diſputatione, an proprietas nominum a rebus ſit accepta, vt ex monumentis Hebræorum, & idiomate colligi poſſe videtur: quod etiam Platoni in Cratylo non diſplicuit) ſi nomina ſunt ad placitum, rectitudo tamen illorum a rebus deſumitur. Monetæ igitur dicuntur, quia nos monent Principem regnantem, pretiumque.quod pretium regula eſt, ac metrum rerum venalium, vti Princeps menſura,ac norma populi, & actionum; vt infra, Dei gratia,ſumus late dicturi. Ad hæc,monent mentem,vt fraus ſit procul a negotijs, & commutationibus,quæ,auro argento,pecunia,intercedente,ab hominibus tranſiguntur. Qui nouit numiſmatis pretium, nouit etiam, quantum valeat res venalis, & quo modo ſine dolo commutandum ſit,ſiue vendat, ſiue emat: ni forte in ianua errare voluerit. Qua in re non poſſum non ſummopere affirmare, acerbiſſimis pœnis illos eſſe afficiendos,qui adulterinum cudunt argentum,& aurum. Nam præter quam quod lædatur Principis maieſtas, effigies enim,vt diximus,Principis, in metallis impreſſa,oſtẽdit,nummum illum menſuram eſſe commutationum,vt Princeps eſt metrum actionum populi, & ideo, cum hoc ſigno decipiuntur homines,ſub Principis fide quodam modo deceptos fuiſſe, dicere poſſumus: populi quinetiam detrimentum patiuntur. Adhæc, ius eſt Principis,æs cudere. Porro,qui ſibi hoc ius vſurpat, iura Principum violaſſe is cenſebitur, aurum & argentum cudendo. Cauſſis his nũc expoſitis, nummorum vſus eſt in Principis honorem, & in populorum commodum. Ceterum, quoniam haud eſt vnius labij lingua;

nec vnus eſt totius Orbis Princeps, omnibus populis pręfectus, qui eos regat, ſi extranea inhibentur numiſmata a Principe,ſaluti populorum conſulitur. etenim cum ab ignorantia pretij numiſmatis, fraus,deceptio, & lis poſſit oriri facillime, proprij vero Principis nummi cognoſcantur,&,quid valeant, optime omnibus ſit notum alieni vero, ignotum, ac obſcurum; iure quidem, vt lites, diſſenſioneſque auferantur, alieni, ſiue extranei prohibentur nummi. Ad hæc, vbi diuerſitas eſt numiſmatum, non mediocre fit damnum in commutationibus illis,quæ vulgo Cambia appellantur. Mos eſt, & commune fere apud omnes viget inſtitutum, ſub proprio Principe vt vnius pretij ſint numiſmata, alterius autem, ſub alio. hinc iactura in ſolutionibus, hinc alteratio pretij numiſmatum. Qua in re, illud ſilentio non eſt prætereundum, pretij immutationem eſſe ponderis alterationem. pretium namque à pondere oritur. Scutatus aureus, apud antiquos erat drachma. hunc, communi nomine, Ducatum dicimus, ex auro puriſſimo conflatum, ponderis trium denariorum. drachma autem octaua pars vnciæ. Atqui, quoniã ſemper, ac etiam Romanorum tempore, argẽtum inferius extitit in decupla proportione, hinc factum eſt,vt numiſma aureũ, quod Ducatum appellauimus,ſit pretij,atque,vt dicitur,valoris,decẽ numiſmatum argenti,quæ vulgari lingua Iulios Papales dicere conſueuimus. Diſtat autem nummus aureus Romanus,a Ducato,ac valde differt.licet enim ex eadem materia conſtarent,ex auro ſcilicet puriſſimo, quod appellatur aurum viginti quattuor carattorum, nihilo minus,vti Ducatum erat vnciæ octaua pars, libræ autem nonageſima ſexta, ita nummus aureus erat vnciæ pars quarta, libræ autem quadrageſima octaua. Hæc dicta ſint, vt manifeſtum fiat, a pondere numiſmatis,prouenire ptetium eiuſdem:cumque immutatur pretium, pondus immutari. Ius eſt Principis, metalla condere:at, pretium immutare,in populorum damnum,ac detrimentum,ei nõ permittitur. Id Salomon voluit illis verbis: *Pondus,& pondus;ſtatera doloſa, vtrunque abominatio eſt apud Deum*. Hoc eſt, quod tamquam

Pro. 20. probrum Aragoniæ Regi Summus Pontifex Innocentius obiecit;atque cũ illo grauiter egit,tamquam de re iniuſta. Immutauerat Rex iſte pretium numiſmatum,cum populorum iactura,huius rei a Summo Pontifice reprehenſus fuit,& filium eiuſdem,qui iuramento deuictus erat ad obſeruanda, quæ a patre in hac materia de re æraria illi fuerant impoſita, abſoluit; diſtricte imponendo, vt priſtino pretio numiſmata reſtituerentur. Hanc quoque doctrinam amplexus

De Reg. Prin. Sanctus Thomas,immutationem illam,damnoſam,& illicitam reiecit. Atqui,quoniam non tantum numiſma eſt menſura commutationum,verum & tributorum, ac cenſuum, quæ Principibus a populis reddun-

redduntur, operæ pretium, ni fallor, erit, ſi nunc de Cenſibus, & Tributis inſtituetur ſermo.

Diuiſio Cenſuum, ac tributum in ſuas ſpecies. vnde ve dicatur Cenſus.

Caput III.

IN duas diuiſimus ſpecies diuitiarum genus; in naturales, & artificiales. atque, his, & illis, neceſſario Principem debere abundare, demonſtrauimus: Hoc ſacra narrat hiſtoria: vbi, cum Salomonis diuitiarum mentionem facit, vtrique illum affluentem fuiſſe, aſſeuerat. At, quoniam, quæ artificiales ſunt, non tantum a naturalibus prodeunt, verum mercibus, negotiationibus, laboribuſque comparantur; mercatura autem, nauigationes, ac huiuſmodi negotiationes, nulla ratione poſſunt Regiæ maieſtati conuenire; alia ſane eſt ineunda ratio, qua Princeps poſſit auri copia ditari. Talis erit Cenſus, & Tributum, quibus Princeps theſaurum aggregare poterit, & diuitijs affluere. Ceterum, quoniam auri deſideriũ, cũ animos inuadit, illorũque fit dominus, iudicia cæca reddit: hinc errores facillime poſſunt oriri, tũ in imponẽdo tũ in exigendo, tũ in ſoluendo tributo. Graue reputabit populus, & ægre feret, tributum ſoluere: e contra, Princeps, vt ſibi conſulat, leue nimis exiſtimabit onus, tributum impoſitum, iureque proprio noua imponet, & exiget. Videndum eſt igitur, num populi, aliquo iure compulſi, teneantur tributa ſoluere; an ve iure Principatus poſſit Princeps nouos cenſus, noua tributa, nouaque onera, populis imponere. Nouiſſime, quis nam ſit modus, quæ ue menſura in illis imponendis. Quæ commode magis, & diligentius à me fieri poſſe exiſtimo, ſi primo nonnulla dicam de vocibus iſtis, Tributo, Cenſu, ac ſimilibus, ſpecieſq. cenſuum aſſignabo. Age, rem aggredior. Silueſter in Summa, varias horum onerum ſpecies adnumerat, variaſque adducit voces, onera huiuſmodi ſignificantes: quæ, vt nullam ſapiunt elegantiam, ita duritiem, ex illis quædam, redolent. Hæc ſunt, Penſio, Cenſus, Tributum, Pedagium, Guidagium, Vectigal, Talea, Collecta, Præſtantia, Angaria, Perangaria, Gabella, Munus. Singula ab eodem ita declarantur. Penſus, eſt nomen late diffuſum, a verbo Pendo, quod ſignificat pondero. Penſus ergo eſt ſolutio

3. Reg. c. 10.

In dic. gabella.

ſolutio, ſeu æqualitas, quam pondus oſtendit, ſcilicet pretij, ad vſum rei, pro qua ſoluitur: hinc Penſio, pretium ſcilicet rei locabilis. Cenſus, eſt penſio quædam, quæ de prouentibus ſoluitur. 1. q.3.c.quæſitum. ſiue eſt id, quod ſoluitur annuatim in quantitate, vel ſumma. ff.de conſ.l.ætatem, & hic alter publicus, alter priuauatus. Tributum, eſt cenſus qui præſtatur de proprio ſolo Principi, vel communitati: ita dictum, quia militibus publicæ expeditioni vacantibus, tribuebatur. vnde, & Stipendium dicitur. ff. de verb. ſign.l.ager.& ff.de pub. vectig.l.1.§.hic titulus ſuper verbo, impendant, in gl. Vnde Tributum, in publicum, & priuatum non diuiditur igitur tributum, & publica Penſio, ac publicus Cenſus, idem ſunt. vt C.cau. pri. contra l.1.& C.ſi propter pen. pu. l.ſi accipitur. Vectigal autem, dicitur à Vehendo, ſecundum aliquos. in hoc differt à Tributo, quoniam vehitur ad Principem, tributum autem datur exactoribus eius. ſed melius dicitur Vectigal, ſecundum communem interpretationem, quod pro rebus vectis ſoluitur vnde eſt, ſecundum Archidiaconum, idem, quod Guidagium: hoc autem datur pro ducatu in terrã alicuius, vt ſecurius viatores eant.& hoc etiã, ſecũdum eundem Archidiaconum, dicitur Teloneum, a Telos Græce, quod Latine eſt Vectigal, & alicubi Gabella, vel Duana. Hæc omnia ſunt idem, pretium videlicet exactum, pro rebus in aliqua terra mutatis, dum ſcilicet illuc deferuntur, aut inde auferuntur, aut ibi auferuntur. Datium autem idem ſignificat cum iſtis. Pedagium vero, pretium illud, quod ſoluitur a tranſeuntibus, in locis conſtitutis a Principe, & ſoluitur pro fabrica, aut conſeruatione pontium, aut nauium, ad transferendum, vel etiam aptatione viarum. Talea vero, Præſtantia, Impoſitio, & Collecta, ſunt idem; & eſt ſumma, quam Princeps, vel Communitas exigit a ſubditis, proportionaliter ad totam ſubſtantiam cuiuſque. Angaria, & Perangaria, iniuſta compulſio, ſiue coactio: & ſecundum aliquos, Angaria, eſt onus mere perſonale, quod poteſt labore corporali expleri, ſine rerum detrimento. vt l.munerum la 2. ff. de mun. & hon. Perangaria vero, in quibuſcumq. conſiſtit, vt vult gl. in l.neminem, C.de Sacr. Sant.Eccle. quia dictio Per, auget. vt in l.vrbana §. pernoctare, ff. de verb. ſigni. Et ſic onus miſtum, vt Angaria eſt merum. Secundum alios Angaria, eſt obſequium perſonale, Perangaria, perſonale, & reale, ideſt proprijs ſumptibus præſtitum. & iſta eſt opinio Rai. Gof. Hoſt. & Abb. Munus autem, diuerſimode ſumitur. aliquando pro dono, quod quidem eſt illud, quod ſponte præſtamus, ex nulla neceſſitate, vel iuris officio, vt ff. de verb. ſigni. l.munus. Differt tamen, quia munus eſt donum cum cauſſa, donum vero ſe habet in in plus, quia aliquando eſt ſine cauſſa vt patet in leg. inter donum, ff. de

ff. de ver. ſignifi. Aliquando ſumitur pro officio,& honore. aliquando pro eo, quod neceſſario ſubimus, lege,vel imperio. ff. de verborum ſign.l.munus. & ab hoc dicitur Immunitas. Munus autem, tertia acceptione ſumptum,triplex eſt, ſcilicet, mere perſonale, quia ſcilicet expletur labore corporali, ſine ſumptu,vel rerum detrimento.ff.de mu. & hon.l.finali.& mere patrimoniale, ſeu reale, quando nimirum cum ſumptu proprio fit ab alijs, ita nempe, quod onus eſt rerum,tantum: & miſtum quando ſcilicet noſtro labore,& ſumptu, expletur. Ex omnibus his colligit Silueſter, omnia iſta in hoc conuenire, quod ſunt publicæ exactiones, ſed in hoc differre,quod Penſio publica, Cenſus publicus, & Tributum,ſunt idem,& ſunt pretiũ, quod Principi,vel Communitati ſoluitur de proprio ſolo: ſed Vectigal,Teloneum, Guidagium,Gabella,Duana,ac Datium, ſunt idem, & ſunt pretium quod ſoluitur pro rebus mutatis;Pedagium pro habilitate viarum; Talea, Præſtantia, Collecta, & Impoſitio ſunt idẽ, & ſunt pretium, vel ſumma,quæ ſoluitur a ſingulis ſubditis proportionaliter, ad totam ſubſtantiam. Angaria, & Perangaria, ſunt iniuſtæ exactiones. Munus, tertio modo ſumptum, aliquid commune ad omnia; & ſi ſit iniuſtum, eſt proprium genus Angariæ, & Perangariæ, eandemq. patitur diuiſionem, quam & illæ admittunt; hoc excepto, quod inter Angariam,& Perangariam non datur medium,miſtum ſaltem voce. Hæc omnia docet Silueſter adducto loco. Quæ fere omnia mutuo accepit ab Angelo,in Summa,in verbis Cenſus, Pedagium,Talea,Vectigal. Ex his nonnulla ſunt,quæ, vt arbitror, cum veritate minus conueniunt. nonnulla vero, quæ maiorem deſiderarent declarationem, & additamentum; nonnulla etiam, quæ non ſatis caute ſcriptis ſunt conſignata. Taleam, Præſtantiam, Impoſitionem Collectamq.idem facit doctor iſte,aſſerens,eſſe pretium, quod ſoluitur Principi, proportione ſubſtantiæ. Qua aſſertione, Impoſitionem membrum diſtinctum, ſpeciemue ſolutionis differentem facit a Tributo, Angaria, Munere, Perangaria. Quod quo modo poſſit conuenire cum veritate, non ſatis intelligo, ſiquidem genus eſt potius, & quid commune Impoſitio, ſui ambitu Angariam, Perangariam, Munus, Pedagium, ea fere omnia complectens munera quæ vel a lege,vel a Principe imponuntur. Angaria, Perangaria imponuntur: Pedagia quoque Datia, ac Collectæ imponuntur: attamen, ſecundum hunc Doctorem,Impoſitio eſt ſpecies ſolutionis, ab illis, quas nunc adduximus,ſatis differens. Ad hæc, ſi Collecta, Taleaue, eſt ſolutio pro rei ſubſtantia, qui fieri poteſt,vt non ſit quid commune ad Tributum, & Cenſum? Etenim Cenſus, ſecundum Silueſtrũ, eſt penſio, quæ ſoluitur de prouentibus, Tributum vero pro ſolo. At, nomine ſubſtantiæ, res mobiles, & immobiles ſignificari, fre-

quens

quens ſcripturarum loquendi vſus indubiam fidem facit. Ad hæc ait: Munus, tertia ſignificatione ſumptum, ſi iuſtum, eſt Munus; ſi iniuſtum, eſt proprium genus Angariæ, & Perangariæ: quæ condicio omnibus alijs, nedum muneri, optime congruit. Tributa, Cenſus, ac cetera, quæ ſupra diximus, ſi iuſta ſint, propriam retinēt ſpeciem, ac nomen; verum, iniuſta ſi exiſtant, Angariæ, ac Perangariæ naturam induunt, nomenq. harum accipiunt, cum ſint coactæ impoſitiones, & violentæ coactiones. Præterea vult, Datium, Gabellā (eius vtor verbis) Vectigal, & Guidagium idem eſſe, pretiaq. exiſtere, quæ pro rebus aliquo aſportatis, vel aliunde delatis ſoluuntur: vſus tamen loquendi communis oppoſitum nos docet. Datium ſoluitur pro carnibus, vino, ac edulijs, quæ nec aliunde ſunt translata, nec aliquo feruntur. Guidagium vero, vt etiam ipſe fatetur, non rebus, quæ feruntur, & transferuntur, ſed eſt impoſitio iter habentibus accommodata. Quæ etiam de Cēſu ſcribit, trunca ſunt, ac deminuta. Communiter, Sumptus poteſt eſſe idem, quod Tributum; proprie, rebus quas poſſidemus; adhuc proprie magis, hominibus ipſis: vt infra, Deo fauente, ſumus dicturi. Hæc dicta volui, non vt tanto viro contradicerem, imperitorum more, opponendo, vt doctior habear; verum, vt cum illo conueniam, veritatem ſequendo, dum ab illo diſſentio in modo veritatem inquirendi.

Propria ſententia explicatur: veraq. diuiſio affertur. Caput IV.

Reiecta Silueſtri doctrina, nunc, quid ego exiſtimarim, aperio. Dicerem ego, Cenſum ſeu Impoſitionem, aut iuſtam eſſe, aut iniuſtam. ſi iniuſta, eſt coactio, atq. compulſio indebita, a Principe facta populo, pro pecuniæ ſolutione. at, ſi iuſta fuerit ſolutio, vel erit reddituum ratione, vel capitis, ſeu perſonæ, vel ſoli, vel mercium, vel viarum, ſeu itinerum. pretium, quod ſoluitur pro facultatibus, quas poſſidemus, appellatur Cenſus. nomen a Cenſendo deductum: ſiquidem facultates debent recenſeri, &, ſecundum earum rationem, inde ſolui Tributum. Latum eſt hoc nomen ita ſumptum, & cuilibet, quod pro facultatibus a populis Principi ſoluitur, accommodatum. At, ſi preſſius magis accipiatur, nil aliud ſignificat, niſi penſionem illam, quam viritim Regi populi ſoluunt, ſeu Principi. Cenſus iſte iugum

ſubie-

ſubiectionis populorum teſtimonium eſt manifeſtum. Hanc ob cauſſam a Romanis Imperatoribus edictum fuiſſe legimus, vt orbis deſcriberetur. A Beato Luca in Euangelio ſcriptum legimus, exijſſe Edictum a Cęſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Hic ſemper inuiſus fuit Hebræis, eiſq. valde diſplicuit. vt enim tributa ſoluere pro Regis defenſione, & Reipublicæ tutela, numquam renuerũt; ita Tributum iſtud, quod ſubiectionis iugum, vt nunc eſt dictum, denotabat, ægre ferebant ſoluere Principi. videbatur ipſis, hac ſolutione, taliq. actione, derogare libertati illi, in qua, tamquam Abrahami filij, profitebantur, ſe natos eſſe. Vnde illud etiam: *Nos filij Abrahæ ſumus, & nemini ſeruiuimus.* De hoc Tributo loquebantur Hebræi, Chriſtum interrogantes, an liceret, Cæſari cenſum dare. Tributum, a verbo Tribuere deductum eſt, eo quod quiſq. ſtipem tribuat. verum, quoniam priſcis diebus hac ſtipum contributio ad alendos milites ſolum modo fiebat, inde nomen Stipendij originem traxit. Hæc omnia docemur nos a l. ager, ff. de ver. ſign. Hoc ſoluitur de terræ fructibus in Regis, Principis ve ſubſidium. Differt Tributũ a Cenſu, ſecunda ſignificatione ſumptum: quoniam Cenſus ſoluitur ratione peculiari hominum; at Tributum, ratione redituum. Cenſus, denotandæ ſubiectionis ſtudio; Tributum, in Regis, Principis, ac Reip. ſubſidium. Vectigal vero, ac Pedagium, ſoluuntur ob merces, quæ feruntur. Vectigal, a Vehendo dictum, vt pontes, muri, alia ve publica opera, his ſimilia, reſtaurentur: Pedagium vero, vt tute vnus quiſque poſſit incedere, ne a larronibus, ac huiuſmodi prauis hominibus, obſideatur, ac interimatur, aut ſaltem pecunia, alijſq. ſubſidijs priuetur. Hæc, quo ad primum. Nunc vero dicendum eſt, an iure Principatus poſſit Princeps Vectigalia imponere, quis ve ſit modus. De Collectis autem, rebus Eccleſiæ imponendis, & de Decimis, fuſius alibi Dei gratia.

De Cenſibus, & Vectigalibus imponendis.

Caput V.

RIchardus de Media villa, vir in ſacra Theologia clarus, ſecundo Sententiarum, de Vectigalibus loquens, aiebat, ab Imperatoribus, vel Regibus, qui ſuperiorem non recognoſcunt, abijſque, qui iura Imperij præſcripſerunt, eadem imponi poſſe. Idque nec iniuſ- *Diſt. 44. q. 3. ar. 1.*

te.Si enim Diuinam ſpectemus legem, ſi Naturæ, & ſi humanam
conſtitutionem aſpiciamus, id Principibus conuenire, dicemus, de
quibus nunc adductus Doctor loquitur. horum eſt ius, Vectigalia im-
ponere, illaq. a populis exigere. Teſtimonia adducamus, quæ huius
Cap.13. rei fidem indubiam faciant. Beatus Paulus, ad Romanos ſcribēs hæc
de tributis reddendis loquebatur: *Ideo neceſſitati ſubditi eſtote, non
ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. ideo enim, & tribu-
ta præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt: Reddite ergo omnibus debita; cui
Tributum, Tributum; cui Vectigal, Vectigal.* Verba Sancti Pauli ſunt
ponderanda. Inquit: *Neceſſitati ſubditi eſtote, non ſolum propter iram,
ſed propter conſcientiam, ideo Tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt.*
Monet Romanos Apoſtolus Tributa eſſe ſoluenda propter conſcien-
tiam. Explicans, cur teneantur hac de cauſſa tributa ſoluere, ait il-
los eſſe miniſtros Dei, & ideo tributa illis eſſe reddenda. perinde, ac
ſi dixiſſet; Proprium ſtipendium cui vis iure debetur: ij ſunt mini-
ſtri Dei: iccirco vult Deus, a populis tributa illis eſſe reddenda. Lex
ergo Diuina eſt, a Deo proueniens, ſtipendij huius retributio: ideo
non tantum propter iram, verum & propter conſcientiam, quæ tūc
tuta eſt, cum legi Dei obaudit. Ex ijs verbis duo colliguntur: quo-
rum alterum eſt, Diuina legē populum teneri ad reddenda tributa;
alterum vero, Principi, tamquam miniſtro, ſtipendium deberi. Cum
autem tributum ſit ſtipendium, non tantum lege Diuina, verum &
Naturæ, Regi, ſiue Principi, erit reddendum. ſiquidem lex Naturæ,
(vt infra fuſius explicabitur, Dei Optimi beneficio) eſt ſimulacrum
legis Diuinæ. Huc tendit diſputatio illa eiuſdem Apoſtoli ad Corin-
thios, primis litteris: *Quis militat ſuis ſtipendijs vmquā? quis plantat vi-*
Cap.9 *neam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis
non manducat? Numquid ſecundum hominem hæc dico? an & lex hæc
non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi. Non alligabis os boui tritu-*
Deut.25 *ranti. Numquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos hoc vtique dicit?
Nam propter nos ſcripta ſunt. quoniam debet, in ſpe, qui arat, arare; &
qui triturat, in ſpe fructus percipiendi.* His Apoſtolus Paulus lectorem
inſtruit, vnumquemque proprij miniſterij dignum eſſe præmio. Li-
cet autem Princeps nihil expetere debeat præmij gratia, cum pro-
prium præmium nullum aliud ſit, niſi virtus: (id quod etiam ab alijs
obſeruatum legimus, dicentibus, Principatus, & Virtutis, eundem
eſſe finem, nimirum honorem) at, quoniam eſt Dei miniſter, pro om-
nibus laborans, omnium gerens curam, pro omnibus vigilans, illi
tributa, cenſus, ac vectigalia redduntur: ſic lex diuina iubet, & Natu-
ræ, vt Sancto Paulo præceptore didicimus. His addantur ea, quæ
de Saluatore noſtro IESV ſcripta reperimus, in Sancti Matthæi E-
Cap.17. uangelio. Narrat Sacer Euangeliſta (locum hunc ſupra adduximus

etiam)

etiam) ingrediente Domino Capharnaum, acceſſiſſe didrachmatis acceptores, Petrumq. interrogaſſe, dicentes, *Magiſter veſter non ſoluit didrachma?* Cum vero Dominus intraſſet domum, hunc præueniens, dixit: *Simon, quid tibi videtur? Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel cenſum? a filijs ſuis, an ab alienis?* Cui reſpondens Petrus, *Ab alienis,* ſubiunxit, *Ergo filij ſunt liberi Ne ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore eius, inuenies ſtaterem, illum ſumens, da eis pro me, & te.* Liber erat Dominus a tributo, immunis a Cenſu, nihilominus ſoluit dirachma, ne exactores ſcandalum patiantur. Si ſcandalum erat apud eos non ſoluere tributum, ſane iuſta lege ſoluebatur, ac præcipue Diuina. ſcandalum enim eſt offendiculum in via Dei. Cum quis tranſgreditur legem, alijs eſt ſcandalo. Id etiam legi Naturæ conſonum eſt, vt retro diximus: cum ſit Naturæ lex imago quædam Diuinæ, Natura docet, bruta Regem honorare, illiq. ſuccurrere. Quid de apibus ſcripſerit Ariſtoteles, de animalium hiſtoria libro nono, uidere non pigeat. *Reges numquam prodeunt foras vel vt paſcantur, vel alia cauſſa, niſi vniuerſa cum plebe, &, ſi, dum pergunt, Rex ipſe forte aberrârit, omnes inquirere, odoratuq. ſagaciſſimo perſequi, donec inueniant, accepimus. geſtari etiam eum a plebe, cum volare non poteſt, & ſi perierit, omnes diſcedere: vel, ſi aliquandiu manſerint, fauos quidem cōficere, ſed mel nullum, nec fieri poſſe, quin breui omnes diſcedant.* Cap. 11. Belliolas iſtas a natura doctas Regem honorare, amare, ac ei ſuccurrere, ſcribit magnus iſte Philoſophus. Quod ſi in brutis hæc ſunt Naturæ lege, hac eadem in nobis erit, vt Principi tributa, cenſuſq. reddamus, vt ei ſuccurratur pecunia noſtra. Lege quinetiam humana ſancitum fuit, neminem poſſe leges condere, vel alijs concedere, vt vectigalia aut exigant, aut imponant, niſi ſolus Princeps, aut is, qui iura Imperij præſcripſit. C. de vac. l. vnica. & ff. de iur. im. l. ſemper ſ. fi. Regum fuit hoc antiquum munus. de Salomone hæc ſcripta exiſtūt. *Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos ſingulos, ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum auri. excepto eo, quod afferebant viri, qui ſuper vectigalia erant, & negotiatores.* 3. Reg. c. 10. Non tantum vectigalium, verum & aliarum penſionum, illis verbis meminit ſacer Scriptor. Primo ait, aurum afferri, tributa intelligens: cenſum affirmare non audeo. hoc pro conſtanti habeo, a Patre Dauide ſemel populū fuiſſe numeratum: hancq. ob cauſſam grauiſſimas Regem hunc dediſſe pœnas. 2. Reg. c. 24 vt dictum fuit a Salomone populum exactionibus fuiſſe grauatum, tertio libro Regum, ſcriptis eſt commendatum. Cap. 12. Populi Iſraelitici maiores natu his verbis Regem Ieroboam, Salomonis filium, ſunt allocuti: *Pater tuus duriſſimū iugum impoſuit nobis. tu itaq. nunc imminue paululum de imperio patris tui duriſſimo, & de iugo gra-*

uiſſimo, quod impoſuit nobis, & ſeruiemus tibi. Iam vero, vt, receptui canendo, tandē ad ſcopum redeamus, dicamus, Tributa iure a Principibus exigi, idq. teſtimonijs ſacris comprobari. Lege Diuina, vt dictum eſt, ius hoc illorum fuit. Dicebat Apoſtolus, ea ratione tributa eſſe reddenda, quoniam Dei ſunt miniſtri: illis verbis nos monēs, ab eius numine prouenire legem, tributa ſoluendi, ad ſumptus Principum. Quem locum Sanctus Thomas perpendens, aiebat, Principes nihil debere exoptare præmij gratia, ſed ſolum ad ſumptus neceſſarios, ad ſtatuſq. defenſionem. quoniam, vt diximus, ex Ariſtole, præmium Principis eſt honor. Hinc fit, vt nullus ſtudioſus, ac vere Princeps animum ſuum conuertat ad regendos populos, alio cōſilio, alia ve ratione; niſi, quia præſtans, & excellens, in illis ab omnibus habetur. qui vero honore non eſt contentus, lineam tranſiliendo, & ab hoc ad vtilitatem, & aurum ſe transfert, tyrannus ſæpe efficitur. Vectigalia quoque, & Pedagia (omitto ſilentio cenſus illo, qui ſoluuntur a populis viritim pro perſona, cum tales ad ſuperbiam potius, & ad auaritiam attineāt, & ea de cauſa Dauid a Deo fuerit percuſſus) quoniam iuſtas habent cauſſas, iuſtoſq. fines, nimirum Vectigalia, vt muri, pontes, aliaue huiuſmodi publica opera, reſtaurentur; Pedagia vero pro viarum cuſtodia ſoluuntur, iuſte exiguntur, iuſteq. ſoluuntur a populis. Hæc dicta volunt nonnulli verbis illis, iuſte imponi, & exigi, ſi imponantur a poteſtatem habente, iuſtaq. finali cauſſa, ſcilicet ad reſtauranda, quæ diximus, opera, circa materiam, laicis nempe perſonis, vltimo proportione, ſiue quantū requirit neceſſitas. Felix impoſitio, nec vnquam ſatis commendata laudibus, qua vectigalia, pedagiaue Principibus ſoluuntur, vt viatores a prædonum latronumq. incurſionibus liberæ exiſtant. Peſtis hęc minima, odibilis; at, vbi increbruerit, execranda eſt, nec cum alia comparanda. Turbatur Reip. pax, pereunt negotia, ciuitates deſtituuntur neceſſarijs auxilijs, agri colonis, populi pecunia, facultatibuſq. priuantur, virtus exulat, praui mores adoleſcunt, malitia, & ſcelera augentur, culmenq. recipiunt: mulieres pudicitiam, iuuenes honeſtatem, filij parentes, parentes filios amittunt. Hæc mala, damnaq. prouincia noſtra Romandiolæ experta eſt, quæ, diu vexata his incommodis, has calamitates perpeſſa, ceteris exemplum eſt facta. turmæ talium hominum illam inuaſerant, qui, neglecta iuſtitia, ſpreta Principis auctoritate, quæ tanto magis eſt timenda, quāto Summi eſt Pontificis, Chriſti Vicarij, legibus ac uiribus fractis, omnia ſuſdeq. ferebant, cuncta Harpyarum more deturpabant, ac polluebant. hinc clades homicidia, vexationes lacrymabiles, iurgia, blaſphemiæ, Deiq. Maximi, & Optimi læſio. Domus agrarias inuadebant, colonoſq. indumentis, alimentis, pecunia priuabant.

5. Ethi. c. 6.

mulie-

mulieribus vim inferebant, virgines deflorabant, pecora macta bant, boues inde alio, vbi pecunia, vel redimerentur, vel alijs venderentur, ducebant: homines capiebant, quorum nonnullos occidebant innoxios, nonnullos, impoſita mulcta pecuniaria, retinebant captiuos; qui, ſi non redimerentur, miſerime vexati, & cruciatibus acerbiſſimis, & aſperimis, contorti, in partes diſcerpti, ijs a quibus erant redimendi, mittebantur: immanitas barbara, barbaties immaniſſima, quæ nam erit altera cum hac comparanda? Atreus, Pelopis, & Hippodamiæ filius, damnatur, qui fratri Thyeſti filium proprium epulandum appoſuit. immaniores erant iſti, membra filiorum patribus offerentes, ac mittentes cruda. ille ſiquidem ob ſtuprum commiſſum a fratre, ob thorum violatum, vlciſcendæ iniuriæ cauſſa, immanitatem illam exercuit. ij nulla laceſſiti iniuria, ſed auaritiæ execrabilis, rapinæq. aculeis excitati, ſcelera animo efferato huiuſmodi operabâtur. ille carnes, quæ cum igni calore affatæ eſſent, viſum, & guſtum decipiebant, iſti filiorum membra cruda, ſanguine cruenta, patribus, affinibus, cognatis, conſanguineis, amiciſq. mittebant, quæ nec ſenſum, nec intellectum, cum decipere poſſent, maiorem excitabant dolorem. Damnatur Tantalus, qui proprium filiũ Dijs obtulit comedendum, vt illorum diuinitatem experiretur. Fabula hæc fuit: quæ etiam ſi admittatur, non quidem immanitati, ſed æternitatis potius ſtultæ cupiditati attribuendum erit geſtum illud. etenim filium Dijs comedendum appoſuit, dixit Poeta, vt filium a calamitatibus eximeret, & æternitati conſecraret. verum ij humano ſanguine ebrij, ſanguinis cupidi, innoxios, affines, cognatoſq. trucidabant. lugebant viæ, quis nam tutus? paupertas pauperes, ſenectus veneranda ſenes, pudicitia mulieres, virginitas puellas, & pueros, ordo ſacer Sacerdotes non tuebatur. omnia inordinato appetitu vertebant, cuncta vnico examine, iniuſtitiæ ſcilicet, & impietatis, ponderabant. eo deuenerat illorum temeritas, vt nec murorum cuſtodia. ciues in ciuitatibus defenderet. iacent adhuc agri olim fertiles, nunc ſine cultura, & cultore multis in locis, vulnera ſanata ſunt, at cicatrix adhuc viget. Deo Optimo & Maximo adiuuante, a tantis, totq. calamitatibus, prouidentia, conſilio, promptitudine & prudentia Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Domini, Domini Franciſci Sfortiæ, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis ampliſſimi, liberata fuit hæc Prouincia. Clamabat, & diuinumq. auxilium implorabat olim Iudaicus populus, Pharaonis atroci tyrãnide oppreſſus, miſertus eſt Deus, ſaluti illius proſpexit. Moyſis opera, a tãtis malis eripuit, ex Aegypto eduxit, terramq. omnibus bonis affluentem poſſidendam tradidit. clamabant, plorabant, populi, viduæ, virgines, ſenes, adoleſcentes, laici, Sacerdotes, vnus quiſque

Ouid. 6 Metam.

ſibimet

ſibi metipſi timens. auribus miſerationum ſuarum haſce plorantiũ querimonias audiuit Dominus, a ſæua impuriſſimorum hominum tyrannide hanc prouinciam immunem reddidit, tanti viri huius ſtu dio, ac prouidentia. is, proſapiam ſuam redolens, in arduis prouidus, in magnis, & terribilibus fortis, nec laboribus parcẽs, nec pericula ti mens, ſemper impauidus, ſemper fortis, ſemper ſollers, turmas hominum, quæ adeo creuerant, vt exercitus nomen ſibi vindicarent, debellauit, profligauit, occidit, prouinciam collapſam erexit, ſubditos conſternatos reſtituit. Magni FRANCISCI SFORTIAE nomẽ adeptus es, ampliſſime Cardinalis: æquum erat, vt, ab illo non degenerando, magna aggreſſus, perficeres eadem. Paruum fuit negotiũ, ſi tuam conſidero virtutem; at arduum, difficile, ſi rem ipſam quis mente reuoluet. Ex lauro coronam meruiſti, qui, veluti domitis barbaris, prouinciam hanc Sedi Apoſtolicæ ſeruaſti, gramineam noſtra Prouincia debet tibi, ab obſidione liberata, vnuſquiſq. ciuis quernẽ ſe debere fatetur cum a domino, & ciue ſuo, (donet mihi, hoc benignitas, & amplitudo tua, vt ciuem dixerim, quæ ex Romandiola oriundos habet auos) a periculis, & malis fuerit liberatus. dabit, dabit Deus munera pro nobis, & præmia, qui ſoluendo (ea eſt noſtra imbecillitas) non ſumus. ego, omnium minimus, alios ſequens, vt id cito fiat, aſſidue rogabo. Verum ad vectigalia redeo: cum pauca ſcribere de tanto viro non deceat, ſed ſatius ſit ſacro ſilentio geſta venerari.

An liceat Principi noua vectigalia imponere iure ſuo vtenti.

Caput VI.

VIdere videor anxium in hoc loco quempiam, quærentem, vtrum Princeps, iure ſuo vtens, poſſit noua imponere vectigalia pro cauſſa propria, quæ non ſapere bonum communecredatur, præter conuentiones factas. Quæret forte quiſpiam, præter hæc, num, cum Princeps filiam, aut ſororem nuptui tradet: fratrem, vel filiũ in ditione hominum, vel infidelium, vel inimicorum captiuum exiſtentem, aut ciuitatem redimere cupiens, noua poſſit imponere vectigalia, quæ populus, propter conſcientiam, vt diximus, ſoluere te neatur. Mirari ſolent nonnulli, &, quo modo licite hæc fieri poſſint, non ceſſant inquirere, ac rogare, exiſtimãtes, Principes limites pertranſire,

tranſire,& tunc vi populos compelli.At miratur hominum vulgus, mirantur indocti, expertes iuris Pontificij, ſacræq. Theologiæ neſcij. Priori dubitationi,quæ Brabantiæ Duciſſam vexauit, reſpondit Sanctus Thomas in epiſtola ad eandem, (mulier hæc magna, vt ſibi conſuleret, Doctorem Sanctum conſuluerat in re propoſita) dicens, id optime fieri poſſe,duplici de cauſſa,& euentu:uel,ſi eueniat,quod redditus Principis non ſufficiant ad decentem eius ſtatum, ad regimenq. communis boni; vel, quando noua emergit occaſio, ob quã Principis bona nequeunt ſuppeditare ſumptus. Verba huius Sancti Doctoris hæc ſunt: *Sexto quærebat, an liceat vobis exactiones facere in veſtros ſubditos Chriſtianos. In quo conſiderare debetis, quod Principes terrarum ſunt a Deo inſtituti,non quidem, vt propria lucra quærant, ſed vt communem populi vtilitatem procurent. In reprehenſione enim quorundam Principum dicitur in Ezechiele: Principes eius in medio eius, quaſi lupi rapaces poſiti, ad effundendum ſanguinem, & ad quærendas animas,& auaritiæ lucra ſequenda.Et alibi dicitur per quendam Prophetam: Veh paſtoribus, qui paſcebant ſemet ipſos. Nonne greges paſcuntur a paſtoribus? lac comedebatis, & lanis cooperiebamini, quod craſſum erat, occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis:Vnde conſtituti sũt redditus terrarum Principibus, vt, ex illis viuentes, a ſpoliatione ſubditorum abſtineant. Vnde in eodem Propheta, Domino mandante, dicitur, quod Principi erit poſſeſsio in Iſrael,& non depopulabuntur vltra Principes populum meum.Contingit tamen aliquando, quod Principes non habent ſufficientes redditus ad cuſtodiam terræ,& ad alia, quæ imminent, rationabiliter Principibus expetenda: & in tali caſu,iuſtum eſt, vt ſubditi exhibeant, vnde poſſit communis vtilitas procurari. Et idem eſt, quod in aliquibus terris ex antiqua conſuetudine domini ſubditis ſuis certas collectas imponunt, quæ ſi non ſunt immoderatæ, abſq. peccato exigi poſſunt:quia, ſecundum Apoſtolum,nullus militat ſtipendijs ſuis.vnde Princeps, qui militat vtilitati communi, poteſt de communibus viuere,& negotia communia procurare,vel per redditus deputatos, vel, ſi huiuſmodi deſinunt, aut ſufficientes non ſunt,per ea, quæ a ſingulis colliguntur.Et ſimilis ratio eſſe videtur, ſi caſus emergat de nouo, in quo oportet plura expendere pro vtilitate communi, vel pro honeſto ſtatu Principis conſeruando, ad quæ non ſufficiunt redditus proprij, vel exactiones conſuetæ. puta, ſi hoſtes terram inuadant, vel aliquis ſimilis caſus emergat. tunc enim præter ſolitas exactiones. poſſent licite terrarum Principes a ſuis ſubditis aliqua exigere,pro vtilitate communi. ſi vero velint exigere vltra id,quod eſt inſtitutum pro ſola libidine habendi, & propter inordinatas, & immoderatas expenſas, hoc eis omnino non licet. Vnde & Ioannes Baptiſta militibus ad ſe venientibus dicit: Neminem concutiatis, nec calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris. ſunt enim quaſi* Cap.22.

ſtipendia

ſtipendia Principum eorum redditus, quibus debent eſſe contenti, & vltra non exigant, niſi ſecundum rationem prædictam, etſi vtilitas eſt communis. Hæc Beatus Thomas. Ex quibus colligitur, præter inſtitutum, & conuentiones, vbi neceſſitas adſit, a Principe noua tributa imponi, & iuſte exigi libere lege Principatus. Colligitur quinetiam, quod, cum Princeps ſit miles, qui publicæ inuigilat vtilitati, & pro illa laborat; non proprijs, ſed populi ſtipendijs viuere debet. vnde, ſi finis eſt publicum commodum, communeque bonum, gratia cuius imponuntur vectigalia, graue populis non debet hoc eſſe, ſi quidem iuſtum eſt, vt miles ſuis viuat ſtipendijs. Quod ſi auri, argentique cupiditate hæc fiant, iniuſte proculdubio imponuntur vectigalia, iniuſte quinetiam exiguntur. Secundæ dubitationi facile eſt reſpondere: nimirum, iuſte Principem poſſe noua imponere vectigalia, cum propriam filiam alicui dat nuptum, vel fratrem captiuum, aut ciuitatem voluerit redimere. Quæ ſententia fuit etiam Richardi Mediauilla, Theologi celeberrimi, 2. Sententiar. Quid mirum obſecro? Si enim iuſte imponuntur, boni communis gratia, bonum autem commune eſt, vt Rex ſit fortior, ac potentior; at validior proculdubio fit ciuitatis, ac fratris redemptione nouaque affinitate, & amicitia, ideo iuſte pro his omnibus vectigalia atque tributa, imponi poterunt. Quare, vt, quæ hactenus ſunt expoſita, epilogo concludantur, dicamus, ſi legem diuinam, ſi populorum quietem, ſi commune bonum aſpiciamus, iuſte a Principibus, proprio vtentibus iure, tributa imponi poſſe. Diuina lex iubet vt Principibus, Dei Optimi, & Maximi miniſtris, a populo ſtipendia ſoluantur, bonum populi commune eſt, vt Princeps fortior exiſtat: at talis fit, aut noua affinitate, ciuitatis, fratriſque redemptione. bonum eſt commune, tranquillitas, otiumque honeſtum, hoc populus conſequitur, inimicos propulſando iuſto bello, ciuitatum munitione, locorumque cuſtodia. Ex ijs omnibus illud euenire exiſtimaui ſemper, vt nulla Reſpublica, nullum Regnum, nullumque inueniatur Imperium, quod tributum neſciat: ſed in omni Principatu ſoluatur. amant natura populi quietem. at quies (vt dicebat, quæ ſupra nunc diximus ſecum conſiderans, Tacitus) ſine armis, arma autem ſine ſtipendijs, ſtipendia ſine tributis nequeunt haberi; adeo, vt dicere poſſimus, Tributa eſſe pacis ornamenta, bellique ſubſidia. Quod ſi hæc auferas, lex Diuina non auditur, Imperiumque diſſoluitur. Rogabit aliquis, quoniam diximus iuſte augeri vectigalia, vbi facultates, & redditus Principis non ſufficiunt, an hoc fit, Theſauro intacto relicto, an etiam ſi Theſauri aurum ſit in vſu. Reſpondeo, Principi neceſſarium ſemper eſſe Theſaurum, quia auri indigentia uires Principatus imminuit, promptioreſque facit extraneos

4. Hiſt.

traneos ad Regnum occupandum, ideo inexhauſtus debet eſſe, & intactus haberi. Hoc etiam Richardo arriſit in ſuis Quolibetis: vbi ſcripſit, quod, licet non deberat Princeps populis imponere tributa, vbi propriæ ſatis ſunt opes, has tamen ſufficere quis minime dixerit, vbi, aut ſe ipſum tuendo, aut commune bonum quærendo, adeo priuabitur diuitijs, vt Theſauri pecuniæ non ſuperſint, quibus ſi nouum inſurgat bellum, nouaque ſit inimicorum inuaſio, Theſaurus non poſſit vires ſubminiſtrare, ſumptuſque ſuppeditare. Imponi igitur poſſunt iuſte, augerique. verum, quoniã, vt dixit ille poeta,

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, Hora.
Quos vltra, citraque nequit conſiſtere rectum.

Cauere debet Princeps, quod animaduertit Tacitus, vt ratio quæſtuum, & neceſſitas erogationum inter ſe congruant. aſpera enim vox eſt, & populorum auribus inuiſa, animiſque infeſta, TRIBVTVM, ſeu VECTIGAL. Tortura, & cruciatu acerbiſſimo vexat nimis ſubditos. Vulgatum eſt adagium, *Pecuniam, mortalium ſanguinem eſſe*. Inde fit, vt, cum audit populus, a Principe noua ſibi imponi tributa, & exigi, ſtatim iudicet, auferri ſibi ſanguinem, & animam. Atque vt Diod. ſcripſit, reditus, & prouentus principis diligentiſſime intuendo, ſumptus autem oculis lippis, & conniuentibus aſpiciendo, ægre fert nouas impoſitiones, amoremque vertit in odium erga Principem. Melius ſane, ac tutius eſt, impetrare, quam imperare, vt, cum non videatur eſſe locus violentiæ, integer ſeruetur amor, illæſque gratia. Non ſint grauia, & oneroſa: ſed leuia, atque pro copia, & anguſtia rerum, non hominibus, ſed prædijs, ac facultatibus Laicorum a Principe ſæculari impoſita, non autem Eccleſiæ (niſi venia a Sede Apoſtolica impetrata, vt de immu. Ecc. libro ſexto docemur) & domibus, negotiationibuſque imponantur. illa namque vt ardẽtem Principis pecuniæ ſitim, aurique famem execrabilem præſeferũt, ita hæc Principis indigentis ſubſidium indicant; illa, vt populi voratorẽ (Populiuoros Principes hoſce appellauit Homerus) hæc paſtorẽ eſurientẽ lacte ſui gregis paſcendũ oſtendunt. Alexander nimiam illã cupiditatẽ reprehendens dicere ſolitus erat, vt refert Plutarchus: *Hortulanũ odi, qui ab radice olera excindit.* Pennæ non ſunt adeo incidẽdæ vt nequeãt renaſci: ſicut ad Atticũ Cic. ſcripſit. Qui nimis emungit, ſanguinẽ elicit, inquit Prouerbiũ. Iuſtitia ſeruanda eſt Geometrica, nõ autẽ Arithmetica. Iuſtũ eſt illud, ab omnibuſque cõceſſum, vt qui maioribus prædιti sũt facultatibus, locupletioreſque exiſtunt, magis ſoluant, quã ij, qui minus habent. Ad hæc, vna, eadẽque menſura, omnia loca non debet metiri Princeps. Altera ciuitas, quæ annona abundat, frumentum, ſegeteſque præbebit; altera, quæ maritima exiſtit, homines nauigationibus aptos, quæ mercibus

13. An. (beside "Cauere debet Princeps")
Lib. 12. (beside "animam. Atque vt Diod.")
Ilia. 1. (beside "li voratorẽ")
Plut. (beside "Alexander")
Lib. 4. Ep. 2 (beside "adeo incidẽdæ")

exuberat, pecuniam libenter tribuet. Non decet iccirco Principem, neque ei conducit, cuius ciuitati, ac prouinciæ ſibi ſubditæ, eiuſdem ſpeciei onus imponere; verum, rebus quibus prouincia abundat, inſpectis, tunc ex illa ſubſidium haurire, in alijs vero rebus, locorum incolas moleſtia non afficere. Vti enim rerum, quibus abundamus, alios participes facere indigne non ferimus: ita moleſtum nobis non accidit, in illis exerceri, in quibus tempus, & experientia nos fecit peritos. Oppoſitum iubeat Princeps, populos grauando in ijs, quorum ſunt egeni, aut in ijs, quorum ſunt imperiti: minimo quantumuis incommodo deficient, duceq. aut penuria, aut impotentia, inſurgent, & conquerentur, & grauia nimis onera illa exiſtimãtes, alium quærent Principem, & a proprio deficient. Huius rei fidem faciunt ea, quæ narrat Regum hiſtoria. Mortuo Salomone, Regno potitus eſt Roboã, tãti Regis heres, & filius. Natu maiores Iſrael, a populo legati miſſi ſunt ad Regem, rogantes, vt onus tributorum, quod graue nimis eſſe perſentiebant, leue redderetur. *Pater tuus (dixerunt illi) duriſsimum iugum impoſuit nobis: tu itaque nunc imminue paulum de imperio patris tui duriſſimo, & de iugo grauiſſimo, quod impoſuit nobis, & ſeruiemus tibi.* Remiſit nuntios, tres poſtulans dies ſibi dari ad reſpondendum: quo exacto tempore rediere legati, vt reſponſionem acciperent: & ſenum prudentiſſimorum neglecto conſilio, iuuenumq. ſecutus ſententiam, ſic reſpondit eis: *Pater meus aggrauauit iugum veſtrum: ego autem addam iugo veſtro. pater meus cecidit vos flagellis: ego autem cedam vos ſcorpionibus.* Aſpera hac reſponſione indignatus populus, Regem illum recuſauit, & nouum, Ieroboam ſcilicet, ſibi conſtituit. Sic ſequitur hiſtoria: *Videns itaque populus, qui a noluiſſet eos audire Rex, reſpõdit ei, dicens: Quę nobis pars in Dauid, vel quæ hereditas in filio Iſai? In tabernacula tua nunc vide domum tuam Dauid. Et abijt Iſrael in tabernacula ſua. Super filios autem Iſrael, quicumq. habitabant in ciuitatibus Iuda, regnauit Roboam. Miſit ergo Rex Roboam Aduram, qui erat ſuper tributa & lapidauit eum omnis Iſrael, & mortuus eſt. Porro Rex Roboam feſtinus aſcendit currum, & fugit in Ieruſalem: receſſitq. Iſrael a domo Dauid vſq. in præſentem diem. factum eſt autem, cum audiſſet omnis Iſrael, quod reuerſus eſſet Ieroboam, miſerunt, & vocauerunt eum, congregato cætu conſtituerunt eũ Regem ſuper omnem Iſael, nec ſecutus eſt quiſpiam domum Dauid præter Tribum Iuda ſolam.* Sciſſum eſt Regnum aſpera tributorum exactione, importunaq. impoſitione. Populi, rerum nouarum cupidi, & pro certo habentes, benigniorem ſe inuenturos eſſe nouum Principem, licet in deteriorem ſtatum ſæpe incidant, mutando, prõptiores fiunt, auida tributorum exactione, ad deficiendum a Principe. Quamobrem Principi euitanda eſt immoderata tributorum impoſitio,

3. Cap. 12.

tio,nouaſq. occaſiones non debet quærere ſemper vectigalia imponendi. nimia enim exactione ſolet euenire, vt ſubditi primo boues, & armenta, mox agros, poſtremo corpora ipſa met, tanta opreſſio ne peſſumdent ac amittant: paulatimq. malo increbreſcente, maioreſq. vires ſuſcipiente in dies, prouinciæ populis; oppida,& ciuitates habitatoribus; agri colonis, deſtituantur. miniſtrorum auaritia, huiuſmodi onera, & immanitate, ſæpius grauiora fieri ſolent. Principe etenim inſcio multa fiunt. contra eiuſdem Principis mentē, multaq. committuntur voluntati dominantis aduerſantia: magiſq. propriæ vtilitati, quam Principis affluentiæ conſulitur. Diues erit Princeps, qui pecuniæ propriæ erit parcus, & publicæ auarus, quem frugalitas docuerit abūdare. hæc ſola ſufficiet impendijs, & ſumptibus. Magnæ namq. opes vt dixit, ille Auguſto, non tā quæruntur multa capiendo, quam multa non perdendo. perduntur autem Pecuniæ, quæ temere, nec iuſte expenduntur. Hæc itaque & tot ſufficiant, de Tributis, quæ olim militum erant ſtipendia, Principibuſq. ſoluebantur, præcipue hanc ob cauſſam, vt ſe ipſos, ac propriam tuerentur ditionem, pugnando. Nunc de militari agamus arte.

LIBER SEXTVS

Ars militaris, quid, & eius origo.

Caput I.

Polybius. ARTEM militarem aggredior, Regibus, ac populis, apprime neceſſariam. Cum enim duo ſint, vt Polybius dicebat, quibus ſeruatur omnis Reſpublica, ac Regnum domi concordia, & fortitudo in hoſtes, hanc ſi abſtuleris ruere ciuitates, libertatem, negotium, ac Regem ipſum, erit neceſſe. Robur, ac vires auri ſolæ non ſufficiunt at, ſi arti adnectantur militari, omnia ſuo vtuntur iure, & cuncta propriam obtinebunt ſedem. Harum rerum Ci-
Pro Mu. cero haud neſcius, dum Murenæ cauſſam diceret, ceteris virtutibus
Dio. Sic. illã prępoſuit. Huius auctorẽ Diodorus Siculus Martẽ facit: iccirco a Poetis Deus militiarum Mars eſt appellatus. Cicero honorem huius
De Na. Deo. inuentionis Deæ Palladi aſcribit: hancq. ob cauſſam Bellonam fuiſſe dictam ait, conueniens cum poetis. Veritate incognita ſcripſerunt iſti: veriores inquiramus ſcriptores. Ioſephus primo ſuarum
Ioſeph. de Antiquitatum aliter ſenſit. Voluit ipſe Tubalchain belli fuiſſe in-
ant. Iu. uentorem. Cui ſententiæ quamplurimum opitulantur ea, quæ a
Cap. 4. Gloſſatore ſcripta fueruut. vbi enim legimus in Sacra Geneſi,

Sella

Sella quoque genuit Tubalchain, qui fuit malleator, & faber in cunct. opera æris, & ferri, Gloſſator ait; *Arte ferraria exercuit crudelitatem bellorum.* Porro, cum ante hunc nullum extitiſſe legamus de quo talem fecerit mentionem ſacer Scriptor, Ioſephi ſententia, quæ ſolido eſt innixa fundamento, ſpernenda non erit. Qui vero primo bellum geſſerunt; honoris, & ambitionis ſtimulis hos prœliaros eſſe teſtantur omnes. Ninum Regem Aſſyriorum, auaritiæ ſtimulis perpunctũ, primum omnium alijs bellum indixiſſe, tum Iuſtinus, tum Trogus Pompeius ſcribunt. Quod etiam Fabius Pictor ſcriptum reliquit, in fragmento ſuæ hiſtoriæ. Is ſubiugauit multas regiones. mille, & tercentis annis eius regnum perdurauit, vt S. Auguſtinus, Euſebius, & Diodorus Siculus tradunt. Fuit ille primus, qui, bello, aliorum Regna occupauit, ſuæq. ſubegit ditioni; alij autem gloria certarunt, & honore. ſat eis viſum fuit de victoria certaſſe, gloriæ ſtimulis excitatos, non auaritię œſtro. Veſſor, Aegyptiorum Rex, proprio egreſſus Regno, contra Tanim, Scytharum Regẽ, cum eſſet ab eo ſuperatus, nec dominiũ, nec vitã amiſit. nihil abſtulit victor Tanaim a Veſſore, ſed dominiũ, bonaq. omnia intacta reliquit, gloria ſola cõtentus: Ninũ minime imitatus. Quæ prima fuerint arma, quibus bella geſta ſunt, Lucretius, manus, dentes, & vngues fuiſſe ſcripſit. Quã ſententiã amplexi ſunt, qui nuperrime Siluã variarũ ediderunt lectionum. Doctrinã hanc priſcis diebus haud congruere duxi, nec etiã ſi de rixis ſingulari certamine in mundi infantia ſit diſputatio. Moueor primo, quoniam Innocens Abel a fratre Cain occiſus eſt. At, quod pugna fuerit dẽtibus, & mors hæc vnguibus, ac manibus, nõ autẽ lapidibus, & lignis, non poſſum adduci ad credendũ. Neque ratio, quã nonnulli adducunt pro Lucretij tutela, mihi vmquam probari potuit. Ratio hæc eſt. Quod dentibus pro armis vtebantur, quia nondum ex viſceribus terræ metalla extraxerant homines, vt homines a terra eijcerent, terraq. corpora illorum operirent. ſiquidem, licet nondum eſſent arma ex ferro, & chalybe conflata, erant tamen ligna, & ſaxa. Quamobrẽ dicendum arbitror, prima arma, quibus certamina, quæ hoc nomine ſunt digna, facta fuerunt, fuiſſe ligna, & ſaxa. Quę conſuetudo diu inualuit, adeo, vt vſq; ad Romanorũ tempora, fundibularij haud neglecti extiterint milites. Plinius quoq. in naturali hiſtoria narrat, antiquitus Aethiopes cum Aegyptijs, virgis, & haſtis, decertaſſe: at a Tubalcain militiam, & ordinem, & modum accepiſſe; a quo etiam aliquod armorum genus fuerit repertum. varias demum armorum ſpecies adinuenit homo, vt homo admirandum Dei opus periret, cominus, & eminus lædendo. Sagittas Perſeus, loricam Midus quidam adinuenit. Inſtrumenta illa, quibus muri euertebantur antiquitus, Euſebius aſcribit Moyſi

Iuſtinus. Trogus Põ. Fabius Pic. 4. De Ciu. Euſeb. Diod. Sic. Euſebius.

Plutar-

Plutarchus Plutarchus autē ait, Eudoxum, & Architam abſolutam feciſſe hāc artem. Scorpionem,& baliſtam ab Aſſyrijs fuiſſe adinuentam, narrat idem Plinius. At monſtruoſi tormenti bellici, quod dicitur Bombarda, quidam Alemannus fuit inuentor. Hoc inſtrumento primos omnium vſos fuiſſe Venetos, contra Ligures, voluit Raphael Volaterranus. Quam ſententiam ſecutus eſt Blondus. In Chronicis tamen Alphonſi Vndecimi, Regis Caſtiliæ, qui ſubiugauit Algazara, ſcriptum legimus, dum eam ciuitatem Rex ille obſidione premeret, Aethiopes obſeſſos tonitruis quibuſdam æneas ſphæras iaculatos fuiſſe. Quę ſi vera ſunt, vt vera vnuſquiſque credere poteſt, anteaquam Clariſſimi Veneti vterentur hiſce machinis, erant in vſu olim annis præcedentibus. Verū hæc miſſa faciamus. Noſter certe non eſt ſcopus de armorum, aut bellorum inuentoribus diſſerere. Sat, ſit hæc adduxiſſe, vt ad noſtrum attinentia propoſitum breuiter relata. Redeamus ad artem militarem; & dicamus, antiquam eſſe, a Ciceroneq. ceteris artibus præpoſitam fuiſſe, tamquam Reipublicæ apprime neceſſariam, de qua nunc futurus eſt ſermo, & quidnam ipſa ſit inquirendum. Verum mirabitur quiſpiam, me negotium iſtud aggredientem, & dicet, quænam conuentio viri Sacerdotis, cum vallo, aggere, clangore tubarum, equitum hinnitu, tympanorum, armorumq. ſtrepitu, horribilibuſq. tormentis bellicis, quæ paſſim bombardas, ſclopetoſq. dicimus, cum viro inquam in clauſtris, non in caſtris, degēte, in templo orante, non in campo pugnante? At facillime ignoſcet, æquoq. animo veniam dabit, ſi meminerit, Sacerdotum tubis clangentibus, Hiericuntinos muros inexpugnabiles, cecidiſſe Summos Sacerdotes Iudam, ac Simonem, fuiſſe exercitus duces. Sacerdotum filios in lege veteri, licet infantes, peculiari prærogatiua militiæ aſcriptos fuiſſe. Et, quemamodum, qui ſitum orbis Geographus optime nouit, quot partes habeat Italia, immo Europa, Aſia, Africaq. exacte intelligit; quæ ſint Americarum partes ac regiones: quam plagam vnaquæque ſibi vindicet; quæ regio ſit maritima, quæ ab vndis diſtet maris: nouit montes: nouit flumina, & ſaltus: quantum vna pars ab alia diſtet; intra domeſticos parietes exiſtens, nauigat mare, aſcendit montium cacumina: penetrat vallium profunditates, ſiluarum ſecretas partes; nec timet procellas, ſcopulos, Scyllam, atque Charybdim; difficultates itinerum, montium incommoditatemq. negligit; ſiluarum horrores non pauet; ita ego, de certaminibus, & bello dicturus eam attingam partem, quam, intra proprij cubiculi muros vnuſquiſq. nulla laſſitudine corporis, nullo armorum ſtrepitu, ſed animo pacato, facillime poteſt tractare. Nam, veluti duplex eſt medicina; altera, quæ in meditatione, ac ſpeculatione verſatur; altera, quæ in opus exit: ita ſane militia duas partes habet,

Rap. Vol. *Blond.*

bet, alteram belli præcepta docentem, quæ agit de exercitu, vt dice- bat Cicero, de agminibus, de ſignorum collatione, de oppidorum oppugnationibus, de cõmeatu, de inſidijs faciendis, atque vitandis, deq. rebus alijs ad bellum miniſtrandum pertinentibus; alteram ve- ro, quæ bellum appellatur: hæc autem nihil aliud eſt, niſi diſcordia hominum, arma ſibi mutuo inferentium. Non me latet, apud Lati- nos vocem hanc BELLVM aliam habere ſignificationem. Significat namque totum illud tempus, quo hoſtes ſunt in armis. Aliquando etiam ſumitur pro certamine, quod lingua domeſtica dicitur *Fatto d'armi*. Inde Salluſtius, Latinitatis optimus auctor, *In eo bello tercen- ti milites deſiderati*. Bellum dici per antitheſim, ſcripſit Priſcianus, eo quod non bonum, ſed malum ſit, malumq. inferat. Quæ ſententia in- digeret caſtigatione, vt etiam Feſti doctrina, qui Bellum a Belluis no- men translatum eſſe voluit, eo quod belluarum ſit, mutuo ſe in- terficere. Age, rem aggredior: & primo, quid nam ſit Militia, aſpi- ciendum eſt. Placuit nonnullis, qui hac ætate ſcripſerunt, eſſe partẽ prudentiæ. Cuius ſententiæ fuit Lipſius: niſi forte fuerit anceps, & varius. Quinto libro doctrinæ ciuilis, ita ab eo ſcriptum fuiſſe com- perio: *Diu me tenuit pacata illa, & toga ſua vere inuoluta prudentia, tamen me explicui, & ad militarem illam veni, quæ, horrida, ſed mini- me ardua, iugum ſuum prompte offert.* Capitis ſecundi prima verba hæc ſunt: *Militarem autem prudentiam ante omnia neceſſariam ego Prin- cipi aſſero.* Et caput tertium ita incipit: *Militaris omnis prudentia cir- ca bellum eſt.* Et, licet tanti viri auctoritas, & illorum, qui has ſuſti- nent partes plurima ſit, nihilominus nũquam hanc ſententiam ſum amplexus. In diuerſam opinionem, immo potius ſcientiam, me im- pellunt, tum quæ Latini, tum quæ Euſtratius ſcripſerunt, & ipſe- met Ariſtoteles in libris Moralium, vbi de Prudentia eſt diſputatio. Ariſtoteles, differens de Prudentia, a ſcientia, ab artibus actiuis, & factiuis illam diſiungit. A ſcientia quidem, quoniam obiectum ſcien- tiæ eſt verum, hoc autem neceſſarium exiſtit ſemper, eodem modo ſeſe habens, nullam varietatem, nullam ve mutabilitatem cogno- ſcens, vt primo Poſteriorum legitur. Verſatur ſcientia circa res im- mutabiles, quæ nunquam varietatem experiuntur, ſuntq. perpetuę veritatis. At Prudentia eſt circa contingentia, varietatibus obno- xia, nimirum circa humanas actiones. Hinc ſequitur, quod ſcientia non ſit, de ijs quippe conſultat nemo, quæ vt ſint, exiſtit neceſſarium, At prudentia conſultat, quid ue bene agendum ſit, diligenti inquirit examine. Ad hæc, actiua eſt, quoniam verſatur circa actiones: non ſic ſcientia. Neque etiam eſt ars, quoniam ars circa affectiones, & prudentia circa actiones verſatur. Ceterum, quoniam artes ſunt in duplici diſcrimine, quædam præter propriam operationem vnaquæ-

2. De Ora.

Priſcia.
Feſtus.

Lipſus.
Cap. 1.

Euſtra.
Lib. 6. c. 5.

Par. 5.

que

que habet finem, ſuum effectum. Verbi gratia, ars ædificatoria, domum; ſtatuaria, ſtatuam. quędam vero, quarum fines non ſunt opera quædam effecta, vt militaris, victoria; quæſtuariæ, diuitiæ. Qui fines non ſunt opera effecta, in quibus operatio ſiſtat, licet ſit quid aliud ab operatione. Hæc colliguntur ex Euſtratio loco nunc adducto: qui ſecutus eſt Ariſtotelem, ſeparantem Prudentiam ab omnibus artibus ea ratione, quoniam Prudentiæ finis eſt actio bona; at militiæ finis gloria, quæſtuariæ lucrum exiſtit. Ita ſcripſit Ariſt. ibidem: *Quapropter, ſi modo ſcientia eſt cum demonſtratione, & eorum, quorum principia poſſunt aliter ſe habere, nulla eſt demonſtratio: omnia enim poſſunt etiam aliter ſe habere, de neceſſarijs autem non licet conſultare: Prudentia neque ars, neque ſcientia eſſe vllo modo poterit. Scientia quidem, propterea quia id, quod in actionem venit, eſſe aliter poteſt; ars, quoniam aliud actionis, aliud effectionis eſt. Reſtat igitur, vt prudentia habitus ſit vera cum ratione actiuus, circa ea, quæ & bona, & mala homini ſunt.* Sic Ariſtoteles, qui, cum probauit, quod non ſit ſcientia, neq. ars, & concluſit, habitum eſſe vera cum ratione actiuum, circa ea, quæ bona, & mala homini ſunt, ſtatim adiecit, dicens: *Nam effectionis finis diuerſum quid ab ea eſt, actionis vero non ſemper. ipſa enim bona actio finis.* Quem locum pertractans Euſtratius, vt nunc retulimus, ait: *In differentia artis, & prudentiæ tradenda de effectiuis artibus tantum locutum fuiſſe, dum dixit, ea ratione artem a prudentia differre, quoniam ars, præter operationem, effectum habet, vt ſtatuaria, & ædificatoria, quæ domum, & ſtatuam habent. at, quoniam, præter has, nonnullæ ſunt artes, quarum fines non ſunt opera effecta, vt Militaris, & Quæſtuaria; ideo ab illis Prudentiam ſegregat, dicens, finem Prudentiæ eſſe bene agere: gloria enim, & laudes, quæ ex bonis operibus ſequi plerumq. conſueuerunt, fines prudentiæ nullo modo ſunt exiſtimandæ. alioqui prudens non prudens eſſet, ſed glorioſus. quippe, qui non finem habitus ſui qui eſt bona actio, ſectaretur, ſed quæreret alijs placere, gloriamque, & honorem apud alios ſibi aucupari. Cuiuſmodi rerum ille, qui vere eſt prudens, in actionibus ſuis, nullam curam habet, ſed tantum ſtudet, idq. curat, vt eas recte exequatur, recteq. agat.* Ex ijs omnibus duo colliguntur: quorum primum eſt, militarem diſciplinam non eſſe Prudentiam; Secundum vero eſt, quod ars dicitur. Plutarchus quoque, primum amplexus, hæc ſcripſit: *At prudentia in rebus demerſa fluxis, & turbulentis crebro fortuitis implicetur neceſſe eſt. & deliberationem de caſibus obſcurioribus ſuſcipiat. vbi vero conſuluit, tunc ad agendum ſe accingit, parte etiam animi illa, quæ rationis eſt expers, aſſiſtente, & concomitante iudicio, &c.* Poſſem his multa addere, quod ſcilicet præcepta bellica, ad Duces, & milites attinentia, de fulciendis arcibus, de exercitu ordinando, de inſidijs parandis, ac innumera prope

De mo. uir.

ra propemodum ijs ſimilia, conſultationem effugiant, ad prudentiamq. non attineant, licet in ijs fere tota conſiſtat militaris diſciplina: quæ ſilentio omitto, in clara luce ne faces quærere videar. Verum, relicta Lipſij ſententia, magis ego Euſtratio, ac Græcis ad hæreo, illam nomine Artis appellantibus. Cum enim ſit animi noſtri habitus, veluti grammatica, & quæuis ars, ac ſcientia; proprie autem loquendo, neq. ſcientia, neque moralis virtus, neque pruden tia dici queat, vna ve ex Mathematicis diſciplinis, vt liquido conſtat, & nunc aliquo modo patebit; ſupereſt, vt inter artes ſit adnumeranda. Ceterum, quoniam artes vel liberales ſunt, vel mechanicæ, rogabit aliquis, & ſciſcitabitur, quæ nam ſit ars, nec enim inter liberales vllum ſibi vſurpat locum. Quod ſi inter Mechanicas illam collocabimus, afficere videbimur iniuria illos, qui, nobili genere orti, eidem operam nauant. hoc igitur eſt; quod lectorem vexare poterit, &, quæ diximus, forte minus conſiſtentia ab nonnullis haberi. id explicemus igitur; vt, veritate cognita, nec anxius ſit lector in rogando, nec, quæ diximus, ſoliditate carere videantur.

Artem militarem mechanicam eſſe, concluditur; nec inde ſequi, vt animus vileſcàt in exercenda militia: quoniam, quæ vere ſunt mechanicæ, dignæ ſunt homine libero.

Caput II.

Militarem artem inter Mechanicas retulimus. Quæ res dura videbitur nimis, cum ars hæc egregia dici debeat, vt pote quia a Ducibus, Regibus, ac Imperatoribus exerceatur. at Mechanicæ a liberalibus ideo differre dicuntur, quoniam liberales tales appellantur, quia homine libero ſunt dignæ. E regione, hæ Mechanicæ dictæ ſunt quoniã viles, & ſordidæ, ac hominibus abiectis ſunt accommodatę. Addunt nonnulli, Mechanicas ita appellari, quo niã quodãmodo intellectum faciunt mœchari. Et, certe ſi res extrin ſece aſpiciatur, & rudi notitia cognoſcatur, nulli dubium erit, adductas rationes aliquam efficaciam habere. Sin autem introſpicie tur, & diligenter, ac exacte conſiderabitur, oppoſitum ſtatim cum

veritate conuenire apparebit. Mechanicas vulgus hominum eas ſolet artes appellare, quas Sellularias dicimus, neglectas ſcilicet, & infimas, quas ſupra Effectiuas nominauimus. Vti Sutoria, Lanaria, Piſtoria, Fabrilis, ac huiuſmodi artes, quæ rectius Banauſicæ deberent appellari. Βαναυσὸς enim, licet proprie ſignificet eum, qui circa fornaces, & caminos exerceatur, nihilominus translata eſt vox ad omnes artes, quæ manuum exercitio peraguntur, vt ex Sancto Hieronymo colligi poteſt. *Vt taceam* (inquit ille) *de ijs quos Græci* Βαναύσους *vocant, nos ad opera manuum pertinentes poſſumus dicere.* Verum, proprie loquendo, veritatis diſcipuli Mechanicas debemus appellare illas diſciplinas, quæ conſiſtunt in ſpeculatione, & in effectuum mirandorum cauſſis inquirendis, & aſſignandis, qui contra naturam exiſtunt. In duplici ſunt differentia res illæ, quæ admirationem afferunt. Quædam prodeunt a natura; quædam, e contra, naturæ aduerſantur. Huius autem generis quæ exiſtunt, ex ui Mechanicarum proueniunt. Viderit aliquis grauia præter naturam aſcendentia; leuia, veluti propriæ naturæ neſcia, non eleuari; columbas ligneas, tamquam animatas, in aera ſe extollere, quod Architæ opera factum olim fuiſſe legitur; & ſtatim incipiet mirari, deinde horum effectuum quæret cauſſas. Aſpiciet quis puellam arte factam in aliquo proſcenio ad tibiam ſaltantem, cadet in admirationem, ne dixerim ſtuporem, demum inflammabitur deſiderio tanti effectus, cauſſam inquirendi. Menſibus elapſis vidi ego hic Romæ puellam arte factam ſe ipſam cientem, vertentem, & quodāmodo paſſus ad ſonum barbitonis ab eadem pulſati mouentem. inſtrumentum muſicum pulſabat, & mira gratia ambulabat. Hæc, & ſimilia a Mechanicis docemur: vt puta, cur lapis, funda iactus, longius mittatur, quam ſi manu proijciatur. Vnde eſt, quod minores libræ minus exactæ ſint maioribus. Cur exigua virtute magnæ vectis auxilio moueantur pondera, cum præſertim & ipſius vectis addatur pondus. Vnde fit, quod quo antemna ſublimior fuerit iiſdem velis, eodemque modo expanſis, celerius ferantur naues. Cur corpora, quæ ſphæricæ ſunt figuræ, celerius moueantur. Quare ſtatera, qua carnes, merceſque alias ponderamus, paruo appendiculo, quod Græce σφαίρωμα vulgo Romanum dici ſolet, magna trutinet onera. Quamobrem, ſi lignum exiſtat longum, difficilius geſtetur, quam breue, licet æqualis ſint ponderis. Qua cauſſa facilius moueantur mota, quam manentia. Mechanicæ autem dicuntur duplici de cauſſa vt arbitror. Prima eſt a Machinando, quoniam omni conatu mentis, & cogitationis noſtræ machinamur inſtrumenta, & machinas quaſdam adinuenimus, quibus cum vtimur, nitimur efficere opera contraria naturæ, vt puta leuia ima petere, grauia ſurſum

Ad Pela. lib. 1.

orſum eleuari, nitendoq. fruimur optatis, opera perficientes. Secunda vero ea eſt, quia multa principia, multaq. præcepta, complura inſtrumenta, & machinas addiſcunt, & hauriunt ex ijs ſordidæ illæ artes, quas Mechanicas communi, & recepto vocabulo dicunt, cum magis Banauſicas, & Sellularias deberemus nominare. Qua in re non poſſum non ſummopere illorum commendare iudicium, & ſententiam, qui Mechanicas illas, quæ nos, vt diximus, faciunt machinari, Geometriæ ſupponunt, atque, vt aiunt logici, ſubalternatas illi eſſe volunt. Etenim (vt bonarum artium periti optime norunt) mutuo accipientes a Geometria concluſiones quamplurimas, ex illis, tamquam ex principijs manifeſtis, probatis in Geometria, multa probant, multaq. concludunt, huiuſmodi Mechanicæ diſciplinæ. Intuitu igitur patere arbitror, Mechanicas non eſſe indignas viro libero, ſed illi ſummopere conuenire. Porro, cum artem militarem Mechanicam facimus, non ideo Principibus, ac Imperatoribus aſcribitur ars vilis, ac indigna; ſed præſtans, nobilis, & excellens diſciplina. Non eſt effectrix, ſed potius ſpeculatrix. Quæ vero præcepta habeat, non eſt hic narrandi locus. a Vegetio, & alijs, hæc ſunt luculenter ſcriptis commendata. Quæ mœchari faciunt intellectum artes, ſunt Sellulariæ, ſeu Banauſicæ. At de numero iſtarum non eſt ars militaris, quæ in præceptis verſatur, quo modo muris, & uallo ſint muniendæ arces. atq. quomodo euertendi muri, & alia tractat, quæ ad militiam ſpectant. Ceterum, Militari diſciplina hac relicta, tranſeamus ad bellum: &, quinam ſint ad prœlia apti, nunc inquiramus.

Qui nam ad prœliandum ſint ideonei iudicandi. & primo, an feminæ aptæ ſint ad bella gerenda vt cenſuit Plato.
Caput III.

Victoriæ gratia pugna ſuſcipitur, bellaq. geruntur. Victoria acquiritur, cum vi armorum, exercituſq. virtute, ſuperantur inimici. Quæ cum ita ſeſe habeant, talis debet eſſe miles, talis ve Dux, vt viribus polleat, certamen non timeat, & quod vel in pugnę ſimulacro didicerit, vel re ipſa fuerit alias expertus, in nouo certamine, nouoq. bello, non perhorreſcat. Viribuſq. corporis audaciam, & diſciplinam addendo, ſtrenue, ac viriliter conſerat manus. Id nos docuit Salomon in Canticis, ſimilitudinibus cantans amicam dixit:

Pulchra es filia Hieruſalem, & decora, terribilis, vt caſtrorum acies ordinata. Amantium eſt inſtitutum, atque vt ita dixerim, natura, vt pulchritudine amaſiæ allecti, nihil perhorreſcant; labores, quantumuis graues, arbitrentur leues; pericula, licet magna, parua exiſtiment. Talis certe debet eſſe acies bene ordinata, vt in ea, & pulchritudo ab ordine naſcens animoſos reddat pugnantes, & milites, virtute magis, quam armis, induti, pugnam læto ſuſcipientes animo, inimicis fiant terribiles. Qui igitur, quales ve ſint ij, qui ad manus conferendas, ad certamina ve apti debeãt haberi, nunc examine eſt ponderandum ab ijs, & pax, & victoria, & quies Principum, ac populorum oritur. Rem aggredior, a Platone initium faciens Plato Socratem præceptorem ſecutus. in quinque hominum genera Ciuitatem diſtinxit: In Principem ſcilicet, Conſiliarios, Bellatores, Artifices, & Agricolas. Idq. nec iniuria. Omnis namq. perfecta Ciuitas his omnibus conſtat: hæcq. partitio illos omnes complectitur, qui attinẽt ad alicuius perfectionem ciuitatis, & ea quæ ad regimen politicum ſpectant. De bellatoribus autem verba faciens, illos diſtinxit in homines, ac mulieres. Militari autẽ negotio mulieres aptas iudicauit, ijs rationibus ductus. Primo, ſi aues rapaces conſiderabimus, in illis videbimus, a feminis viribus maſculos vinci, ad pugnamq. promptiores, ac validiores illas eſſe. In beſtijs quamplurimis, idẽ licet videre. Quod ſi in brutis hoc cernimus, cur, obſecro, in rationalibus animalibus idem non erit? Ad hæc, virtutis munus, ac propriũ eſt, quod ſtudioſum, & aptũ faciat habentẽ, vires cũ exercentur quotidie, tum animi, tum corporis increbreſcunt, ſicut otio torpeſſcunt membra, atque tabeſcunt. Si ineptæ ſunt ad prœlium feminæ, hoc non naturæ, ſed potius malæ educationi, eſt adſcribendum. hoc etiam experimento comprobatum eſt. quæ ruri ſemper degunt mulieres, ideo robore præualent feminis ciuitatem incolentibus, ob labores ſuſceptos, quotidianaque exercitia. Gymnaſio, ac palæſtra, laboribus corporis, aſſueſcant ſe mulieres, promptæ fient ad arma tractanda, bellaq. gerenda. Apud Scythas, mulieres quoq. cum viris earum, in prœlia exeunt. Ijs concludere poterat Plato, mulieres debere exerceri in militari diſciplina, vt Principis, ac Ciuitatis vires augerentur: cum numerus feminarum æqualis eſſet virorum numero. Verum, qui Academię præceptis non fuerint addicti, ſed in Lycæo verſati, aliam ab hac ſententia longe diuerſam habebunt opinionem. Exiſtimabunt, mulieres impedimento eſſe, non autem adiumento militiæ: omninoq. illas a militari diſciplina relegabunt. Quandoquidem hac via non augeret, ſed imminueret Rex vires proprias. Genuit natura mulieres ad prolem generandam, alendam & vſq. ad certam ætatem nutriendam. Porro, ſi armis, & bellicis

laboribus

laboribus eſſent intentæ, aut vix filij generarentur, aut geniti in lucem non exirent, aut in lucem editi non nutrirentur; hac ue de cauſa paulatim deficeret populus. Adhæc, vti in Oeconomia diſtincta sũt feminæ, mariſq. officia; ita ſane in politica vnius, & alterius muniæ ſunt differentia. Mulier domeſticis negotijs, quæ intra priuato parietes conficiuntur, eſt dedita: at, contra, vir, ijs, quæ foris aguntur, eſt intentus. certamina autem non domi, ſed foris exercentur. quare mulieres ab huiuſcemodi negotijs ſemotæ eſſe debent. Inſuper, finis imponit neceſſitatem rebus, quibus vtimur ad illum aſſequendum. Natura ideo dentes anteriores acutiores fecit, molares vero cubos, quoniam illos ad ſcindendum, hos ad molendum cõſtruxit. Gladius, quoniam eſt ab arte, naturæ æmula, ad ſcindendum fabrefactus, ideo ex materia ſolida, & figura acuta factus eſt. Sic, qui bella ſunt facturi, armis, actuiq. pugnæ idonei eſſe debent; mulieres autem vtriq. ſunt ineptæ, maſculi aptiſſimi. Rem conſideremus. Natura, vt ſenſu experimur, quod etiam Ariſtoteles in ſchola eiuſdem naturæ nutritus, de generatione animalium ſcripſit, maſculorum ſuperiora membra, manus, & brachia, neruos, & venas, & maioris molis; inferiora ſubtiliora, minoriſq. molis, nimirum nates, & ventrem, contraq. mulieri inferiora membra craſſiora, illa vero ſubtiliora conſtruxit: ideo mares ad laborem apti, feminæ minus aptæ exiſtũt: hæ, ad prolem concipiendam, & ferendam aptæ; illi, omnino inepti. mammillæ inſuper ad arma ferenda ineptæ, ac impedimenta quædam. Poſtremo, mulier eſt homo occaſionatus, vt dixit Ariſtoteles. *De Gen. an.* Sagax rerum natura mater, ſemper id, quod perfectius exiſtit, cupit aſſequi: at ſæpe fit, vt, tanto deſiderio defraudata, femina generetur. Cum autem ſit homo occaſionatus, diuerſitas ſexus morum varietatem indicat atque, vti ſexus eſt imperfectior ita ſane ingenium in inquirendo, conſultandoq. imperfectius, ita animus ad magna peragenda ineptus. timidæ ſunt, pauentq. facillime. quæ ab ijs, qui bellum agunt, omnino debent eſſe remota. Ad hæc, ob ingenij imbecillitatem adhuc minus ſunt idoneæ. ſiquidem mentis acie fiunt inſidiæ, ſtratagemata parantur, machinæ cõſtruuntur: quibus ſæpe fugatis inimicis, victoriam obtinemus. Huc tendunt, quæ a Vegetio ſcripta legimus, primo libro: Romanos ad gerenda bella fuiſſe perfectos, quoniam nullis erant fracti delicijs, ac voluptatibus. *Ad initiũ* quod ſi mulieres in caſtris eſſent, viri voluptatibus dediti vileſcerent, abiectaue uirilitate effeminati efficerentur. Caſtra, a Caſtitate dici voluit Iſidorus. Hinc etiam legimus, filiorum Iſrael copias a Madianitis fuiſſe ſuperatas: quoniam cum filiabus eorundem fornicati fuerant milites illius exercitus. His, ac alijs rationibus conſtanter affirmare poſſumus, mulieres

bellicis

bellicis rebus a natura minime fuiſſe genitas, ſed potius ad ſobolem procreandam, ac alendam, ad ea ve peragenda, quæ in domibus priuatis fieri ſolent. in bello magis ſunt impedimento, quam adiumēto pugnantibus feminæ, vt refert Ariſtoteles Spartanis accidiſſe. Inuadentibus Thebanis Lacedæmoniorum regionem, mulieres cum viris proprijs ad pugnam egreſſę, confuſione ob eaſdem orta, maius detrimentum ſuis attulerunt, quam inimicis. Quod ſi aliquando viris præſto ſunt, id raro contingit, nec pugnando, ſed alia potius ratione, illis auxilium præſtādo, vt Guelfi Ducis Bauariæ in obſidione legimus. Cum enim Conradus Imperator, huius nominis Tertius, Guelſum iam dictum graui oppreſſiſſet obſidione, omneſq. conuentiones, pactiones, ſibi oblatas ab obſeſſo Duce, recuſaſſet: nec aliqua ratione, & condicione, ab ira potuiſſet amoueri, tandem hac pactione contentus fuit, vt mulieres, quæ nobilitate præeminebanr, intacto honore, tuta, ſaluaq. ſarcina, quam humeris poſſent aſportare, exirent. hæ, ingenita nobilitate, & animi virtute, maritos, ac filios, Ducemq. ipſum humeris imponentes, tanto pondere pretioſo onuſtæ, ex ciuitate egreſſæ ſunt. Mulierum virtutem admiratus Imperator, ab eaq. mira animi voluptate affectus, cordis lenitate lacrymatus, omnem deleuit ſuſcepti belli memoriam, nullumq. reliquit odio locum, quo exarſerat vehementiſſime in Guelſum: ſed benigniſſime ab eo die ſemper illum tractauit. Quæ vero adductæ ſunt pro Platonis ſententia rationes, nullius ſunt momenti. quoniam, vt ad primam deueniam, ſimilitudo a brutis, auibuſq. rapacibus deducta, rigida exiſtit, nec poteſt adeo flecti, vt rationalibus conueniat animalibus. Rapaces aues ſunt calidæ, vt dicitur, a tota ſpecie, totaq. ſubſtantia; in illiſque, huiuſmodi proprietate occulta, femina prædita eſt maiori robore, viribuſque: at in humana ſpecie femina humidioris, laxioris, frigidioriſq. eſt temperamenti: ideo maſculo audacia, viribuſq. longe inferior. in alijs vero animalibus ab illis differentibus, pugnat femina, pugnat & maſculus; pugnat taurus, pugnat & iuuenca; certat equus, certat & equa; at fortius, ac maiori uirium impulſu maſculus pugnat, initq. certamen. homo pugnat, mulier vix tentat arma tractare. Non eſt negandum, exercitatione aſſidua robuſtiores fieri homines, & mulieres, vireſq. in dies laboribus magis augeri; at, quod exercitio aptæ fieri poſſint mulieres ad bellum, id bona venia poſſumus inficias ire. Non ad quæuis exercitia labore fiunt validiores, ac magis aptæ feminæ, ſed ad ea dumtaxat peragenda negotia, quæ illis natura conueniunt. Salomō,
Parab. c. 31 ideo, mulierem fortem deſcribens, ita loquitur: *Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius*. Explicans autem exercitia eius, ſubdit ſtatim: *Quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt*

conſilio

conſilio manuum ſuarum. De Carolo Magno legimus, quod voluerit filias ſuas, quas vnice diligebat, oculiſq. ferebat, fuſo, & colo eſſe deditas, operibuſq. feminarum intentas. Et, ne quis mihi obijciat, vt nihil ſuperſit, quod anxium reddat legentis animum mulieres ex Scythis Orientalibus originem trahentes Amazonas dictas, fere totam Aſiam, olim tertiam, nunc quartam partem poſt Americarũ inuentionem ſubiugaſſe, ſiquidem maſculorum viribus, & diſciplina nedum propria Regnum ſunt adeptæ. Et, quod ſingulare, & vnicum exiſtit, a tradentibus præcepta ſemotum debet iacere. Scriptor enim, quæ frequenter fieri ſolent, & vniuerſaliter eueniunt reſpicit, non quæ raro, ac ſemel. Homines igitur militari diſciplinæ, belloq. gerendo reſtat, vt apti ſint, non autem mulieres. At, qui, & quales, nunc eſt conſiderandum.

Qui homines ſint bello apti, diſciplinaq. militaris quos requirat.

Caput IV.

HVmanum genus ſi conſidero, vti principium ſimplex, & vnum, ita naturam multiplicem coniecto. Multa, Summus ille Opifex fecit ſidera, inter ſe etiam, ſi de errantibus ſit ſermo, ſpecie differentia. multas brutorum ſpecies; ſiue in aquis natent, ſiue humi reptent, ſiue in aere volitent; at vnicam fecit hominis ſpeciem, ab vno homine prodeuntem. Vnicus fuit, ac ſingularis homo, omnium radix, & origo. vna mulier, ex oſſibus illius producta. ideo virago, quaſi vir ipſe maſculus dicta, poſteritas nihilominus, veluti riuus emanãs a fonte terræ partes irrigando, qualitatibus locorum afficitur, per quos tranſit: ab illo primo vno principio proueniens in multos humana natura, quaſi propriæ originis omnino neſcia, relicta propria ſimplicitate, ac vnitate, multiplex eſt effecta. Varia ſunt hominum ſtudia, diuerſæ penitus, & oppoſitæ actiones, vitæ inſtituta differentia, mores penitus diſtantes, atque ab inuicem diſcrepantes, ad quæ omnia tum ætas, tum educatio, tum temperatio, nos ducere ſolent. Cum igitur varium ſit hominum vitæ inſtitutum, mulieres vero bellum ineptas eſſe, hactenus fuerit demonſtratum; non ab re futurum erit, ſi explicabimus, qui nam homines apti ſint cenſendi, ad manus conſerendas, bellaq. gerenda. Me quidem hæc ſcribentem, in primis ea ducunt, quæ Vegetius ſcriptis commendauit, ac ea præcipua

cipua ratio, quia a militum qualitatibus, victoriam,gloriamq. Principis; e contra iacturam, proficiſci ex libro Iudic. colligitur. Rem igitur aggrediamur. a Iudæ autem Machabæi monitis ordiamur, qui fortis, ſtrenuus, cordatus, & incomparabilis Dux extitit. Is vt legimus in illa hiſtoria Sacra, cum pugnaturus eſſet, paucis admodum copijs, cum numeroſo inimicorum exercitu, milites allocutus, hæc ait: *Et dixit his, qui ædificabant domos, & ſponſabant vxores, & plantabant vineas, & formidoloſis, vt redirent vnuſquiſque in domum ſuam.* hos omnes militiæ ineptos expulit Iudas, iuſſitque, illos ad proprias redire domos ſecundum legem. Quæret aliquis, quæ nam ſit hæc lex. Reſpondeo, non humanam, ſed a Domino prolatam eſſe. Videamus, quæ dicta ſint a Domino filijs Iſrael, terram promiſſionis occupaturis. *Si exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equitatus, & currus, & maiorem, quam tu habeas, aduerſarij exercitus multitudinem, non timebis eos: quia Dominus Deus tuus tecum eſt, qui eduxit te de terra Aegypti. Appropinquante autem iam prœlio, ſtabit Sacerdos ante aciem, & ſic loquetur ad populum. Audi, Iſrael: vos hodie cõtra inimicos veſtros pugnã cõmittitis, non pertimeſcat cor veſtrũ: nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra aduerſarios dimicabit, vt eruat vos de periculo. Duces quoq. per ſingulas turmas audiente exercitu proclamabunt: Quis eſt homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? vadat, & reuertatur in domum ſuam, ne forte moriatur in bello, & alius dedicet eam. Quis eſt homo, qui plantauit vineam, nec dum eam fecit eſſe communem, & de qua veſci omnibus liceat? vadat, & reuertatur in domum ſuam, ne forte moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio. Quis eſt homo, qui deſpondit vxorem, & non accepit eam? vadat, & reuertatur in domum ſuam, ne forte moriatur in bello, & alius homo accipiat eam. His dictis, addent reliqua, & loquentur ad populum: Quis eſt homo formidoloſus, & corde pauido? vadat, & reuertatur in domum ſuam, ne pauere faciat corda fratrum ſuorum, ſicut ipſe timore perterritus eſt. Cumq. ſiluerint duces exercitus, & finem loquendi fecerint, vnuſquiſque ſuos ad bellandum cuneos præparabit.* Hæc Deuteronomij in libro extant ſcripta. Ex quibus colligimus, quattuor hominum genera a prœlio remoueri. nimirum eos, qui domos nouas ædificauerant, eaſq. nondum dedicarant; qui vineas plantauerant, nec eas fecerant communes; qui vxores deſponſauerant, nondum tamen adhuc illas cognouerant; ac demum pauidos. Hæc vt commode magis percipiantur, huc ſunt nonnulla vocanda, ex Hebræorum moribus accepta. Vetus fuit apud Hebræos inſtitutum, vt, qui nouam conſtruxerat domum, is in lætitiæ ſignum, ſollemne conuiuium pararet, amicos notos, & cognatos, affineſque vocaret,

Cap. 6.

Lib. 1. ca. 3.

caret, quibuſcum epularetur. Hæc erat domus nouę dedicatio. Qui vero vineam plantaſſet, communem illam faciebat: hoc modo: Fructus, qui primo naſcebantur anno, habebantur immundi, nec a Iudæis comedebantur, vel ea de cauſſa, quoniam Gentiles talibus fructibus, veluti inſolitis, & nouis, in Sacrificijs vterentur, idola venerādo: vel forte, quoniam præcoces eſſent. Qui autem quarto naſcebantur anno, ij omnes Deo offerebantur. Fructus autem quinti anni, vſui erant vineæ domino. Illis vtebatur, poteratq. alijs eos communicare, vel vendendo, vel donando, tuncq. vinea communis facta dicebatur. Domorum conſtructores, vinearumq. plantatores a prœlio amouebantur: quoniam magis timent mortem, ſuntq. inconſtantes, amore capti propriæ rei: laborumque, quos perpeſſi ſūt in vinea plantanda, domoq. ædificanda, memoria, efficit, vt inertes fiant, animoq. deſtituantur, ad manus conſerendas. Vſu euenit, vt ea, vel quæ ingenio, vel quæ arte molimur, tamquā partus animi noſtri ardenti animo diligamus. Tædet nos, hac de cauſſa, multum ve do lemus, vt nos domum ædificemus; alius vero, qui non laborauerit, nec vllum ſuſceperit incommodum, illam inhabitet. Nos, qui vineā plantauimus, agros emimus, magno impendio, fructus non percipiamus, ſed alienus fruatur his commodis. A bello, armisq. tractandis tertio loco amouebantur illi, qui vxores deſponſauerant, quas necdum cognouerant. Lex eſt ijs, qui matrimonio coniunguntur, qui vxorem ducunt, deſiderio deſiderare vxoris amplexus. Amor ſponſi erga ſponſam animum inuadens, illum occupat, atq. ſuum omnino facit. Naufragus, vndis agitatus, mortem ante oculos videns, propriam paruipendens vitam, ſuiq. met oblitus, id ſolum curare videtur, id ſolum amore proſequi, id ve ſolū magnifacere, caros ſcilicet vxoris amplexus. mortem nulla alia ratio videtur horrere, niſi quod moriens amatā coniugē nequit videre. Feruidus eſt mariti amor ille caſtus, & iccirco durum videtur ſponſo, nimiſq. acerbum, vxorē domi reliquiſſe in militiamq. eſſe profectum. Vbi theſaurus, ibi cor noſtrum. Amans ſibi mortuus eſt, & in alio viuens, ſcripſit ſapiētiſſimus Plato. Hæc cum bello non poſſunt conuenire: in quo mori non eſt timendū, omnes ve affectiones penitus ſunt abijciendæ, quæ a ſuſcepto negotio poſſunt animū amouere. Hac de cauſſa potiſſime timidi repellantur, ne, dum ſibimet ipſis timentes, ceteris timorem incutiant, tergaq. vertant inimicis, quo exemplo ceteri quoque animo deſtituuntur, timoreq. conſternati, cedant inimicis, miſerrimeq. pereant. Ad hæc, delicijs intenti arcentur amplexuum vxoris cupidi. ſiquidem effeminato ſunt animo tales, atque virilitatis neſcij. Cyrus, Perſarum Rex, cum Lydos ſuperare non poſſet, quia robuſti, & fortes ad patiendum erant apti, luxu, vſuq. veneris

ibidem conſtitutis, virtute, & fortitudine eneruata, illos tandem do muit. Miles cogitur ſub diuo humiq. dormire, eſurire, ſitire, caloribus, & frigoribus ſubijci, currere, ſaltare, pluuiarum, ac niuium iniurias negligere, ſudare, nec ſudorem abſtergere, atque vt ſummatim dixerim, perpetuo labore, continuiſq. in commodis, obnoxium eſſe. Quare non ſegnis, non delicioſus, non voluptatibus, com-
1. Ann. modiſq. aſſuetus, militiæ erit aptus. Hæc omnia innuit Tacitus, dicens. *In vtrauis militiâ hunc ſperno. nam vernacula illa multitudo, la-*
3. Ann. *ſciuiæ aſſueta, laborum intolerans.* Et Vegetius: *Ex agris ergo ſupplen-*
1. Cap. 3. *dum videtur robur exercitus: ex vſq. conſtare aptionem armis ru-*
In Iug. *ſticam plebem, quæ in laboribus, & ſub diro enutritur.* Salluſtius illos laudat, & appróbat, qui aſſueti ſunt hiemis algorem, & æſtatis
1. De bel. feruorem pati, humiq. requieſcere. Cæſar, docens, quæ ſint caſtra
Gall. ad bellandum aptiſſima, illa eſſe voluit, ad quæ ſæpe non commeãt mercatores, ad quæue ea non importantur, quæ ad animos effeminandos pertinent. Vegetius huius rei cauſſam aſſignare videtur, dũ
1. Cap. 3. ait: *Neſcio enim, quo modo minus mortem timet, qui minus deliciarum*
Vi. Ann. *nouit in vita.* Cornelius Tacitus illos ad militiam vocandos eſſe exiſtimauit, qui ſaltuoſos locos incolunt, quoniam patientiæ, & laboribus magis ſunt aſſueti. Ceterum dubitatio hic ſolet oriri: An miles agreſtis vir debeat eligi; an potius ciuis. Hæc quæſtio forte ingrata non erit, ſi hic dilucidabitur. Principes namque, tum ex ciuitatibus, tum ex agris, milites ad prœlium vocant. Ideo non erit ab re, ſi videamus, ex ijs, qui potius debeant accerſiri.

An Ciuis, an Ruſticus ſit eligendus.

Caput V.

Militum labores nonnulli conſiderando, vitamq. ratione examinando, grauibus laboribus illos ſemper intentos eſſe inuenerunt. Porro, cum laboribus aptior ſit Ruſticus, quam is, qui ciuitatem incolit; (ille nãque grauibus ſemper laboribus eſt intentus; hic leuioribus, & nullis, ſi nobilis exiſtit) ideo Ruſticum aptiorem eſſe militiæ iudicarunt. etenim, vti vſu ſolet euenire graues calceos geſtantibus, qui, detractis illis, leuiores ſunt ad curſum, licet non ſine calceis ſtadium currant; ita ſane, laboribus aſſueti grauiſſimis, cum in graues incidunt leues, & dulces ij illis videntur. Quare Ruſticus aptior erit militiæ nobili, & ciue. Præter hæc, vir agreſtis dormit hu

mi

mi, ſub diuo, aut ſub humili tegumento, a ventis non tuto; frugal vtitur menſa; vix dulces capit ſomnos; ſtans, aut humi ſedens, comedit; non ſemper vinum, ſed aquam ſæpius bibit; aliquando remotas habet fontes, remotaq. flumina; famem, & ſitim perpeti eſt aſſuetus. Quæ omnia militi optime conueniunt, vt ſupra diximus. humi cubat; ſub diuo, aut ſub tentorijs, vel caſis, folijs, ramiſq. arborum factis, inhabitat; frugalem vitam viuit; ſtrepitu tympanorum, tubarumq. clangore ſomnum nequit capere; ab illcq. vocatur ad vigilias, & labores. nullam habet certam horam comedendi; incoctis ſæpe veſcitur cibis. qui vero ciues intra domeſticos parietes viuunt, proprijs commodis inſeruiunt, non tantum ſub tectis, vernm in lectis ex plumis, aut lanis mollibus conſtantibus dormiũt, cibis veſcuntur optime conditis, ad menſas ſtatis horis accedunt. Miſerrime actum eſt cum exercitu Romanorũ, vt narrat Polybius, 3 Hiſt. eo quod ieiunus cum Africano pugnaſſet, qui prima luce, immo ante crepuſculum, cibum ſumpſerat. Hannibalis milites, cibo ſumpto, ante lucem, facilius laboribus, & frigori obſtiterunt. E contra Romani, ieiuni, fame, & frigore obriguerunt. atque exercitus ille numeroſus, magis fame, & algore, quam armis inimicorum, perijt. Poſtremo, viribus præpollent ruſtici, ideo aptiores ciuibus ſunt cen ſendi. His, aut ſimilibus rationibus adducti nonnulli, homines agreſtes ad militiam vocandos eſſe aſſerunt, aiuntque, ciuibus aptiores, magiſq. idoneos eſſe. E regione, alij cenſent ciues, nobileſq. potius eſſe eligendos: quoniã nec rationes adductæ aliquid neceſſarij concludere poſſunt, nec deſunt argumenta, quæ oppoſitam ſtabiliunt ſententiam. Et primo, quod vires corporis nihil valent fere, niſi mẽtis conſilio exerceantur, Polydamus, Miloq. Crotoniata, id nos docere poſſunt, multarum coronarum celebres athletę. quorum alter, cum quadam die vidiſſet quercum ſemiſciſſam, vt exprobraret illius loci hominum imbecillitatem, manibus fiſſuræ adhibitis, in qua cunei extiterãt, vi nixus eſt lignum in duas partes ſcindere. Verum cũ illo magno impetu hoc aſſequi non potuiſſet, a partibus coeuntibus manus illius aſtrictæ ſunt, mox a feris quas nec aggredi, nec repellere potuit, miſerime diſcerptus, ac dilaniatus, interijt. alter vero, cum iter faceret, ſocioſq. ſecum haberet, imbres magnos ex improuiſo cœperunt pluere. Is, euitandæ pluuiæ gratia, in quandam ſpeluncam ſe recepit. at, quoniam, ingruentibus imbribus, ſpelunca cœpit ruinam minari, ſuaſerunt ſocij, vt inde abiret, ne, partibus collabentibus, opprimeretur. Monita neglexit ille; ſocijſq. recedentibus, ſolus remanſit; humeroſq. collabentibus ſpeluncæ partibus oppoſuit. verum, cum cadentem molem non potuiſſet ſuſtinere, temeritatis ſuæ pœnas dedit, ſepulcro temeritatis ſepultus. Vegetius ie-

circo aſtutiæ bellicæ, magis quam fortitudini, victoriam adſcripſit. Iam vero, ſi victoria pendet magis ab aſtutia militum, ac Ducis arte, quam a viribus; qui, obſecro, fieri poteſt, vt agreſtes viri, ingenio rudes, intellectu obſcuri, ciuibus, ac nobilibus ingenio, mentiſq. acie præpollentibus, ſint aptiores? Adde, nihil eſſe aptius, nihil accommodatius, ad inflammandos, & animandos homines ad magna negotia, ad labores, & tormenta, ac cruciatus perferendos, gloria. Alexander, Rex Macedonum, Achillis gloriæ inuidus, fleuit. Lacrymas emiſit ille, qui, Aſia, & barbaris domitis, varijs triumphis, omnibus erat admirandus. Honoris aculeis punctus, gloriæ deſiderio ardebat. Themiſtocles, hac cupiditate ſuccenſus, cum Militiadis geſta celebrarentur ob victos, ac debellatos in Marathonijs cāpis barbaros, cenas ſumptuoſas, lautaq. conuiuia, quibus antea erat intentus, reliquit, &, glorioſa geſta ſecum mente reputans, noctes ſine ſomno pertranſibat. Rē hanc amici admirati, cauſſam illius ſciſcitati ſunt; Cur ſcilicet mores, viuendiq. inſtitutum mutaſſet. Eis reſpondit, Trophæa Militiadis ſomnos ei abſtuliſſe. Saxeus ille eſt qui Cæſaris, Pelopidæ, Epaminondę, Alexandri ve perlegit geſta, aut narrantem audit, & ſtatim non ſentit, ſe ad gloriam inflammari. Plumbeus ille eſt, qui Periclis, Scipionis, Camilli facta meditatur, & ſtimulis gloriæ pungi non perſentiat, magnorum geſtorum deſiderio non ardeat. Feriant, obſecro, alicuius oculos animi, imagines rerum honeſtarum: is ſtatim alienam æmulabitur laudem, magna tentabit, difficilia facillima reputabit, modos ſecum reputabit, quibus rationem poſſit inire, vt coronam acquirat, triumphum reportet, immortalis fiat. Tria ſunt bonorum genera, quibus allecti, ardua tentamus, difficilia experimur, labores patimur. nihil eſt, quod relinquamus intentatum, vt tandem fruamur optatis. bonum, honeſtum, vtile, & delectabile. quorum primum, vt ceteris præſtat, ita maius nobis ingerit deſiderium ſui. amore percitus, quidnam, immortalis Deus, difficile reputat? neſcit algorem, æſtum ignorat, famem negligit, ſitim irridet, quodcumque incommodum paruipendit. Lucri gratia, quos non ſubdit mercator labores? non pauet ventos, procellas ſpernit, ſcopulos non timet, mortem non horret, quamuis minime ignoret, ſibi proximam eſſe, cum ligno feratur, quod impetu ventorum, & vndarū, ictibus facillime poſſit frangi. robur circa pectus erat ei, qui nauigia primus omnium exercuit, recte dixit Horatius. Quod ſi, horum bonorum deſiderio, veluti funibus, homo tractus, multa agit, multaq. patitur, his certe maiora peraget, ac patienter ferendo, ſuperabit, qui honoris deſiderio erit impulſus. Habent hoc egregia virtutum opera, vt non tantum, ad illorum admirationem, verum ad æmulandos

landos

landos illorum auctores nos excitent. Aſpiciat aliquis, dicebat *InVi.Peric.* Plutarchus, Iouis ſtatuam, Piſis exiſtentem, nobilis natu, is numquam deſiderabit, Phidiam eſſe. Viderit aliquis Iunonis ſimulacrum apud Argum: is tamen non cupiet eſſe Polycletum. At, qui virtutum opera perſpexerit, illico auctorem illorum imitari, in illumq. mutari cõcupiet. Alia bona nos deſideramus poſſidere, vt ceteris illa impartiamur. hæc e cõtra optamus, vt illa poſſideamus, illiſq. honeſtemur. in alijs bonis poſſeſſione ſola contenti ſumus: at virtutis poſſeſſionẽ ſolam non deſideramus, in illa ve minime quieſcit animus; ſed facta præclara virtutis etiã concupiſcimus, illorumq. deſiderio ardemus. Rudes homines, terram colentes, infima meditantur. nec gloriæ ſimulacrum, obſcurum etiam, mentis oculis vmquam vident. Cum brutis verſando, terram ſcindendo, brutorum mores imitantur. Nec aliud ſibi volunt in beſtias homines mutati, a Circe, ab antiquo Homero decantati, a noſtroq. Virgilio in piſcem piſcator, in talpam agricola, in canem venator, Philoſophus in elephantem. Piſcator degit in aquis, piſcium more, piſces tractat, piſcibus veſcitur, illorum naturã imitatus. Agricola, talparum more, ſcindit terram, terram tractat, animuſq. illius quodamodo terreus efficitur. Cum intelligimus, ad inſtar ſpeculi, animus in imagines rerum intellectarum mutatur. Venator, canibus feras ſequendo, canes amat amore forte nimis feruido, cũ illis viuit. hos ſemper habet in mẽte, in canẽ iccirco mutatur. Philoſophum mutatum in elephantum cecinerunt Poetæ: quoniam, dum ſenſum nimis ſequitur, illoq. vtitur tamquã duce, obſcura, & adũbrata quadã notitia Deũ cognoſcit, quoniam animal iſtud altiori imaginatiua præditum, magis imitatur hominem; & cultus Dei minime videtur (vt aiunt) eſſe inſcium. Ad hæc, maiorum exempla ſæpe non tantum nos excitant ad præclara geſta, verũ inopinatos auſus pariunt in nobis, & prouocant ad magna negotia, ne ab illis degeneremus, ſed ſimiles cognoſcamur ab omnibus. Ex ruſtica progenie oriundus nihil horum ſperare poteſt, a quibus ad gloriam hortetur, & ad honeſta inflammetur. Si natale aſpiciat, patrẽ bubulcum, auum arantem, terræq. cultorem, agnoſcit. Quare ſat ſibi eſſe iudicat, ſi boues ad arandum habeat, ſi recte terrã colit, ſi arbores ordine ponit, ſi ſtatutis temporibus ſarrit. In ijs ſi excelluerit, gloriȩ culmen ſibi comparaſſe exiſtimabit. Exempla quinetiam illorum, cum quibus verſamur, plurimum proſunt. Hominem vbi glorioſum ante oculos noſtros exiſtentem viderimus, ſtatim animum nõſtrum (ſi ingenuus ſit) titillare voluptate ſentimus, & ad honorem acquirendum promoueri. Plumarum inuentores id nobis perſuadere poſſunt, quæ a militibus ornatus gratia in galeis geſtantur, aut equis imponuntur. huius rei auctorem nonnulli faciunt

Ale-

Alexandrum Magnum: quod ego nō audeo aſſerere. hoc tantum in Plutarcho legi, magnū hūc Regem criſtam galeæ plumis albis hinc inde pēdentibus geſtaſſe, quibus ab omnibus cognoſcebatur. Verum hiſce relictis, ad plumas redeo. Antiquitus, ducibus dumtaxat erāt vſui plumæ, præeminentiæ gratia; vt ve in numeroſa turba ab alijs differentes cognoſcerentur. Temporis ſucceſſu, ab eiſdem Ducibus, illis concedebantur, qui aliquod præclarum feciſſent opus, vt tamquam virtute excellentes a ceteris haberentur, eſſentq, alijs exemplaria ante oculos exiſtentia, a quibus ad magna tentanda, ac operanda, excitarentur. In ijs, qui, ruri nati, rus colunt, nihil tale eſt ſperandum. quoquo oculos vertant, homines ad aratrum manum habentes, armenta paſcentes, boues agentes, adſpiciunt, quibus ſimulacris, ad opera huiuſmodi mouentur. Quare non ex agreſtibus, ſed ex ciuibus erit miles vocandus, & eligendus. Verum, quoniam primæ claſſis rationes non carent efficacia, nec ſecundi ordinis argumenta ſunt leuioris ponderis, quid de hac re dubia ſit decernendum, iam aperire incipio.

In Vi. Al.

Veritas oſtenditur: & nonnulla de regionibus dicuntur attinentia ad milites.

Caput VI.

Ntiqui ſapientes, ſymbolis res tractantes, Hymenæū, nuptiarum Deum, iuuenem facie decorum, ac ſplendidum, Martem vero, bellorum Deum, non puerum ſed hominē adultū, in florida ætate cōſtitutum, pingebant. Fabulæ ſunt hæ, nos digna docentes. Innuunt profecto, ni fallor, hæc nobis, maturam ætatem nimis, anniſq. grauē in congruam eſſe nuptijs. qui enim prouectioris ætatis vxorem ducit, is & vitæ propriæ dies, ac annos minuit, nec filios genitos adultos poteſt videre. qui in militiam eſt profecturus, nec puer, nec ſenex debet eſſe tum ob arma tractanda, ac labores ſubeundos, tum ob pugnam horroris plenam. Vt adultæ ſit ætatis, eſt neceſſe, ob vnam, & alteram cauſſam. Ab anno vigeſimo ſecundo incipiendum eſt. Romani, vigeſimo ſeptimo elapſo, initium ſumendum eſſe, duxerunt. At tunc aliud erat prœliandi inſtitutum, alio ve

alio ve armorum genere vtebantur milites. ſclopettarij tūc non erant. Ciuis ſit, ſi fieri poteſt, qui, venatione vires exercendo, ad patiēdum labores factus ſit idoneus. Xenophon venationem laudibus commendabat, Regiq. peropportunam eſſe, aiebat. Etenim, cum Rex non tātum legibus populum regere debeat, verū & armis protegere; iuſtum ſane videtur, vt hoc nobili exercitio laboribus ſe ipſum aſſueſcat. Venator ſudoribus, æſtui, algori, fami, & ſiti, non eſt ſubiectus, animi, & corporis fortitudine, roboreq. omnia hæc vincit. ad hæc varias aſpicit plagas, montes, colles, valles, ſiluas, apricaſq. planities, quo ſitu iaceant quibus ve clauduntur terminis. varietatem in montibus agnoſcit. hos arduos, & difficiles nimis; hos faciliores, & iter commodius aſcendentibus, præbentes. Planitierū diſcrimen conſiderat, nonnullas aquis in varias partes diuiſas apprehendit, nonnullas vero ſpinis conſitas, & nonnullas omni impedimento vacantes. Feras ſequendo, modo in collibus, modo in vallibus, in ſiluis aliquando, nonnumquam in planitie. ſi quæ difficultas obuiam ſit ei aut viæ aſcenſu, aut aquarum decurſu, illam ſuperat animo inuicto. aquas tranat, cacumina ſcandit, a rupibus quodammodo ſe deijcit, nihil pauens, nullumq. timori locum relinquendo. Hæc omnia ſtrenuum faciunt militem, & illi magno ſunt adiumento. Magnus Alexander in Aſiam ingreſſurus ad flumen Granicum peruenit, quod ad eam regionem erat ianua, & aditus. illud autem tum profunditate, tum aquarum copia, tum ripæ oppoſitæ aſperitate, quæ pertranſiri non poterat, ſine certamine, quamplurimos exanimarat. Ibi cum eſſet, ſumptis equitum turmis tribus, primus omnium flumen eſt ingreſſus, ceteroſq. voce adhortando, & impellendo, exemploq. ſui trahendo, loci difficultatem ſuperauit. in Aſiā ingreſſus pugnando vicit. Ciuis igitur ſit, & venator. Ciuis quoniā educatione, animi ingenuitate, maiorum, & aliorum exemplis excitatus, magna audebit, venationibus autem laboribus æſtui, frigori, ſiti, fami, ſe ipſum aſſueſcet. ad hæc quæuis difficultas ei obuiam fiet itineris illam facillime ſuperabit. aquas tranabit omni timore depoſito, montium ſiluarumq. ardua via, illi facilima erit. nil inopinatū, nil inſolitum, nil incognitum ei accidet de ijs loquor quæ ad labores corporis, ad itineris incommoda, ad egeſtatem, frugalitatemq. attinent, atque de ijs ſimilibus. Omitto corporis menſuram, ad alia pertranſiens, & primo quæram an ex proprijs populis, an ex peregrinis ſint milites conducendi. Reſpondent nonnulli proprios magis approbando, tum quoniam peregrini infidi ſolent eſſe, ſpeque maioris lucri allecti, ius, & fas abijciunt, impatientes iuſſa negligunt, cuncta ex libidine agunt, ſeditioſi, tumultuarij ſine ducum cura, ſine pudore flagitii abeunt. nec enim aut affectu, aut fide tenentur,

Xenophon.

vt ſerio

vt ſerio pugnent, & ſanguinem fundere velint pro alieno domino. Addunt ijs, quod incolis graues exiſtunt, & omnia tamquam externa vaſtant, vrunt, peſſumdant. ex proprijs vocati, & fide, & fortitudine pugnant, iubenti facile obediunt, in acie terga non vertunt, ſed faciem inimicis oſtendunt, natura namque hoc omnibus inſitum eſt vt proprium tueantur Regem. His rationibus quidam adducti, aiunt, omnino domeſticos milites extraneis eſſe præferendos. Ego certe ne vera diffitear, vti hanc ſententiam numquam contempſi, ita etiam nec illam admodum approbare potui. ſiquidem cum hoc requiratur in milite, vt audacia ſit armatus; ſagacitate refertus; tolerantia, & obedientia præditus; membrorum agilitate a natura donatus; quæ non omnibus ſunt conceſſa populis; neſcio quomodo Princeps rectius ſibi conſulat, qui populos natura imbelles habuerit, alienos non conducendo milites. Locum

In Iſag. dicebat Porphyrius, principium eſſe generationis idque nec iniuria. climatum diuerſitate homines eſſe diuerſos victu, moribus, & fere omnibus alijs rebus, aperte conſpicimus. temperationes cor-

Galen. porum diuerſæ mores diuerſos prænotant, vt ſcripſit Galenus, vbi diſſerit, an animi mores ſequantur corporis temperiem. Qui natura calidi ſunt, fortes exiſtunt, qui vero humidi, timidi. Hinc habitatores regionum gelidarum fortes, ac animoſi, vt Galli, Pannones, ac Germani, calidorum locorum incolæ e contra timidi, ac

Cor. de mo. Get. viles. id quoque Tacito placuit de moribus Get. ſcribenti. Homines illos animari ſcripſit ſuo cælo, & ſolo. Ariſtoteles Problema-

Par. 8. tum ſectione quartadecima, cauſſam huius rei, quam adduximus, aſſignans, dicebat Calida loca inhabitantes, externo calore ferventes, neceſſe eſt calore interno deſtitui, corporis partibus poroſis dilatatis ab ambiente calido: a calore autem interno vires, & animum recipimus. Contra vero qui frigidas habitant regiones, frigore partes illas condenſante, calore abundant, cum nequeat exire. ideo audaces exiſtunt, & viribus corporis præpollent. Sit Princeps regionis calidæ, qui alium dominantem regioni gelidæ velit oppugnare, proprios eo ducat milites, quomodo res feliciter poſſit euenire, aliorũ eſto iudiciũ. Alexandrũ legimus ex India redeuntem, nec quartam partem exercitus illius numeroſi, qui equorum quindecim millibus, & peditum centum, & viginti millibus numero conſtabat, a morte ſeruaſſe nimia ſiccitate excedente æſtu, viarumque difficultatibus. milites illi non adeo aſſueti, vel ſaltem

In Vi. Ale. quod vincerent naturam eorum perierunt, vt apud Plutarchum legimus. quæ res nos monet, quemadmodum, vt diximus, in calida regione nati in frigida ægre ſe habent; ita in frigida oriundi, in calida vix conſiſtere poſſunt, præcipue ſi repentina fiat mutatio loci.

Ad hæc

Ad hæc, populi renuuunt imperantis dominium. nouarum rerum cu pidi, nouum exoptant dominium, ſemper ſperantes mitius fore tractandos. contingit etiam frequenter, vt nonnulli ex illis, qui inter eos maioris ſunt auctoritatis, fuerint aliqua de cauſſa emendati, id inique factum fuiſſe clamabit correptus, cuius vocem plebs ſecuta, iniuſte fuiſſe oppreſſum vociferabitur. minores enim aut ſemper, aut frequenter ſequuntur maiores. his de cauſſis haud tute Princeps, nũquamnon proprium armabit populum. Inſuper Hannibal, vt refert Polybius, cum fugauit Romanorum acies, ad Trebiam flumen agri Placentini, miſtum habebat exercitum ex Balearibus inſulis, quæ nunc vulgari nomine Maiorica, & Minorica dicuntur, ex Aphrica, Hiſpania, & Gallia. ita ſcripſit hiſtoricus: *Hannibal vero ad omnia intentus, & peruigil, vbi transgreſſos flumen reſpexit hoſtes, locatis ante ſigna Balearibus ac leuis armaturæ militibus, numero fere octo millibus, copias in aciem educit, pergreſſuſq. a caſtris circiter mille paſſus, pedites qui numero ad viginti millia inter Hiſpanos, & Afros miſtis Gallis erant, in cornibus circumfudit. equites etiam in vtrumq cornu diſtribuit. ij cum ſocijs quos propinquæ Galliæ ciuitates miſerant, vltra decem millia erant.* Hæc Polybius. Carthaginienſium fuit antiquum inſtitutum, tum Ducem, tum milites habere peregrinos, iiſq. Romanas acies expugnarunt. cum Atilium Regulum ſuperarunt, copijs peregrinis ac Duce extraneo, nimirum Xanthippo Lacedæmonio, obtinuerunt victoriam. Chalcideſes Braſſida Duce exercitus illorũ peregrino, Siculos Gilippi virtute: Aſiaticos Lyſandri, Ageſilai Callicratis arte ducũ aduenarum triumphum ſemper reportarunt. Hi Duces, & exercitus habuerunt extraneos, ne multos commemorem qui ex victis, victores facti, glorioſi extiterunt. Quapropter dicendum puto, id ſẽper a Principe debere conſiderari diligenter, qualibus dominetur populis. Si bellicoſi ſint, ſi bellum ſit gerendum in regione ſimili, gratuſq. ſit populis, quorum imperium habet. ſi hæc ita ſe habent, firmior profecto erit exercitus ex domeſticis, quam ex peregrinis. Sin autem res oppoſito modo ſeſe habuerit, exercitus ex aduenis erit aptior. Regio ſemper item conſideranda erit, vt nũc eſt dictum. Quæ vero ſunt adductæ rationes, non cogunt. Quoniam cum ſpe lucri, aut honoris, milites certent, in Ducis prudentia omnia ſunt poſita, addita vigilantia, ſcilicet vt pareant præceptis, vt acerrime pugnent, pro miſſionibus lucri, & gloriæ. ne agros depopulentur, vt ve fidem ſeruent, vt tam pro alieno Rege certent, immo magis quam pro proprio. Omnes illæ nullo negotio ſuperari poterunt difficultates. iam vero vt hæc ſolidiora exiſtant, nonnulla hic de Ducibus explicentur. 3. Lib.

Qualis debeat eſſe Dux exercitus.

Caput VII.

HAbet hoc peculiare gentium multitudo, vt, niſi ordine diſponatur,& Duce regatur, nec quidem conſiſtere, perdurareq. poſſit. Hac de cauſſa felices illos appellamus populos, qui ordine optimo a Principe prudente reguntur. Ab vno, & altero obtinent,quod pacatos agunt dies, & bonum aſſequuntur illud, quod eis vita ciuilis poteſt elargiri. Quod ſi in ijs ordo,& Princeps deſideratur,multo ſane magis in exercitu,hic,& ille erit perquam neceſſarius. Si enim negotium conſideres, ad vltimum terribilium ad mortem ſcilicet,reperies cuncta diſponi. Si hoſtes aſpicias contra homines arma vibrari cognoſces. Ideo tum ordinem,tum ducem neceſſarium eſſe concludes.Ordo pendet a Duce.

Ad inſtar Regis totus componitur orbis.

12. *Metap.* Ariſtoteles, vbi quærit bonum vniuerſi, ait Ordinem in exercitu exiſtentem, in mente Ducis reperi. A Duce igitur ſalus exercitus, robur,fortitudo, ac victoria pendet;& præcipue his diebus,quibus ars, militaris mortua,ſepultaq.iacet. Mirum profecto.In ceteris artibus, minoris excellentiæ,ac ponderis,inſudamus,omnes intendimus neruos,in illis inquam, in quibus certe nullũ vitæ nobis periculũ imminet. In hac autem a qua Reſp. & Regna pendent, in pugnaque, ſi error contingat, miles vitam,Dux gloriam & honorem, Princeps Regnum amittit: nec minimam quidem ſtudeant milites neoterici habere peritiam. Olim, qui nauali prœlio erant dimicaturi; prius in *In Vi.Malch.* portu, mariq.tranquillo vncos præparabant,vt Sanctus Hieronymus aiebat,remos trahebant, diſpoſitumq. per tabulata militem firmiter ſtare conſueſcebant, vt, quod in hac ficta naumachia, ſimulacro ve naualis pugnæ didiciſſent, in vero certamine nõ perhorreſcerent. Ita ſane,qui in terra erant pugnaturi, arma tractare, vmbratili pugna vires exercere,famem,ſitim,frigus,æſtum,vigilias pati aſſueſcebant; vt, quod domi didiciſſent, in pugna eis prodeſſet.habet ars militaris ſuas leges, habet & propriũ viuendi inſtitutũ. Philopœmenes, ſtatim ac in virili ætate conſtitutus fuit, deſiderio ſuccenſus eſt prœliorum: iccirco rebus illis operam aſſidue cœpit dare, quæ illi in militia eſſent neceſſaria. Equitandi, armaq. tractandi, diſciplinæ, & ſimilibus artibus animũ habuit intentũ. Athleticã artẽ hac de cauſſa

in qua pollebat, exercere noluit, ab amicis monitus, militarem diſciplinã a luctandi arte diuerſam omnino requirere viuendi regulam. etenim luctatores longo ſomno, multoq. cibo, ac exercitio, ſtatutis loco & tempore, propriam ſeruant valetudinem: quos terminos ſi quis vix pertranſierit, in periculum incidere, eſt neceſſarium. E regione, miles, arſq. militaris omnia, ęqualiter tractat, & indifferenter agit: ſitim, famem, æſtum algorem, ſomnum, patienter ſuffert. Noſtris hiſce temporibus, nihil ſimile cernas; perinde, ac ſi arma propria mouerentur natura; & hominum temperies, acris, ventorum, glaciei, æſtus, famis, ſitis & laſſitudinis iniurijs nõ eſſet ſubiecta. Neque, obſecro, quis mihi obijciat, actionem bellicam in armorum conflictu, & in militum pugna, vbi vnus alium oppreſſerit, conſiſtere. ſiquidem ſolum certamen, militumq. congreſſus ille, non parat victoriam. Nec ſat eſt ad gloriam acquirendam, manus conſerere. At, ſi opportune, recte, & rite hæc fiant, tunc non tantum ſpem triumphi concipere datur nobis; verum ipſam met victoriam poſſumus decantare. Hæc autem omnia a Ducis pendent iudicio, experientia, & arte. quibus magis pugnabunt copiæ, quam armis; hiſq. fugabunt magis inimicos, quam viribus proprijs. Optimo Duci exercitum committere, tantum referre viris prudentibus ſemper viſum fuit, quantum inimicos profligare, victoriam conſequi, & triumphum reportare. Id Fabricius voluit, qui, excuſans ciues ab Epirotis ſuperatos, non ab illis, ſed a Pyrrho, victos fuiſſe, aiebat. Conſiderare debet, ab eo maximam ſuſtineri perſonam, deq. ſumma rerum agi: ideo negligentiæ, ignauiæ, imperitiæ, infidelitati, imprudentiæ, ignorantiæ, nullum eſſe relinquendum locum. Sed ſumma prudentia, animi vigilantia curandum, vt cuncta inchoentur, diſponantur, perficiantur. ſtudereq. debet, vt inimici virtutem, victi miſericordiã, alienæq. nationes, ac proprius Princeps fidem eius experiantur. Scopus Ducis eſt victoria: res, quibus illam conſequatur, non tantum noſſe debet, verum exacte intelligere, quomodo, parta victoria illa debeat vti. vincere autem tum addiſcet, cum primo tutelæ ſui met, & exercitus proprij incolumitati, operam dabit. Græcorum legibus puniebantur milites, qui in prœlio non haſtam, aut gladium, ſed clypeum amiſiſſent. Epaminondas iccirco, moribundus, vbi clypeum ſaluum eſſe cognouit, lætatus eſt, & mortem æquo animo pertulit. His nos docentes, militem primo debere propriæ ſtudere tutelæ, mox inimicorum offenſioni, illoſq. oppugnare. Dux porro exercitus, cuius curæ, aut ciuitas, aut loca munita, ne dum milites committuntur, primo incolumitati ſuæ, exercitus, & locorum eius fidei creditorum inſudare debet, deinde inimicos lædere. Iphicrates pedites ſimiles manibus, equites pedibus, ordinem pectori, ducem capiti faciebat.

Ideo, quicumque temere periculis ſe offert, propriæ non ſtudet incolumitati, non tantum ſe ipſum videtur contemnere, verum omnes illos, quorum ſalus ab illo dependet. Callicratida hac de cauſa iuſte culpatur a Plutarcho, vir in alijs rebus laude dignus. Is, auguri, dicenti ſibi, vt caute rem ageret, quam erat aggreſſurus, reſpondit, quod quando pugnabat, vnus homo pugnabat, quando nauigabat, vnus homo nauigabat. Dux erat omnium, ideoque, cum omnium regimen ſuſcepiſſet, neque vt vnus prœliabatur, neque vt vnus nauigabat. Sapienter in hac re Antigonus ſenior, mihi dixiſſe viſus eſt. qui, cum prœlium eſſet facturus apud Andrum, cuidam narranti, inimicorum naues numero proprias excedere, dixit: Obſecro, quot nam inimicis me ipſum opponis? His illum monens, a Duce gloriam prouenire, & victoriam: illiq. cauendum eſſe, ne propria negligentia exercitus damnum faciat, ſed propriæ ſaluti omni diligentia ſit intentus. Timotheus, dum Crates quorundam vulnerum proprij corporis margines Athenienſibus demonſtraret, ſcutumq. lanceis perforatum, *Me pudet*, inquit, *quod obſidione Sami lancea non longe a me, ſed prope ceciderit. mihi ſane videbar temeritatis nota culpandus, vt qui Dux eram exercitus, quod Duci optime conueniat, non egiſſem.* Verum, quid ego multa commemorem? Marcellum, & Pelopidam, primum Romanorum, alterum Græcorum Ducem, vnum, & alterum fortem, ſtrenuum, audacem, bellicoſum; primi virtute Hanibal antea inuictus, a nullo ſuperatus, ſed omnium victor debellatus fuit; alterius Lacedæmones mari, terriſq. timendi, omnia ſubiugantes, ſuperati fuerunt. Ij, dum gloriæ patriæ darent operam, laboribus, ac ſudoribus proprias Reſp. extollere cupientes, temeritate, vitæ finem miſerrime impoſuerunt. Pro gloria, pro victoria, pro iniuriarum vindicta, pro Regni ablati reſtitutione, ſuſcipitur pugna a Principe, cuius ipſe gerit perſonam. A milite, honoris, & lucri gratia, certatur. Bona, quæ ſunt honeſta, ad partem appetentem iraſcibilem attinent. ideo Plato hunc appetitum docte quidem, & egregie appellauit ambitioſum, & contentioſum: alium, ad quem corporis illecebræ, deliciæ, lucrumq. ſpectant, auarum, & quæſtuarium nominauit: (ab his obiectis diſtinguitur appetitus, & ſecundum hæc ſecatur, vt Galeno, Plutarcho, Platoni, & Ariſtoteli placuit, non autem, vt Latini ſcriptis & memoriæ commendarunt) bona hæc in animis noſtris ſpem, & timorem generant. Speramus, vbi media faciliorem nobis præbent aditum ad finem conſequendum. Timemus, ſi media deficere cognoſcimus, malumq. euenturum dubitamus. Spes immoderata nos efficit temerarios. quæ exilis exiſtit, & modica nimis, ad puſillanimitatem contemnendam nos ducit. illa ſæpe efficit, vt occaſionem nimis acerbam accipiamus; hæc vt nimis maturam ſequamur lento pede. Hæc ſunt extrema, & ideo, tamquam

In ui. Pelop.

9. *De Rep.*

tamquam atrociſſima Scylla, & voraciſſima Charybdis, Duci euitanda Magna ſiquidem negotia, magnis compenſantur, ſcatentq. difficultatibus, neç ſine magno labore poſſunt tractari. Negotij ſplendor timori frenum imponit, audaciam parit, & fortitudo animum reuocat, non permittens illum vileſcere. Fortis autem ille vere dici poteſt, qui pugnam incipit, finem aſſecuturus, eademq. animi promptitudine bellum abſoluit. Vilis ille, qui vix incipit, & terga vertit. Græci veteres ab caſtris viros illos relegabant, qui, armigijs armatis, aſſueti erant loca mari proxima prædari. Idq. nulla alia ratione, niſi quia, cum incolas videbant, eis licebat hæc vox. REMEMVS AMICI. Cordatus, præditus ſapientia, & eloquentia Dux, milites puſillanimes, fortes, & robuſtos faciet. Homerus, de Ducis audacia loquens, dixit: Rectius Ceruorũ exercitum a Leone, quã aciem Leonum a Ceruo Duci. Antiquos recenſeamus Duces, quos laudibus extulit priſca ætas, hos non tantum robore, verum ſapientia, arteq. dicendi, præcelluiſſe reperiemus, atque ſui exemplo, & eloquentia, in pugna milites proprios armaſſe audacia. Iudas Machabæus, vno, & altero modo, exercitum ad pugnam inflammauit. Perlegat quiș eius geſta, & aperte cognoſcet, vbi prœlium erat facturus, verbis primo hortabatur milites; deinde, illis præcedens, ad pugnam eoſdem, exemplo ſui, incitabat. Themiſtocles, magnus Dux, qui Salus Græciæ habitus, & hoc nomine nuncupatus (ſic enim ſe geſſit, vt de illo ſcripſit Plutarchus, quod Athenienſes amicos humanitate, inimicos robore, ac fortitudine vicerit) a teneris annis ſcholis Rhetorum aſſuetus fuit, & ferijs ſtudiorum non atterebat tempus in ludis, aut otioſe illud perdebat, ſed orationes quaſdam componebat, quas poſtmodum cõmẽdabat memoriæ. Pericles, qui nõ ſemel, aut bis, ſed quinquies triumphum glorioſe reportauit, qui ob præclara geſta Olympij nomen eſt adeptus, Zenoni Eleatæ, & Anaxagoræ Clazomenio in philoſophia diſcenda operam dedit, in arteq. oratoria adeo claruit, vt omnes illius ætatis oratores ſuperarit. Fabius Maximus, vt laboribus militiæ corpus aſſueuit, ita eloquentiæ ſtudio animum exercuit. Hannibal, qui Dux exercitus creatus eſt annum agens vigeſimum ſextum, Saguntum, Hiſpaniæ ciuitatem, vltra Iberum qui expugnauit. apud Ticinum, Publium Cornelium Scipionem; apud Trebiam, Titum Sempronium; ad lacum Thraſimanum, iterum Romanorum exercitum debellauit, & Flaminium Conſulem vicit; apud Cannas, Romanos ſuperauit; Campaniam, & Capuam, præcipuam illius regionis ciuitatem, cepit; Tarentum Romanis abſtulit; multaque miranda geſſit; litteris Græcis eruditus, Hiſtoriam illo eloquio ſcripſit Phormioniſque Peripatetici diſcipulus extitit.

In Vi. illius

Cleo-

Cleomenes Sphærum Boriſthenitem, qui Zenonis Cittiæi diſcipulorum primus, doctiſſimuſque eſt habitus, in philoſophia habuit præceptorem. Multum ſanę prodeſt, ceteris in pugna pręcedere. milites namque, Ducem intuendo, alacri animo pericula ſubeunt, mortemq. contemnunt. Prodeſt, eloquio, & verbis milites ad gloriam incitare; lucriq. ſpem ante oculos eis ponere: huius etenim ac illius gratia, certant homines. Atqui, vti non decet, vbi pugnare non licet, niſi ſummo periculo, manifeſtoque damno, ac pernicie notiſſima totius exercitus, vbi virtus Ducis nullam poteſt ſibi gloriam comparare, manus conſerere: Ita, e contra, ei certandum eſt, vbi propria virtus gloriam eſt conſecutura. Vituperabat iccirco, nec iniuria, Plutarchus dicentes, Ducem exercitus ſenio debere mori, aut ſaltem in ætate decrepitati proxima vitam finire. quoniam ſicut Lacedæmonum ſententia fuit, vitam ducere, ac mori libenter vnuſquiſque debeat, ſi huic, & illi virtus exiſtat comes. Non eſt ille contemnendus, qui mortem fugit, quando vita ſit honeſta, & ſtudioſa. Neque mors eſt vituperanda, quam aliquis ſubit, ſi id non euenit, quia viuere tædet. Epaminondæ cui non eſt audita laus? is non tantum verbis, ſed ſui met exemplo, ceteros antecedens, animabat. Hannibal, Cæſar, ac plerique ceteri magni Duces, proprio periculo alios à timore liberabant, milites audacia armabant. Sperabit (ſpes enim audaciam parit) ſperabit autem, cum proprias vires, virtutem copiarum rationis trutina examinarit; cognoueritq. ſufficere hæc omnia ad victoriam comparandam. Spes illa, quæ his baſibus non eſt ſuffulta, nequit conſiſtere, ſed, vt ruat, eſt neceſſe. Rogatus aliquando Ariſtoteles, quid nam eſſet Spes; Vigilantium ſomnium eſſe, fertur reſpondiſſe. Scite quidem, & argute. Quemadmodum enim, dum ſomno correpti, ſomniamus, numiſmata aurea, ac argentea adinueniſſe; dignitatem, & honores eſſe conſecutos; quæ omnia falſa eſſe, ſomno experrecti, illico agnoſcimus; ita ſane, ſpe illa, quæ firmis fundamentis non eſt innixa, multa nobis metipſis promittentes, ſumma cum honoris noſtri, & facultatum iactura, in rebus magnis deludimur: ſimiles illis facti, de quibus Maro ait:

In Vit. Pelop.

Qui amant, ſibi ſomnia fingunt.

Spes illa Ducis pectus, & cor armet, quæ nō a proſpero euētu ſolo qui contingentiæ eſt partus, euenit. hic enim ſi perduret, in temeritatem, & arrogantiam mutatur frequenter; ſed, quæ ab animi virtute, & a vera rerum notitia, quæ negotijs felicem ſolent finem elargiri. hæc in periculis ſemper creſcit. (Regina omnium a Simonide

nide appellata) Ducem animat, & cordatos facit milites, videntes omnia ductoris virtute feliciter euenire. Huic ſi comes ſit proſperitas minime inſoleſcit: virtutis cum ſit proprium, exercitatione in dies magis coruſcare, ac ſplendeſcere. Rerum geſtarum experimento, aut Scripturarum lectione inſtructus, ſi velocem nouerit eſſe occaſionem, vt dicebat medicorum pater Hippocrates, caueat, ne impatientia pugnandi, nimioque ingenij acumine ſummo cum proprij Regis detrimento; præcoci, ac acerbæ occaſioni occurrat. caueat e contra, ne, animi tarditate, lente nimis opportunam recipiat. etenim qui præceps eſt, veluti qui vmbram pro corpore amplectitur, agens, omnia peſſumdat; ita, qui, tarditate nimis odibili, occaſionem prætermittit, nullum gloriæ, ac honori locum relinquit. Accipiet occaſionem, vbi, rem in tuto eſſe, negotiumque in vado exiſtere, cognouerit; vbi ſpes illa firma, certum euentum felicem, ac proſperum certe polliceri poteſt. Differet, vbi inimicum breui tempore pecuniarum, annonæ, aut alterius rei penuria, alioue incommodo, vrgentiq. neceſſitate bello finem imponere, & copias remittere cogetur, vt ſine ſanguine victor triumphum acquirat. Nouerit, quid ſit illud, quod inimico eſt formidini, quod ve illud lædere poſſit. Hac ratione facilis erit ad victoriam via, ad gloriamq. planum omnino iter. Auctoritas, niſi a propria minuatur imprudentia, militibus timendum facit Ducem a timore autem obedientia naſcitur, quæ murus eſt, & agger exercitus, contra inimicos. Clearchus, Rex Lacedæmoniorum, dicere ſolebat, neceſſe eſſe, milites non minus ſe ipſum, quam inimicos, timere. Optimus eſt cuſtos Timor rerum, quæ ei committuntur. Dux exercitus benigne tractabit milites, donis, ac muneribus, vt illorum ad ſe alliciat animos, gratiamq. conciliet. Hac ratione Alexander fortem exercitum fecit, & ad quæcunque pericula ſubeunda paratum. Procul ab illo ſit auaritia. Hæc enim gratiam exercitus aufert à Duce, & amorem militum erga eundem deſtruit. Vnde illud Mazzei ad Alexandrum: *Darius, cui iam ſeruiebam*, (dixit ille) *ſolus Darius eſſe volebat; at tu, Alexander, muneribus, efficis, vt multi poſſint eſſe Alexander, nec animi tui magnificentiæ ſat eſt, nos ditare; ſed illud maxime curas, vt tui exiſtant tales, quod ab illis ceteri etiam poſſunt locupletari*. Villas, agros, domus, cenſus proprius militibus donabat. Rem miratus Prerdicca, Regem eſt his verbis, cum fere omnes diuitias Regias diſtribuiſſet: *O Rex, quid tibi ſupereſt?* Cui reſpondit, SPES. Sententia communis eſt ſcriptorum, Alexandrum muneribus magis operatum fuiſſe; quàm Darius militibus egiſſet, ac oneribus Aſiæ impoſitis. Auctoritate autem tum ſe præbebit, vt quemuis errorem, & maxime illum, qui ad rebelliones attinet Aph. 1.

facillime

facillime poſſit coercere. Hoc fuit Cæſaris inſtitutum, qui poſt victorias militaris diſciplinæ frenum relaxabat, milites benigne, ac munificentiſſime tractabat; ſeuere illos puniebat, qui tumultus, & ſeditiones excitabant. Apud Placentiam hæc de cauſſa nonam legionem miſſam fecit: &, quamuis adhuc viueret Pompeius illam tamen, niſi precibus, & ſupplicationibus, recipere noluit. Milites ad gloriam non tantum verbis, vt retro diximus, ſed donis, ac muneribus excitabat. Creſcit virtus, præmio honeſtata, in eo, qui præclare ſe geſſit, congiario donatus. Alij, hunc æmulando, ad magna tentanda ſtimulis gloriæ incitantur. Primo autem, Dei cultus, ſummaq. Religio in illo eſt neceſſaria. Hac enim ſuffultus, exiguis copijs magnas profligabit. Hac abſente, magnæ contra minimos, aut parum, aut nihil valebunt. Ab hac illa oritur ſpes, quæ nec Ducem, nec milites fallit. Accedat huc Gedeon, Ioſue, Iudas Machabæus, ceteriq. Duces, quorum mentionem facit diuina hiſtoria; & huic veritati perhibeant teſtimonium. Paucis admodum militibus Gedeon Medianitas expugnauit, quorum multitudinem enarrans ſacer hiſtoricus, hæc ſcripſit: *Madian autem, & Amalech, & omnes Orientales populi, fuſi iacebant in valle, vt locuſtarum multitudo. Cameli autem innumerabiles erant, ſicut arena, quæ iacet in litore maris.* Innumeri erant viri illi Madianitæ, Amalechitæ, ac Orientales, a paucis tamen Gedeonis militibus, trecentis nimirum, in fugam verſi, & debellati fuerunt. Ioſue, exercitu Iſraelitico, Ierico, vrbem inexpugnabilem, diruit, ac deuaſtauit. Hai, ob ciuium, & Principis vires, formidabilem, ſubiugauit, Regem vero, bello captum, laqueo ſuſpendi imperauit, vt morte ignominioſa occumberet. Reges Amorrhæorum, Ieruſalem, Hebron, Ierimoth, Lachis, Eglon, qui copias coniunxerant, captiuos fecit, illorumque exercitum proſtrauit. Miranda geſſit Ioſue: at non minora certe magnus Iudas Machabæus, cuius nomen, & gloriam extremis terræ regionibus notã fuiſſe ab ſancta Scriptura didicimus. Congregauit Apollonius exercitum, vt cum Iuda manus conſereret. prœlium factum eſt, in quo Apollonius interfectus fuit. Militum alij occiſi, alij fugam ceperunt. Seron, exercitus Syriæ Dux, tantæ gloriæ inuidus, militum maiori numero, bellicoque apparatu formidabilis, Iudam debellare, triumphumq. de illo reportare poſſe, ſperauit. *Faciam mihi nomen*, dixit ille, *& glorificabo in Regno, & debellabo Iudam, & eos, qui cum ipſo ſunt.* Exiuit obuiam cum paucis Iudas, qui, vt viderunt numeroſam illam multitudinem, ad Iudam conuerſi, dixerunt, *Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem hanc, tantam, & tam fortem, & nos fatigati ſumus hodie ieiunio?* Quibus reſpondit Iudas: *Facile eſt, concludi*

multos in manu paucorum; & non eſt differentia in conſpectu Dei cæli, liberare in multis, & in paucis: quoniam non multitudine exercitus victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt. Copias multas, & fortes Seor aggreſſi ſunt pauci, fatigati, & ieiuni milites Iudæ. Debebant multi fortes, ſuperare paucos ieiunos. At res ſecus euenit. pauci, multos, fatigati, ac ieiuni, fortes vicerunt. Seor, fuga cu'pabili, ſe recepit octingentis militibus occiſis, reliquis vero in terram Philiſtinorum fugatis. Gorgias quinque millia pedites, & mille equites electos aggregauit, Iudamq. oppugnare tentauit, cui paucos tunc habebat milites, illoſq. inermes. Numerus erat triamillia virorum. At reiectus ipſe quoq. fuit a Iuda, bona parte militum, quos ducebat, interfecta. Mirũ profecto. Exercitus ex peditibus, & equitibus prœlio aſſuetis, armis onuſtis, exercitus numeroſus, a paucis admodum, qui nec gladios habebant, nec tegumenta, vt inquit hiſtoria, profligatus fuit. Congregauit Lyſias ſexaginta millia pedites, & quinque millia equites, hos, & illos electos. Venit in Iudæam prœliandi gratia. is quoque a Iuda decem millibus viris reiectus, & ſuperatus fuit. Silentio omitto Nicanoris exercitum, ac alios, ab hoc Duce, paucis admodum militibus, victos, & profligatos. Summa religione nitebat magnus Iudas, pro patrijs pugnabat legibus, prœliandiq. facturus initium, & ſe, & milites Deo precibus commendabat. Sanctus Chryſoſtomus de Machabæis ducibus ſic loquitur: *Cum ergo aciem dirigerent, & ſuas animas prodigerent, fundebant aduerſarios non armis fidentes, ſed loco omnis armaturæ pugnæ cauſſam ſufficere ducentes. ad bellum autem euntes, non tragœdias excitabant; non pæanias canebant, ſicut nonnulli faciunt; non conſciuerunt tibicines, vt fit in alijs caſtris; ſed Dei ſuperni auxilium inuocabant, vt adeſſet, opem ferret, manum præberet, propter quem bellum gerebant, pro cuius gloria decertabant.* In Pſal. 43.
Adſit Religio, cuncta proſpere eueniunt, paucæ ſufficiunt copiæ. Abſit Religio, omnia ruunt, nec multi ſufficiunt milites. Rabſaces, Holofernes, Nicanor, id nos docere poſſunt, ſine Religione Duces, Deiq. contemptores, quorum primus ab Angelo occiſus eſt, & 4. Reg. 19.
cum illo centum & octuaginta quinque mille viri. Holofernes dixit Achior: *Quoniam prophetaſti nobis, dicens, quod Rex Iſrael defendetur a Deo ſuo, vt oſtendam tibi, quoniam non eſt Deus, niſi Nabucdonoſor*. a Vidua Iudith miſerrime occiſus eſt, fugatuſq. exercitus, in quo erant centum millia pedites, & viginti millia equites. Prohibuit Nicanor Hebræis, ne diem Sabbathi ſollemni venerarentur officio: quemadmodum præceptum fuit illis a Deo, in rerum omnium creationis teſtimonium dicente: *Memento, vt diem Sabbati ſanctifices*. irridenſque cultum; &, Hebræis cauſſam aſſignantibus, cur ille dies apud eos magnus eſſet dixit, *Eſt*

Dominus in cælo, qui imperauit agi diem ſabbatorum, & ego potens ſuper terram, qui impero ſumi arma, & negotium Regis impleri, a Iuda Machabæo, oratione præeunte, in pugnam deſcenſuro, primus fere omnium occiſus eſt: & illa eadem die viginti quinque millia viri perierunt. Cum Eupatore pugnaturus, in campum, oratione præuia, deſcendit, triumphum reuexit, vnica nocte quattuordecim millia milites interficiens. Antiochus, Præſepolim Perſidæ veniens, inhoneſte ingreſſus, tentauit Domini templum ſpoliare: inde autem reiectus, iurauit, venturum ſe eſſe ad vrbem Solymorum, eamq. facturum Iudæorum ſepulcrum, a Deo percuſſus, fetore, ac vermibus conſumptus eſt. Talis igitur ſit Dux quem nunc adumbrate deſcripſi ac dilineaui, non autem pinxi: & is mihi detur quis honor non erit expectandus? quæ gloria non erit præſens? prudentia cuncta tractãdo, religione armatus, non tantum domeſticis, verum & extraneis militibus pugnando, res feliciter tranſiget arduis intrepidus occurret, & illos ſuperabit, atq. experietur fortunam illam, quam ſibi Deã finxit antiquitas, commentum. eſſe? Dicet aliquis, Eſt ne aliquid a fortuna. Reſpondeo: A fortuna nonnulla euenire. At, quo modo id ſit verũ, nunc eſt explicandum. Hoc ego nunc oſtendam, vt videant exercituum Duces, quam iniuſte de fortuna conquerantur, cum res contrario eueniunt. His abſolutis copijs, & Ducibus paratis, ad bella a Principibus gerenda me conferam.

Ducis prudentia ardua vinci figmentumq. eſſe Poetarum, Fortunam: & quo modo Fortuna poſsit admitti.

Caput VIII.

FOrtunam, quam tenebris inuoluta antiqua Gẽtilitas inter Deas adnumerauit, Homericum fuiſſe figmentum, nonnulli crediderunt. Id autem, ea ratione ducti, quoniam ab Heſiodo, omnium Deorum ortum ſcribente, nullam Fortunæ mentionem fuiſſe factam comperiunt; & ante Homerum a nemine quidquam de illa fuiſſe ſcriptum. ego certe, non vt ijs detraham, ſed, vt, quod ſenſerim, proferam, aliter dicendum eſſe crederem. Orpheus namque poetarum antiquiſſimus, qui quamplurimis Homerum anteceſſit diebus,

hymnum

hymnum ſcripſit in Fortunam,& e Sanguine natam fuiſſe, teſtatur illis verbis:

Sanguine prognatam, vi & inexpugnabile numen.

Cur vero ab Heſiodo nulla facta fuerit Fortunæ mentio, ad rem propoſitam non attinet huiuſmodi diſputatio. Dicam tantum, quod, vti Orpheus illam eſſe ortam ex ſanguine aſſerit, ita Homerus Oceani filiam facit. Cuius rei Pauſanias in Meſſeniacis fidē facit. In hymno in Cererem, introducit illam ludentem cum Oceani filiabus. quorum verſuum hæc eſt ſententia: *Pauſanias.*

Vna omnes vario per prata comantia flore,
Candida Leucippe, Phænoque, Electraque, Ianthe,
Melobosiſque, Tyche, Ocyrhoe, præſignis ocellis.

Fortunam Græci Tychen appellant. Siue igitur fuerit Homeri repertum, ſiue alterius Homero prioris, nullum nomen priſca illa ætas ei aſcripſit. At hæc omittantur, quæſo: nihil ad noſtram faciunt diſputationem. Fortunæ nimis attribuit antiquitas. Huius tempeſtatis hominum vulgus, magis, quam par ſit, eandem magnifacit. Aiūt vulgares, eam ius habere in actionibus humanis, in ipſiſq. hominibus. Illam extollentes, addunt, Cum libet Fortunæ, hunc extollit, illum deprimit, alium ditat, alium pauperem efficit, hunc honoribus auget, illum ignominia cumulat, vnum proſperitatibus effert, alterum calamitatibus opprimit. Pindarus vnam Parcarum eſſe dixit, ſororumq. maxime potentem. id quoque voluit Pauſanias, qui in Achaicis ſcripſit, Fortunam vnam eſſe ex Parcis, quæ viribus alias ſorores antecelleret. Orpheus quoque vniuerſæ humanæ vitæ poteſtatem ei aſcripſit, illo verſu: *Pind.* *Pauſa.*

Ipſa regis variam mortalem numine vitam.

Eo quod ſortes hominum verſet, atque diſtribuat, ciuitates, Regna ac amicitias euertat, condat, incipiat, augeat, atque perficiat, dirutas, euerſaſq. erigat. Quod etiam apud Euripidē in Hecuba legimus. *Eurip.*

Dicam viros te, Iuppiter, ne cernere,
An fruſtra eos inuaſit illa opinio,
Quod vſpiam ſit forte Dæmonum genus,
Fortuna cuncta cum regat mortalia.

Nec aliud, vt reor, nobis innuunt varia illa huius figmenti ſimulacra, paſſim picta. Bupalus, opinionem hominum ſecutus, ſollers *Bupalus.*

ac ingenioſus, in fingendis ſimulacris, templiſq. ædificandis, huius commenti ſignum apud Smyrnæos, primus omnium antiquorum finxit puellam, vertice polum tangentem, & quaſi illum ſuſtinentē, vel ſaltem fulcientem, & vna manu Amalthenm cornu habentem.

Lactant. Quod fere idem a Lactantio ſcriptū fuiſſe comperio, dū ait, Ab antiquis pictā fuiſſe Fortunā; altera manu, nauis gubernaculū ſuſtinentem; altera vero, copiæ cornu. his nobis indicantes ab hoc inani idolo mortalibus munera elargiri, facultateſq. diſtribui, in altaque ſede collocato, nobis dominari. Id quod & noſtra hac ætate, alio ſimulacro, nil ab hoc diſſentiente, ſi quod ſignificetur, aſpiciamus, fieri videmus. Fingunt nonnulli puellam in arboris ſummitate ſedentem, coronam, in capite geſtantem; in manu haſtam habentem, arboriſq. ramos illa verberantem; a quibus percuſſis, deſcendunt coronæ, crumenæ numiſmatum aureorum plenæ, ſceptra, diademata, enſes, gladij, funeſque in homines, ac mulieres, ſub arbore illa exiſtentes. Hinc querimoniæ contra Fortunam, hinc encomia, & laudes, cum aut ad exceſſum, aut ad defectum bona declinant, mortalibus conceſſa. Hinc varia eius nomina, humilis ſuperba, bona, mala, iuſta, iniuſta, prudens, imprudens; vt alter eſurit, alter abundat: vni proſpera cuncta alteri aduerſa omnia ſuccedunt. Albas partes anteriores, nigras. poſteriores habentem, vt refert Magnus Al-

Alb. bertus, finxit antiquitas. Alij adoleſcentulum orbi inſedentem volubili. Hinc Ouidius:

Paſſibus. ambiguis Fortuna volubilis errat,

2.Pont. *Et manet in nullo firma tenaxq. loco.*

Et alter:

Tibul. *Verſatur celeri ſors leuis orbi terræ.*

Figmentum fuit Poetarum iſtud, a nobis euitandum tamquam peſtis, Fortunam inter Deos collocare. Error eſt præterea id per ſe cauſſæ accidentariæ acceptum referre. quod ſi cum Mortalibus, &

Theolog. Naturalibus loquamur, nobis ac Prudentiæ eſt attribuendum; ſi cū Theologis, Cælo, Deo, & Angelis, tamquam præcipuis cauſſis eſt aſcribendum. Exploremus, quid ſit Fortuna: conſideremus ea, quibus vita noſtra ſubicijtur; & ſtatim comperiemus, hæc cum veritate

2.Phy.te.2 conuenire. Ariſtoteles in illa doctiſſima Paedia quam de ſcientia naturali in libris Phyſicis ſcripſit, de cauſſis diſſerens, vbi diuiſit agentia in ea, quæ conſilio, & electione, & quæ naturaliter agunt, & diſtribuit effectus in eos, qui raro, frequenter, ac ſemper fiunt, his ver-

bis

bis Fortunam definiuit: *Fortuna eſt cauſſa ſecundum accidens, in ijs quæ ſecundum intellectum agunt, eorum quæ propter aliquid ſunt*. Perinde, ac ſi dixiſſet. Fortunam eſſe cauſſam per accidens, in ijs, quæ raro fiunt, ab agentibus per intellectum, a propoſito, & propter finem. Eſt Fortuna cauſſa per accidens: quoniam effectum reſpicit, qui ab agente non intenditur, ſed præter intentionem illius euenit. Fodiat aliquis terram, vt fundamenta iaciat domus conſtruendæ, terram autem fodiendo Theſaurum adinueniat. Theſauri adinuentio, dicitur eſſe a Fortuna. Proficiſcatur aliquis in forum, emendi gratia obſonia; & amicum habeat obuium, quem multis annis non viderat: Fortuna dicitur id euenire: quoniam præter finem intentum id contingit ei. Quænam eſt cauſa inuentionis Theſauri, & videndi amicum? nulla certe alia, niſi idem met, qui terram fodit, qui e domo in forum proficiſcitur. Vna & eadem met eſt cauſſa horum effectuum, nimirum, terræ foſſionis. & Theſauri adinuētionis. Primi eſt cauſa per ſe: quoniam eſt ille finis intentus. Secundi autem eſt cauſſa per accidens: quoniam id ei accidit præter finem, quem ſibi propoſuerat. Theſaurum adinuenit, quem inueniendum animo non conceperat. Cum itaque exilem, ac tenuem admodum, habeat Fortuna in rebus ſubſiſtentiam, non ei primo ſunt aſcribendi effectus, ſed potius homini agenti. Adde, quod bona pars eorum effectuum, qui accepti referuntur Fortunæ, Prudentiæ potius debent aſcribi. Fortunæ nomen pluribus ſoliti ſumus accommodare. Bonorum acquiſitio dicitur Fortuna. hinc, quando hominem ditari videmus facultatibus, aut negotiationibus, aut prœlio, aut morte affinium, hereditario iure; illum Fortunam bonam ſortitum eſſe, dicimus. Fortunæ nomine facultates appellamus: quinetiam ſtatum vitæ, ac ea, quæ nobis aduerſantur. Nautæ frequenter fluctuum procellas, mariſq. tempeſtates, Fortunas dicere ſolent. Diuitias, ſtatus ſtabilitatem, facultates, nobis comparamus Prudentia, ac aduerſantia repellimus, & eis obuiamus. Quadrupliciter, ſcripſit Plutarchus, circa bona ſatagit Prudentia. Vel quærit; vel conſeruat; vel auget; vel ſapienter vtitur. Alibi quoque, virtutem hanc celebrando, ab illa, dicebat, homines fieri veridicos, audaces, prœliatores, ac tales, qui valeant praua timere, pericula ſuſtinere, & voluptates contemnere, mala eminentia euitare, accepta corrigere imminuereq. Animum demum parare ad virilem tolerantiam, loco ſuperius nunc adducto, ſcriptum reliquit. Voluntas hæc noſtra fertur in bonum. quidquid agimus, quidquid appetimus, allecti ſpecie boni, illud facimus, & deſideramus. Felicitas illa eſt, quæ nos allicit deſiderio, tamquam poſtremus finis,

Ad Apollonium.

De Aud. Po.

in quo

in quo tandem animus quieſcit humanus. Diuitiæ, ac honores, nobis ſunt adiumento, vt finem noſtrum conſequamur, licet, ſpecie recti decepti, ſæpius finem proximum, tamquam vltimum, ac nouiſſimum, ſibimetipſi conſtituant homines; e contra, malum, & impedimenta ad bonum conſequendum abhorreant, & oderint. Prudentiæ munere, quæ rerum agibilium exiſtit recta ratio, conſultamus, quærimus, reperta iudicamus, & demum, quæ inquiſiuimus, adinuenimus, &, quæ iudicauimus, accommodamus rei faciendæ, ac operationi. Lento pede incedimus conſultando. cuius rei cauſſa eſt experientia rerum, tum alienarum, tum propriarum. Alienam vitam, tamquam ſpeculum, inſpicimus, noſtramq. cum alijs comparando euadimus cautiores. Multa verſando, ac experiendo, & ſollertia media, ad opus peragendum ſubminiſtrante, quæ ſunt apta, res aggredimur. Vtimur diligenti conſilio, & vbi conſuluimus mature ſtatim, ac celeriter agimus, vt ſcripſit Ariſtoteles. Prudentia itaque rationem inimus, qua & honores, & facultates poſſimus conſequi; hacq. ductrice, has & illos obtinemus. Hæc eadem, excitat Magnificentiam; quæ, ſumptibus legem imponendo, efficit, ne male dilabantur parta, ſed vt ſeruentur, ac augeantur. Quare, ſi bona illa dicuntur Fortuna, quoniam ab illa hæc prouenire exiſtimat vulgus, & illorum acquiſitio, ac ſtatus humanæ vitæ, ſeu condicio, Prudentiæ magis, quam Fortunæ, ac malorum fuga erit attribuenda. Scythæ (ni fallor) id nobis indicarunt, Fortunæ ſimulacro ab eiſdem reperto. Fortunam adoleſcentulam pedibus carentem fingebant ipſi: hoc Idolo nos docentes, Fortunam debere pedibus Prudentiæ fulciri, & hac virtute abſente, Fortunam exinaniri. Et Seneca, vitream Fortunam nominans, idem ſenſiſſe viſus eſt. Etenim, quemadmodum corpora vitrea ſuapte natura ſunt coloris, & luminis expertia; ſi colorantur alienā pulchritudinem mutuando, apparent pulchra: ſi lumine fulgent, Solis radijs penetrantibus illa, alieno ſplendore refulgent; ita Fortuna, eiuſq. bona, a Virtute ſplendorem acquirūt. Quare, ſi cum Moralibus, & Naturalibus loquamur, Fortunam cauſſam accidentariam fatebimur eſſe, nullam admodum ſubſiſtentiam in rebus habentem: bonaq. pars illorum bonorum, quæ Fortunæ aſcribimus, Prudentiæ erunt accepta referenda. Verum, his relictis, Theologos adeamus. Sanctus Thomas, contra Gentiles diſputans, oſtendit, quæ a Fortuna prouenire dicimus, eadem ad Deum, ad Angelos, ad Cælum fore referenda; quæ ve nobis contingunt præter intentionem, & (vt dicitur) fortuna, hæc a ſuperioribus cauſis intendi. hoc, exemplo illuſtrat: deinde doctiſſime, vt ſolet, veritatem hanc patefacit. Inquit: *Sicut, ſi Dominus præcipiat ſeruo alicui, quod vadat ad aliquem locum, quo ipſe alium ſeruum iam miſerat, illo ignorante*

Seneca.

3. Cap. 92.

rante: inuentio conſerui eſt pręter intentionem ſerui miſſi, non autem præ ter intentionem domini mittentis. Talis effectus, qui vni, ideſt cauſſæ inferiori, non eſt intentus, ſuperiori eſt intentus, effectus qui inferiori eſt ignotus, ſuperiori eſt notus. Ad cetera illuſtranda accipit hoc, quod in nobis tria ſunt cōſideranda. Corpus, intellectus, & volũtas. Quorum ratione tripliciter ordinamur. Si corpus aſpiciamus, ſub corporibus cæleſtibus. ſi intellectum, ſub Angelis. ſi voluntatem, ſub Deo. Sunt hæ tres cauſſæ, ſuperiores cauſſæ, quæ omnes, operantur ad hominis electionem; verum, vti ſunt inter ſe differentes, ita diuerſa eſt illarum actio. Deus directe agit ad hominis electionem. Angelus per modum perſuadentis: (verbis illius vtor) corpus cæleſte per modum diſponentis, quatenus corpora illa diſponunt ad aliquas electiones, ſibi vtiles. Hæc itaque cum ſic ſe habeant, quando aliquis cæleſtium corporum impreſſione, aliarum ve cauſarum ſuperiorum his, quos diximus, modis inclinatur ad aliquas electiones ſibi vtiles, quarum vtilitatem propria mentis indagine minime cognoſcit, lumine autem intellectualium ſubſtantiarum eius intęllectus illuminatur ad eadem intelligenda: ac, diuina operatione inclinante, voluntas illius ad aliquid vtile ſibi inclinatur; is dicitur bene Fortunatus. ex hac Beati Thomæ doctrina colligere poſſumus, impulſus illos (vt ita dixerim) voluntatis, electiones, ac operationes, quibus nobis bona inopinata contingunt, quæ Fortunæ ſolent a vulgo attribui; Deo, Angelis, & Cælo eſſe aſcribendos. Imprimit Cælum, Anelus ſuadet, Deus voluntatem perficit. Quæ ignota ſunt nobis, cauſſis ſuperioribus ſunt patentia. Iam vero, vt receptui canamus, ſit Dux exercitus Deo carus, Angelis gratus, is bene fortunatus erit. Qua in re ſapienter mihi viſus eſt ſenſiſſe Euripides. qui inſanientis, ac furentis perſonam introducens, Fortunam rerum dominum facit, alibi ſapientioris mentis ſuſtinens perſonam Deos Fortunæ moderatores facit illis carminibus: *Electra.*

Deos putato Electra Fortunæ prius
Iſtius auctores fuiſſe poſtea
Laudato Fortunæ miniſtrum me Deum.

Et Theognis bonorum omnium ac malorum; diuitiarum, & paupertatis Iouem datorem canit, Orphei ſententiam irridens, qui omnia Fortunæ dedit: *Theognis.*

Iuppiter huc, illuc, interdum pondera flectit,
Nunc dat diuitias; nunc dat habere nihil

His

His de cauſis, nunc dictis a Beato Thoma, & a Philoſophis, bene fortunatū dicere poſſumus SERENISSIMVM ALEXANDRVM FARNESIVM, Parmæ, & Placentiæ olim Ducem magnanimum, cuius memoria ſit in pace; Princeps qui admirandus extitit, & Dux inuictiſſimus, Italiæ ſplendor, Europæ lumen clariſſimum. mortuus, numquam moriturus. nunquam victus, ſed ſemper victor. Numquam pauidus, ſed ſemper fortis. numquam ſine gloria, ſed. ſemper honore Clarus. Prudentia res aggreſſus, illas prudenter tra ctabat, atque, cum prius ſecum mature, quæ poſſent euenire præ. uidiſſet, præſentia & præterita ſecū excogitādo illaq. cōparando, nil fere inopinatū, nihil repentinum contingebat. Quod ſi quid ex improuiſo accidebat, animi ſollertia adeo promptus erat, vt ea moderaretur, tamquam manifeſte præuiſa. Animi fortitudine, quæ aduerſa non ſuperabat? numquam animo fractus, numquam timidus, numquam impatiens. exemplum factum eſt aliis, vt nullus eſſet formidini, & impatientiæ locus. magnificentia, & liberalitate animos hominum ita ſibi deuinxerat, vt humanorum cordium eſſet poſſeſſor. Milites, quos artē bellicam, & diſciplinā, docuerat & in ea abſolutiſſimos fecerat, honoribus, ac præmijs ſic obſequentes ſibi, & promptos reddiderat, vt, nutibus imperando, quæ ardua, ac impoſſibilia videri poſſent, facillima, nedum poſſibilia, ab illis haberentur. Hos armis indutus antecedens ad pugnam animabat, quos antea ore ad gloriam inflammarat. Laudat antiquitas exercituum Imperatores ſuos, noſtra hæc ætas ſummopere gloriatur tanto Duce, in quo virtutes omnes enituerunt. Præclara geſſit Alexander Macedo, verum non admodum prudenter. Sæpe inopinate potius res bene gerebantur, quam prudentia. Et Plutarchus ſcripſit viſum fuiſſe aliquando Regem hunc a Fortuna (verbis illus vtor) ſtultum ductum, non autem a conſilio. Non ſic a Sereniſſimo Duce iſto. Nihil imprudenter, ſed conſilio, & arte omnia ſunt facta. Geſſit præclara Hannibal. Ter Romanas fregit vires: at, quæ nouiſſime ab illo ſunt acta, obſcurarunt, ac denigrarant prima. In hoc Duce inuictiſſimo prima clara; media ſplendidiora, nouiſſima celeberrima, & illuſtriſſima. Magna prima maiora media, maxima illius nouiſſima facta fuerunt. Cunctando Fabius dicitur viciſſe Hic cunctando, pugnando, prœliando, eo moderamine, vt nec celeritas facta abortiua pepererit; nec nimia maturitate tarditas opportunam occaſionem amiſerit. Pompeus vincere aliquando no uit: at ignorauit proſequi victoriam. Sapientiſſimus iſte Princeps virtute adipiſci victoriam, & eadem duce illam poſſidere optime nouit. Claruerunt alij Duces corporis robore, alij ingenij viribus. in hoc, animi, & corporis vires enituerunt. polluit ingenio, valuit

ſuit corpore. Cui non ſunt huius admirandi Ducis auditæ vigiliæ, noti labores, ſudores proprij corporis, ac magna reperta? quid non eſt molita mens illius fecunda ingenioſiſſimis inuentionibus? Celebres ſunt nonnulli, quoniam in aquis machinas adinuenerunt, quibus ſe ipſos tuerentur, & inimicos læderent. *Diuerſa ab alijs virtute pollemus*, dixit ſtrenuus ille magnus miles, qui patriam meam Rauennam a Gaſtonis armis, & impetu, curribus quibuſdam, licet incaſſum, liberare nixus eſt, eo quod artem adinueniſſet agendi cuniculos in aquis. quæ machinamenta ad aquas, & terras attinentia non adinuenit ſtudioſiſſimus, & in Mathematicis abſolutiſſimus iſte Princeps? Nouit Antuerpia, nouit Gallia Belgica, nouit & alia Gallia, qua magna vteretur arte in obſidendis, pugnandis, & euertendis ciuitatibus, ac locis munitiſſimis, in conſtituendis aggeribus, in lædendis inimicis, ad ſuiq. exercitus tutelam. Numquam eſt caſtrametatus ſine loci lucro, & inimicorum iactura, non alieno conſilio, non ope aliorum; ſed propria arte proprijq. ingenij ſtudio, atque virtute. Honorum non fuit ambitioſus, ac nimis auidus: ſed magnanimitate, ea fuit contentus gloria, quæ propria virtute eſſet comparata, & quæ ei nullo modo poterat denegari. Summa fide inuictiſſimo, ac potentiſſimo Hiſpaniarum Regi ſeruiens, non more mercenarij, ſed liberaliter, omni ſtudio, ac virtute, vti propriam vitam millies pro tanto Rege morti expoſuit, ita armis onuſtus pro illa Regia Maieſtate, corpore fere deſtitutus, animo indefeſſus, felicem animam Deo reddidit. Facta non commemoro, aliaue ſilentio venerando inuoluo. quis nam eruditus ornate illa explicabit? quis eloquens diſerte pronuntiabit? quis calamus ea ſcribere, ea quæ decet ſtyli grauitate, maieſtate, & candore? quis ingenio pollens tantarum rerum narrationem abſoluere poterit? Humeros conſului meos: noui quid valeant ferre, quidue recuſent. Dicam ſolum, ſatius eſſe, me ſilere, quam de tanto Sereniſſimo Principe exigua loqui. Ceterum, quoniam ſatis hactenus ſumus digreſſi, illo reuertamur, vnde oratio defluxit, ad bella ſcilicet, quæ a Principibus indicuntur, atque geruntur.

De bellis indicendis. & an Princeps proprio iure bellum indicere poſsit.

Caput IX.

PRudentia, virtus, de qua proxime locuti ſumus, cum ſit humanarum actionum norma, hominibuſq. vitæ regula, lex, quæ ſeruata ducit ad felicitatem, docet, vt ad illam, tamquam ad filum, noſtræ referantur actiones, ac præcipue illæ, quæ maioris ſunt põderis, & ad populos, ac reſpublicas attinentes. Harum omnium maxima cum ſit bellum, quo vexantur Reſpublicæ, populi magna ſubeunt pericula. ſacra, ne dum profana patiuntur detrimentum. ideo caute indicendum, & ſumma prudentia gerendum, tandemq. perficiendum. Atqui, ſi homines, priuata negotia pertractantes, ſatagunt, ne aut verbis, aut ſcriptis, adeo deuinciãtur, ne cogantur ſummo cum periculo bonorum, vel vitæ, ſuſceptæ contentioni magis tribuere, quam propriæ exiſtimationi; multo ſane magis vigilare debet, & ſumma ope niti Princeps, ne, dum ſtudeat, parua, & quæ nullius fere ſunt ponderis, acquirere, aut nimia quadam animi anxietate ſeruare, magna amittat, vel, cum periculo honoris proprij, contentionibus ſe ſubijciat. Quemadmodum enim vſu ſæpe ſolet euenire, eo trahimur eundo, quo peruenire nõ exiſtimabamus, & negotijs illum imponimus finem, & in rebus tractandis ad eam peruenimus metam, quam nec putaueramus, nec mente conceperamus: ita in bellis indicendis, & gerendis, credere debet Princeps, incertum eſſe euentum. Eumque meminiſſe oportet, iurgia, contentiones, lites ac certamina, igni eſſe quam ſimillima: cuius initium vti pendet a noſtra voluntate, (in nobis enim eſt, vt accendatur,) ita, vbi vrere cœperit, ſuſceperitq. incrementum, haud facile, ſed incommodo, & labore extinguitur: ita extinctio & finis belli a noſtro non ſemper dependet arbitrio. Cæſar Auguſtus, tanto nomine dignus, lites, contentiones, odio habuit ſemper; neque, niſi ſumma neceſſitate, bella eſſe indicenda aiebat, vt refert *Eutropius Lib.7.* Eutropius, damnabatq. illos Principes, qui, ſpe gloriæ allecti, & triumphi cupidi, bella exercitant, & illa gerunt. Hæc ſunt hiſtorici huius verba, de Cæſare ſcribentis: *Adeo denique turbas, bella, ſimultates, execratus eſt, vt, niſi iuſtis de cauſſis, numquam genti cuiquã*

bellum indixerit; iactantiſq. ingenij, & leuiſſimi dicebat, ardore triumphandi, & ob Lauream coronam, ideſt folia infructuoſa in diſcrimen venire per incertos euentus certaminum, ſecuritatem ciuium praecipitare. Neque Imperatori bono quidquam minus, quam temeritatem, congruere: ſatis celeriter fieri quidquid commode gereretur. armaque, niſi maioris emolumenti ſpe, nequaquam mouenda eſſe, ne, compendio tenui, iactura graui petita, victoria ſimilis ſit hamo aureo piſcantibus, cuius abrupti, amiſſiq. detrimentum nullo capturae loco penſari poteſt. Haec Eutropius. Bella indicuntur frequenter, vel aliena poſſidendi, vel propria ſeruandi, vel iniuriae vlciſcendae gratia: vt iam iam nec obſcure conſtabit. Si aliena occupandi cauſſa ſit proelium, dubium certe non eſt, in Principis poteſtate eſſe conſtitutum bellum; atque ſine illis eũ viuere poſſe, dummodo Proprius ſtatus, atq. condicio a talibus non dependeat. In hoc enim euentu laudem in bello indicendo, vituperium negligenter occaſionem omittendo merebit. ſiquidem bello victoriam acquirere, proprias res ponere in tuto nitetur. haec autem tunc ſi negligat, aut agendo negligenter agat, inſipientia nõ caret. *Qui enim ſibimetipſi prodeſſe neſcit, ille proculdubio nequaquam ſapit.* Faciamus etiam, eſſe, quod, bellum tunc gerendo, non vincat: hinc non eueniet, vt condicio illius fiat deterior. Quod ſi vlciſcendae iniuriae gratia, arma moueantur, licet iuſta ſit cauſſa, rectius tamen ſibi, ac populis conſulet, appetitum vindictae moderando, prudenter tentando, vt aliqua honeſta ratione compenſetur iniuria, vel ſimulando, vt lis dirimatur, bellumq. euitetur. Etenim bella, ſuapte natura, dubias habent ſortes; tum quoniam nec, quid paritura ſit dierum futura ſeries, Dux militum poteſt cognoſcere; tum etiam, quia raro euenit, vt ea geratur ratione bellum, quam nos ipſi initio excogitauimus. Multa in progreſſu belli tempus affert, multa inimicus, multa rerum euentus, multa Ducum exercitus prudentia, & imprudentia, quae proculdubio animi noſtri cogitationes fugerant. Ad haec, vt in manu Regis eſt belli initium, ita finis, vt nunc diximus, ab alieno pendet principio. Eſto etiam, quod multa mente reuoluat, multa machinetur, multa ve ſibi promittat aduerſantia qui bellum eſt incepturus: numquam tamẽ finem cognoſcet, nec dubiae ſortis locum auferre poterit. recte ſibi conſulet, ſi cuncta diligenter conſiderabit, vt omnibus proſpicere poſſit. cogitabit ſecũ Princeps numerum militum, tum peditum, tum equitum; ſumptus ad ſtipendia illorum neceſſarios, qui ad tormenta bellica vulgo bõbardas dicimus, attinent. Sic etiam docuit Saluator noſter in Euangelio, vt ſcripſit Euangeliſta Lucas: *Aut quis Rex iturus* dicebat Dominus noſter *committere bellum aduerſus alium Regẽ, non ſedens prius cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti milli-*

bus venit ad ſe? alioquin, adhuc illo longè agente, legationem mittet, rogat, quæ pacis ſunt. Nouerit, nec tutius, nec maiori emolumento inimicos aggredi poſſe, quam in ijs locis, ac partibus, in quibus a nemine offendi poſſe, ac tutos ſe eſſe exiſtimant inimici, ac illos, qui fruuntur proſperitate. etenim, ſicut Veritas parit odium (vt dixit Comicus) familiaritas contemptum; ita proſperitas luxum, animique mollitiem, ſecuritas periculum. Hannibal, dum laboribus eſt deditus, omnibus eſt formidini dum delicijs eſt intentus robur, atque fere ſeipſum amittit. Antiochus, cum vaſa aurea etiam coquinaria, in exercitu fieri iubet, inimicis victoriam parat. Sibaritarum Principes, dum, luxui dediti, equos binis pedibus ad tibiam ſaltare aſſueſcunt à Crotoniatis miſerrime vincuntur. Securitas vero periculum, vt diximus, parit. Cuius rei legimus teſtimonia quamplurima apud Plutarchum, Polybium, Liuium, ac alios. Meminerit victoriam obtineri grauiſſimis periculis, multiſque exantlatis laboribus, magnis ue ſumptibus, nec ſine populorum incommodis, oppidorum, ciuitatumque iactura. Hæc vero quid laudis poſſint afferre, vnus quiſque videre poteſt. Victoriam obtenebrant, Laudem imminuunt Principis magni ſumptus, quibus ærarium fit exhauſtum, & populi diuitijs amiſſis, pauperrimi euadunt. Sanguis effuſus militum, diruta mœnia, mærore lætitiam opprimunt. Quod ſi aduerſo rerum euentu ſuperabitur, perpetuo inglorius viuit, & omnibus fit contemptibilis. *Non eſt Sapientis, dicere, Non putaram*. Fama, quam alatam vterque Poeta facit, geſtis ſæpe non contenta, illis addendo, ſi magna agimus, maiora, & excelſiora; ſi infima, abiectiora prædicat, Hæc eadem, quæ male geſſimus, vel potius infeliciter eueniunt a nobis imprudenter tractata, inſipienterq. acta fuiſſe, ſumma noſtri contumelia, vbique clamat. Nouiſſime, maiorem ſemper vnuſquiſque Principis prudentiam, & virtutem, exiſtimabit, quæ ſua ſunt, ſeruare, quam aliena inuadere, quodue faciliori negotio, minoriq. labore res acquiruntur, quam ſeruentur. Atque cupidi rerum nouarum, dum credimus condicionem noſtram meliorem facere, deteriorem eam reddimus ſtatumue noſtrum in fortunatiorem, & locupletiorem mutare, in peiorem vertimus. Longum eſt tempus, quo laborat Princeps in rebus ſeruandis, exiguum in acquirendis. multa facillime fuerunt armis comparata, quæ magnis ſumptibus, vigilijs, ſudoribus fuerunt conſeruata. Hominis virtus, eſt huius naturæ, quod certis clauditur terminis, breuiq. temporis interuallo operatur recte, ac diligenter; temporis vero ſucceſſu, debilior euadit. Hinc fit, vt diu permanere (quæ noſtra eſt calamitas) vix permittatur, ſi leges naturæ aſpiciamus. Hinc ſequitur, vt ea, quæ noſtræ fidei commendan-

Teren.

mendantur, difficillime permaneant; & tum ob hæc, tum ob immmentia pericula, in tuto ſtatu non poſſint perdurare. Verum, ſi aliqua ſumma neceſſitate compulſus Princeps bella velit excitare, militiæ diſciplinam recte calleat, tum ipſe, tum Dux exercitus, & milites ſint optime diſpoſiti. Militiæ Princeps artem debet ſcire, militariq. diſciplina imbutus eſſe, niſi velit Ducum ſuorum, ſeu Centurionum, ac ductorum eſſe miniſter, & ex domino mutari in ſeruum. Talis proculdubio fiet, ſi negotium, quod tractatur, & res, quæ geruntur, a miniſtrorum voluntate pendebunt, ipſe vero ſimilis Elitropiæ eo ſe vertet mente, quo miniſtri declinabunt. Principis præſentiam opportunam eſſe, ne dixerim neceſſariam, arbitror. Cum enim quotidie noua emergant, nouis remedijs indigentia, leges autem, ac præcepta, vniuerſales aſpiciant euentus; ſi Princeps adſit, facillime illis conſulitur. &, ſi abſit, miniſtri ancipites mente, inimicum reddent fortiorem, ac promptiorem, occaſione prætereunte, ac celerrime fugiente, quæ cœptis annuit, & fauet negotio. Milites diſpoſiti debent eſſe, vt, dictis obtemperantes Ducum, celerrime faciant, quod iubetur, & perite exequantur mandata. Mutationes repentinæ, quibus Duces exercitus populos inuaſerunt, innumeras propemodum pepererunt victorias. Et, ne longius exempla quæ ad ſunt, petantur, Gaſton ille Fois, qui Rauennam obſedit, in illaq. obſidione prœliando, occiſus fuit, præcipuas, aut ſaltem meliores Italiæ vrbes, ex improuiſo aggrediens, obtinuit. Quid mirum, obſecro? animi noſtri, hac carnis ſarcina onuſti, ſenſibus miniſtris operantes, temporis lapſu, non momento agunt; varijs rebus ſimul, ac ſemel nequeunt eſſe intenti: iccirco, cum repente ciuitatem inuadit Dux exercitus, rector illius, ac populus, quid velit agere inimicus, ratione attingere nequit. Quod etiam ſi nouerit; vires parare, & inimicis obuiam ire ſaltem, non poterit. Gedeonem Madianitas hoc modo ſuperaſſe legimus: multoſque alios fuiſſe victos, teſtantur hiſtoriæ. Adſit celeritas: prope eſt victoria. abſit hæc: dubius eſt euentus, & forte iactura. Proderit autem, ni fallor, inimicos non paruipendere, ſed viros ſummæ audaciæ, ac virtutis illos habere. Hoc vero ita ſibi perſuadebit Dux exercitus, vt etiam locum relinquat ſpei illos vincendi, exiſtimetque, eos poſſe errare. Horum primum, diligentes, prouidoſque facit homines. Secundum, animoſos, & audaces, ac impauidos reddit. Quod ſi contra fieret, in puſillanimitatem incidens exercitum exanimaret. propriæ imbecillitatis haud ſit immemor, cuncta aſpiciat, quæ ſunt infirma agnoſcat, illa roboret, illis ve proſpi-

ciat. vt prudens, ac fortis, bellum incipiat, gerat, abſoluat. Hanc ob cauſſam a Rhodiorum nuntio Romanos legimus fuiſſe commẽdatos. Sic ille locutus fuit: *Romani, non tantum bellorum exitu, quod vincatis, quam principio, quod non ſine cauſſa ſuſcipiatis gloriamini*. Quæ vero ſint iſtæ cauſſæ, nunc aperire incipiamus.

De iuſtis cauſsis Belli.

Caput X.

IVſtũ adoritur Princeps bellum, ſi belli iuſtæ ſint cauſſæ. Sanctus Pater Auguſtinus, non ſemel, ſed pluries, de hac re diſputans, lectorem certiorem facit, quæ bella iuſta dicantur, nimirum ad Bonifacium, contra Manichæos, de verbis Domini, de diuerſis Eccleſiæ obſeruationibus. Ad Bonifacium ſcribens, oſtendit, artem militarem non eſſe culpabilem, quomodo ue bellum ſit gerendum. Primum quidem, quoniam Dauid Rex, & Centurio ille Euangelicus, ſancti extitere. Secundum, quoniam, cum fortitudo a Deo ſit elargita, cogitare debet miles, quando armatur ad pugnam, dono a Deo accepto, contra Deum omnino non debere vti. Fides enim, dicebat ille, quando promittitur, etiam hoſti ſeruanda eſt, contra quem bellum geritur: quanto magis amico, pro quo pugnatur. Pacem habere; voluntatis eſt: bellum autem debet eſſe neceſſitatis, vt liberet Deus a neceſſitate, & conſeruet in pace. Non enim, addebat ille, pax quæritur, vt bellum exerceatur; ſed bellum geritur, vt pax acquiratur. Hortabatur Ducem illum, vt hac lege, eo ve ſcopo pugnaret, & inimicos vinceret, vt ad pacis vnitatem vincendo perduceret. Contra Manichæum, docebat bellum non eſſe culpabile: quia moriuntur homines, quos aliquando morituros eſſe, nullus negabit; vt, qui victuri ſint, alijs dominentur in pace. Non eſt religioſi, ſed timidi, hæc reprehendiſſe. Nocendi cupiditas, vlciſcendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas bellandi, libido dominandi, & ſi quæ ſimilia, hæ ſunt, quæ in bello iure culpantur. At, ſi quis arma capiat, pacis gratia, & vt quæ nunc memorauimus, vitia puniat; is & inculpabile bellũ geret, iuſteq. pugnabũt milites, aut Dei Optimi, & Max mi, aut Principis iuſſu. Hoc ſẽſit de militia Baptiſta IESV Chriſti Domini noſtri. Qui milites ad ſe venientes, & interrogantes, quidnam illis faciendum eſſet, vt animæ

ſaluti proſpicerent, ita eſt allocutus: *Neminem conuiciatis, neque calumniam faciatis ſed eſtote contenti ſtipendijs veſtris.* Non iuſſit, vt ab armis diſcederent, ſed vt proprijs eſſent contenti ſtipendijs. Hæc omnia concludens magnus ille Pater aiebat, bella fore inchoanda Principis dumtaxat auctoritate, ſiue bonus, ſiue improbus exiſtat, dummodo iuſte pugnet. Tunc enim eſt ei parendum. De verbis Domini, vt alibi innuimus, eandem cauſam agens, hæc ſcripſit: *Militare non eſt delictum: ſed, propter prædam militare, criminoſum eſt. Nec Remp. gerere, criminoſum eſt; ſed, ideo gerere Remp. vt diuitias augeas, videtur eſſe damnabile. Propterea enim quadam prouidentia militantibus ſunt ſtipendia conſtituta, ne, dum ſumptus quæritur, prædo graſſetur.* De diuerſis Eccleſiæ obſeruationibus ſic ſcripſit: *Apud veros Dei cultores etiam ipſa bella pacata ſunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate, ſed pacis ſtudio, geruntur, vt mali coerceantur, & boni ſubleuentur.* Quæ omnia relata leguntur 23. q. 2. cap. Noli exiſtimare, c. quid culpatur in bello, cap. militare non eſt delictum, c. apud veros. Ex quibus omnibus locis colligitur, a quo, & quibus de cauſſis, arma ſint mouenda, quæ ve bella ſint iuſta. Ab hoc magno Patre doctores eruditi, iuſti belli cauſſas, & definitiones, aſſignarunt. Archidiaconus ſic bellum definiuit. *Iuſtum bellum eſt illud, quod auctoritate Dei, vel Principis geritur a conuenienti perſona, contra inuaſores, & oppreſſores boni ſtatus Reipublicæ, non humana cupiditate, ſed Amore pacis habendæ, & communis ſalutis procurandæ.* Hæc Archidiaconus, Patrem Auguſtinum ſecutus, omnia ab eo mutuando. Alij vero ſic definiunt: *Bellum iuſtum, eſt, quod, interueniente legitima auctoritate, ex cauſſa iuſta, intentione recta, cum moderamine debito geritur.* Quæ definitio tum ex Sancto Auguſtino, tum ex Beato Thoma de bello diſputante colligitur. Qui vir ſanctus, illud bellum iuſtum eſſe ſcripſit, quod geritur auctoritate Principis, cauſſam habentis iuſtam, recta intentione; hiſq; effici, vt iuſtum dicatur prœlium. In hac poſtrema definitione tria illa ſunt collocata, quæ prius dicta ſunt. vltimum ab Attaxano fuit adiectum, vt refert Gabriel Biel Sentent. Quarto. His non contenti Goffr. & Raimundus, addunt rem, & perſonam. Quinque aiunt requiri, vt bellum dicatur iuſtum, rem ſcilicet, perſonam, cauſſam, animum, & auctoritatem. Verum, ſi quod ſentio, libere protulerim, incaſſum facta eſt additio. Etenim perſona, auctoritatem; cauſſa autem, rem exprimit: vt iã iam fiet conſpicuum. Dicamus igitur, cum Sancto Thoma, loco, quẽ nunc adduximus, tria requiri, vt bellum ſit iuſtum. Primum quidẽ, Principis perſonam, cuius auctoritate, ac mandato, bellum eſt gerendum. Nec enim priuati hominis intereſt, eiuſq. munus exiſtit, bella excitare, armaq. prœliando mouere. Poteſt ſiquidem ius ſuũ

Luc. 3.

Tract. 19.

In Decr.

Archi.

2. 2. q. 40. *ar. pri.*

Attaxanus
Biel.
Diſt. 15. q. 4
Goffr.
Raim.

proſequi, cum Iudicis habeat tribunal, vbi ius redditur, & quod ſuum eſt, vnicuique. Ad hæc, Principibus Reip. cura eſt demanda ta, ciuitatis, & Regni, ſeu Prouinciarum, quæ ſubduntur eidem. eius eſt, hanc ob rem, ſubiectos tueri, eoſq. protegere, non tantum ab ijs, qui intus exiſtunt, ne lædantur, ius exequendo, (gladium enim

Ad Ro. 13 portat, vt dicebat Sanctus Paulus, huius poteſtatis ſignum) verum etiam ab ijs, qui foris exercent inſidias, & perturbant. Id Pſaltes

Pſal. 81. voluit verbis illis: *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris li*

Lib. 22. ca. 74. *berate.* Et Pater Auguſtinus contra Fauſtum ſcripſit: *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus, hoc poſcit, vt ſuſcipiendi belli auctoritas, atque conſilium, penes Principem ſit.* Ad Principem igitur ſpectat ius bellum indicendi; iureq. principatus hoc ei congruit, non autẽ ad perſonam attinet priuatam, quoniam, vt diximus, priuatus, id quod ſuum eſt, conſequi poteſt in foro, in quo iudex mandat, tribui, iuſtitia hoc iubente, vnicuique, quod ſuum eſt. At, cum Princeps

2.2. q. 40. ar. pri. huiuſmodi careat fori iudice; vel ſaltem, vt inquit Illuſtriſſimus Caietanus, quoniam Princeps ſit Reipublicæ caput, quæ vero perfecta eſt Reſpublica, eſt ſibi ſufficiens, at ſibi ſufficiens exiſtit, cum extraneorum populorum vindicare poteſt iniurias illatas, ne inulti permaneant extranei delinquentes, ne ve ratio naturalis deficiat in neceſſarijs, poterit indicere bellum. quare primo auctoritas Principis requiritur. Addatur his, quod, cum bellum indicitur, armaq. mouentur, conuocatur populi multitudo. Iam vero, ſi populus eſt vocandus, ſuperioris auctoritas eſt neceſſaria non autem cuiuſuis, ſed eius, qui Cæſarea, aut Regia præditus eſt poteſtate, qui ve ius proprium exequendo, a nomine dependet. Secundo, iuſtas oportet adeſſe cauſſas. Quæ autem iuſtæ ſint cauſſæ, petendum eſt a Sancto

2.2. q. 40. ar. 1. Patre Auguſtino, & Beato Thoma, loco quem retro adduximus Pater Auguſtinus, in libro octuaginta trium quæſtionum, aiebat: *Iuſta bella ſolent definiri, quæ vlciſcuntur iniurias, ſi gens, vel ciuitas plectenda eſt, quæ vel vindicare neglexerit, quod a ſuis improbe factum eſt; vel reddere, quod per iniuriam ablatum eſt.* Ad tria rediguntur capita cauſſæ omnes; vel ad defenſionem; vel ad correctionem; vel ad recuperationem. Defendendo religionem, leges diuinas, bonaſq. inſtitutiones. His de cauſſis pugnauit Iudas Machabæus, eiuſq. milites, & ſectatores. Moriens Mathatias, his verbis eos eſt allocutus: *Nunc ergo, o filij, æmulatores eſtote legis & date animas veſtras pro teſtamento patrum veſtrorum?* Deinde, paucis interpoſitis, teſtamento finẽ ſtatuens, adiecit: *Et Iudas Machabæus viribus fortis iuuentute ſua; ſit vobis Princeps militiæ, & ipſe aget populi bellum: & adducetis ad vos omnes factores legis; & vindicate vindictam populi veſtri, retribuite retributionem gentibus, & intendite in præceptum legis.* Capite ſecundo, ob

hanc

hanc cauſſam ab iſto Duce fuiſſe bellum indictum, docet hiſtoria. Hoc etiam conſilio pugnauit Gedeon, cum Madianitas expugnauit, gentes Idolatras. Spe magna Duces, ac milites tunc affecti, operabantur miranda. Etenim, cum Dei cauſſa agitur, ab vno mille viros fugari, cecinit Dauid. Iudas, exiguo militum numero, exercitum inimicorum numeroſum debellauit. Gedeon, paucis admodũ viris, Madianitas innumerabiles vicit. Dixit cæleſtis nuntius: *Ego ero tecum, & percuties Madian, quaſi virum vnum.* Res geſta hæc declarauit, nam tercentis viris, vt ſupra diximus, Madianitarum caſtra, in fugam verſa ſunt, miſerrimeq. perierunt. Qui etiam pro patria contendunt, ij, cum aliena non inuadant, ſed lege naturæ docti, vim illatam vi repellant, magnam victoriæ concipiunt ſpem obtinendæ. præter quod amor ille, quo vnuſquiſque proprium amat locum, fortes efficiat milites. Criſpinus Romanus, Conſul, Aquileienſes ad prœlium animauit milites, illorumq. voluntates, & animos, iam deficere incipientes ab eo, firmauit, ac in ſui gratia, & amore ſtabiliuit. Oppreſſa erat obſidione Aquileia, magnitudine Vrbs olim memoranda, populo abundans, & velut Italiæ emporium, ad mare collocata, partiſq. illius Europæ, quæ ab Iſtria, Myſia ſuperiori. & Macedoniæ parte, quæ mari incumbit, terminata Illyria dicta, vulgo Sclauonia, veluti terminus, & oſtium, a Maximino. Cuſtodiebatur a Criſpino. Miſit nuntios Maximinus ad ciues vrbis, pollicitationibus illos placare, & ſuos facere ſperans. Aures taciti dederunt nuntiorum Maximini vocibus Aquileienſes. Re cognita, Criſpinus, homo omnibus gratus, ac Romana facundia pollens, vt Herodianus ait, Aquileienſium animos firmauit titubãtes. Sic ſcriptum legimus apud eundem: *Qui autem pro patria pugnant, præter quam quod ſpe meliore eſſe debent, neque aliena occupare, ſed tueri ſua contendunt, etiam animo ſunt maiore, vt quos non alienum imperium, ſed ſua quemque neceſſitas adigat. quoniam ſcilicet victoriæ fructus ipſis potiſſimum debeantur. Talia quædam nunc ſingulis, nunc vniuerſis ingerens Criſpinus, homo ſuapte natura venerabilis, ac Romana facundia pollens. præterea gratus omnibus, miti, modeſtoq. Imperio, perſuaſit multitudini, vt in officio fideq. permanerent. iuſſitque, legatos, rebus infectis, ad Maximinum reuerti.* Hæc Herodianus. Pro patria igitur cum certatur, amor ille, quo omnia proprium diligunt locum ſuadet, hortatur, impellit, auſus quoſdam inopinatos ſubminiſtrat, ad acerrime pugnandum, ad pericula ſubeunda, ad prodigendum noſmetipſos. Corrigendi autem gratia, iuſte pugnat Princeps, non tantum contra populos, a ſe deficientes, verum multo ſane magis contra illos, qui a Deo Opti. & Max. ac a fide Euangilica deſiſcunt. Nulla maior eſt culpa, læſæ maieſtatis Diuinæ cri-

Herod. li. 8

 mine.

mine. Hoc peccant hæretici: iccirco contra illos pugnatur iuſte: ſunt correctionis indigentes. hi ſunt, contra quos iuſtiſſime pugnatur. Morbus iſte, hæc peſtis, plaga huiuſmodi, vulnus tale, nimis periculoſum, ferro, igniq. eſt curandum. animi ſæuitia, clementia debet dici. Qua in re Lipſium non audio, qui ciuilis doctrinæ libro qnarto, vbi de ijs, qui contra religionem peccant, diſputat, ait, hæc tolli docendo, iubendo, mouendo magis quam minando. Veritas eſt apertiſſima. nullus, niſi pertinaciæ, hac tempeſtate noſtra relinquitur locus. ideo potiſſimum armis, igneq. certandum eſt. Atqui non tantum hi ſunt bello iuſto oppugnandi, verum qui populis uim inferunt, eos laceſſunt iniuria, a propriorum ue bonorum poſſeſſione perturbant, ac nobis officere poſſunt, in ijs, quę attinent ad Dei cultum. Quæ omnia ex Scripturis ſacris facillime colliguntur. Deuteronomij vigeſimo, bellandi normam populum Iudaicum docens Dominus, hæc locutus eſt: *De ijs autem ciuitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere, ſed interficies in ore gladij, Hetheum videlicet, & Amorrhæum, & Cananeum, Pherezeū & Heueum, & Iebuſeum, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ne forte doceat vos facere cunctas abominationes, quas ipſi operati ſunt dijs ſuis, & peccetis in Dominum Deum veſtrum.* Iubet populo ſuo, bellum gerere cum Amorrhæo, Cananeo Pherezeo, Heueo, & Etheo; tum, quoniam ij terram poſſidebant, quam Dominus ipſe eidem populo ſpoponderat, ab hacq. poſſeſſione turbabatur ab ijs, quos nunc recenſuimus, populis. Mandat quinetiam occidi habitatores, ne forte Idolorum cultu Iſraelitici populi dira, & execranda contagione Idolatriæ, animi afficerentur. In eodem quoque libro, iubet Dominus eidem populo, cotra gentes idolatras arma ſumere, ſeaſq. vel ſibi ſubdere, vel debellando pugna omnino peſſumdare. Iudicū vigeſimo legimus, a populo Iſraelitico pugnam ſuſceptam fuiſſe, contra Beniamitas, vt vlciſcerētur Iſraelitę iniuriā illā, vni ex fratribus illatā, eo quod vxor illius, a viris de Beniamin, impuriſſime, more ferarū, libidine ardētibus, adeo vexata fuit, vt mortē obijſſet. Innumera propemodum extant monumenta, hanc veritatē atteſtantia. Eſt ſecunda condicio, ſeu cauſſa iuſte bellandi, rerum priuatio, vi ablatarū, quæ iniuſte ab alijs detinentur. Ad hæc, læſa Principis maieſtas, ob læſumq. populum. Abramus iuſte pugnauit contra eos, qui Lot captiuum duxerūt, armando tercentos, & decem, ac octo expeditos vernaculos. Quæ pugna rectius ſuſcipitur, ſi poſſeſſores bonorum noſtrorum, & raptores, a malitia non diſcedētes, in rapina perſeuerāt, monitiq. negligunt reſtituere ablata. Hoc inſinuaſſe viſus eſt Dominus, modum bella ſuſcipiendi filios Iſrael inſtruens. Sic dixit. *Si quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem &c.*

c. vi.

Gen xiiii.

Deu t. 20.

Princeps,

Princeps, qui pugnaret pro regionibus Orientalibus, & præcipue pro Palæſtina, Aſia minore, & partibus illis, quæ, vi, & tyrannide, a Turcarum Rege, armis acquiſitæ, poſſidentur, iuſte ſumeret arma. Iuſte Carolus Quintus, vere Auguſtus, tot triumphis, tantiſq. victorijs admirandus, cuius gloriam tempus abolere non poterit, vetuſtas lædere non valebit, Africæ Regionem recuperare tentauit. Verum, quemadmodum ſola non ſufficit auctoritas Principis, niſi ibi ſit correctio, aut recuperatio, aut iniuriæ illatæ vltio; ita nec hæ ſufficiunt cauſſæ, vbi recta non adeſt bellantis intentio. Quoniam, vti Sancto Auguſtino præceptore didicimus; nocendi cupiditas, vlciſcendi crudelitas, dominandi libido, animi implacabilitas, a Principe bellum agente debent abeſſe. Intentionis rectitudo a Caritate deriuat. Erga Deum, & proximum, amor, virtus, pax, iuſtitia, ſunt illa, quæ conſpirant ad rectitudinem intentionis efformandam. Hæc efficiunt, vt pugnam adoriatur Princeps, ſalutis eius gratia, vt ad pacem vocentur, & obedientiam rebelles; vt quæ noſtra ſunt, animo pacato poſſideamus: ſubditi pace, ac tranquillitate fruantur, honeſteque, & ſtuodioſe vitam degant. Efficit recta intentio, ne, cum bellum geritur, innocentes lædantur; iuſteq. inimici, & nocentes ſupplicijs afficiantur. Ad delicti modum, plagarum debet eſſe menſura: vt præcipit Dominus. Aequitatis, & iuſtitiæ præcepta prohibent, ne lædamus ſubditos, coacte auxilium proprio Principi ferentes, at multo magis populos, & ſubiectos alterius ditionis, aduerſus quos copiæ non ſunt collectæ. Inſontem ne læſeris, clamat lex Diuina: at complices, & vltro auxilium præſtantes, iuſte inuadimus. Permittuntur ſtratagemata, aſtus ve militares; doli vero negantur a recta intentione, omninoq. ab illa non permittuntur. Tryphon inique dolo Ionatam cepit, iccirco culpabilis extitit. Fidem fregit, quæ hoſti eſt ſeruanda. Pater Ambroſius in libro Officiorum hæc ſcripſit: *Sunt quidem iura bellorum, & fædera etiam inter ipſos hoſtes ſeruanda.* S. Ambr. Pater quoque Auguſtinus hæc eadem voluit, ad Bonifacium ſcribēs, S. Aug. illis verbis: *Fides, quando promittitur, etiam hoſtibus eſt ſeruanda, contra quos geritur bellum.* Seruatur hoſtibus, hoſtiumq. legatis. Ob hãc rem Atilius Regulus, celebri fama numquam mortuus, digna memoria ſemper viuus, ſemper erit mirandus. Is, a Carthaginienſibus captus, ab ijſdem Romam legatus eſt miſſus, vt de captiuorum redēptione ageret cum Senatu, fidem pollicitus ſe reuerſurum. Fidelis fuit patriæ, fide in hoſtes inuiolata permanente. Diſſuaſit captiuorum permutationem, in qua patria iacturam, damnumq. erat factura. Hoſtibus ſeruauit fidem, Carthaginem reuerſus, vbi tormentis aſperrimis, & pœnis atrociſſimis, vitam cum morte commutauit. Poterat hæc aduerſantia, mortemque duriſſimam euitare: at

maluit tormenta experiri, mortemq. obire,quam promiſſam hoſtibus fidem violare. Reſponſum illud Conſulum Romanorum legato Afro, dignum eſt, vt hic recenſeatur. Bello fracti, armiſq. Romanorum fugati Afri circa Siciliam, de pace ineunda cum Romanis conſuluerunt. quis vero hæc cum Romanis ageret, non ſatis ab eis decernebatur, cum paulo ante Cornelio Aſinæ, Romanorum legato, catenas ipſi inieciſſent. Ob id recuſauit Hamilcar,ne idem ſibi a Romanis fieret ob vindictam illatæ iniuriæ. Hanno, de hoſtium fide rectius ſentiens, Romanorum ingenuitatem, virtutem,animiq.candorem ſecum mente volutans, legationis onus ab Hamilcare recuſatum, æquo animo ſuſcepit. Ad Conſules Romanos profectus, cauſſam cum liberius exponeret,quidam militum Tribunus,minitando, dixit ei, facile fore, vt ei contingeret, quod Cornelio Conſuli iam acciderat. Vnus, & alter Conſul iuſſit, Tribunum ſilere, legatumq. ita ſunt allocuti: *Iſto metu Hanno te fides noſtræ ciuitatis liberat.* Fabricij ſpectatam fidem quis non laudabit? Pyrrhi medicus ad eum litteras dederat, quibus monebat, eundem ſe Pyrrhum necaturum eſſe,dummodo Fabricius id iuſſiſſet.Remiſit Romanus Dux Pyrrho litteras,licet hoſti; monens illum,vt conſideraret, inimicos eſſe æſtimandos. Poterat magnus ille vir inimicum vincere dolo:at maluit fidem in hoſtem ſeruare, quam doloſe vincere, ac fœde de ipſo triumphum reportare. Dolum igitur non admittet rectæ intentionis Dux,& Princeps, bellando. ſtratagematibus autem vtetur. Fortiſſimus Gedeon, militari aſtu illo memorando, ſuperauit inimicos. Iuſſit, a ſingulo milite lagenam ex terra factam vacuam, in qua ardens lucerna aderat latens, ſiniſtra manu portari, dextera vero tubam. Nocturno tempore inimicos aggreſſus. vt puta,quoniam rei gerdeæ plurimum prodeſſe poſſent tenebræ, milites hi buccinis clanxerunt, in tres diuiſi a Gedeone turmas; fractiſq. lagenis,lucernas ardentes inimicis videndas præbuerunt. Ij, quos ſomnus ante oppreſſerat. experrecti,tenebris prohibentibus, ne verum agnoſcerent, tria forte exiſtimantes eſſe caſtra, (copia enim luminum,multarum tubarum clangor, gentes in tres partes diuiſæ, trium caſtrorum ſpecies exhibuerunt) ſomno quaſi occupati, terrore exanimati, Gedeoni terga verterunt, &, in ſe ipſos arma conuertentes, mutuo ſe interfecerunt. Dei certe fuit auxilium, audaciam,robur miniſtrantis: at medio hoc ſtratagemate victoria comparata fuit. Gedeonis filius Abimelech, quem cædes fraterna obſcurum, pugna contra Gaal clarum fecit; turrim Sichem, fortiſſimam, ac pene inexpugnabilem, armis, aſtuq. obtinuit. Aderant in ea mille homines,locum animoſe cuſtodientes. Aſcendit Abimelech montem Selmon, & cum eo milites ſui: acceptaq. ſecuri præcidit arboris ramum illum pro-

prijs

pijs imponens humeris. Ad milites mox conuerſus ait, Eia, fratres, me ipſum imitamini. Ij, Abimelch dictis obtemperando, ramis ab arboribus abſciſſis, humeris illos imponentes, Ducem ſunt ſecuti, & turrim veluti vallo circumdantes, ramos ſuccendentes, fumo, & igne miſerrime, qui intus erant, obierunt. Quid dicam de Ioſue? Ciuitatem Hai, priſcis illis diebus celebrem, munitiſſimam cepit, & deuaſtauit militari aſtu. Sacer Scriptor adeo artificioſe rem deſcripſit, vt nihil poſſit elegantius, & expreſſe magis notari. Libenter verba apponam, vt res geſta habeatur: *Surrexitq. Ioſue, & omnis exercitus bellatorum cum eo, vt aſcenderent in Hai. & electa triginta millia virorum fortium miſit nocte, præcepitq. eis, dicens: ponite inſidias poſt ciuitatẽ, nec longius recedatis, & eritis omnes parati. Ego autem, & reliqua multitudo quæ mecum eſt, aſcendemus ex aduerſo cõtra vrbẽ: cumq. exierint contra nos, ſicut ante fecimus, fugiemus, & terga vertimus, donec perſequentes ab vrbe longius protrahantur. putabunt enim nos fugere, ſicut prius. Nobis ergo fugientibus, & illis perſequentibus, conſurgetis de inſidijs, & vaſtabitis ciuitatem: tradetq. eam Dominus Deus veſter in manus veſtras. Cumq. ceperitis, ſuccendite eam, & ſic omnia facietis, vt iuſſi. Diuiſitq. eos, & perrexerunt ad locum inſidiarum, ſederuntq. inter Bethel, & Hai, ad Occidentalem plagam vrbis Hai. Ioſue autem, nocte illa, in medio manſit populi: ſurgenſq. diluculo recenſuit ſocios, & aſcendit cum ſenioribus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnatorum. Cumq. veniſſent, & aſcendiſſent ex aduerſo ciuitatis, ſteterũt ad Septemtrionalem vrbis plagam, inter quam, & eos erat vallis media. Quinque autem millia viros elegerat, & poſuerat in inſidijs, inter Bethauen, & Hai, ex occidentali parte eiuſdem ciuitatis. omnis vero reliquus exercitus ad Aquilonem aciem dirigebat, ita, vt nouiſſimi multitudinis occidentalem plagam vrbis attingerent. Abijt ergo Ioſue nocte illa, & ſtetit in vallis medio. Quod cum vidiſſet Rex Hai, feſtinauit mane, & egreſſus eſt cum omni exercitu ciuitatis, direxitq. aciem contra deſertum, ignorans, quod poſt tergum laterent inſidiæ. Ioſue vero, & omnis Iſrael ceſſerunt loco, ſimulantes metum, & fugientes per ſolitudinis viam, pariter & ſe mutuo cohortantes. At illi, vociferantes, perſecuti ſunt eos. Cumq. receſſiſſent a ciuitate, & ne vnus quidem in vrbe Hai, & Bethel remanſiſſet, qui non perſequeretur Iſrael, (ſicut eruperant aperta oppida relinquentes) dixit Dominus ad Ioſue: Leua clypeum, qui in manu tua eſt, contra vrbem Hai, quoniam tibi tradam eam. Cumq. eleuaſſet clypeum ex aduerſo ciuitatis, inſidiæ, quæ latebant, ſurrexerunt confeſtim, & pergentes ad ciuitatem, ceperunt, & ſuccenderunt eam. Viri autem ciuitatis, qui perſequebantur Ioſue, reſpicientes, & videntes fumum vrbis ad cælum vſque conſcendere, non potuerunt vltra huc, illucq. diffugere: præſertim cum ij, qui ſimulauerant fugam, & tendebant ad ſolitudinem, contra perſequen-*

Ioſ.c.8.

ſequentes fortiſſime reſtitiſſent. Videnſq. Ioſue, & omnis Iſrael, quod capta eſſet ciuitas, & fumus vrbis aſcenderet; reuerſus percuſſit viros Hai. ſiquidem, & illi, qui ceperant, & ſuccenderant ciuitatem, egreſſi ex vrbe contra ſuos, medios hoſtium ferire cœperunt. Cum ergo ex vtraque parte aduerſarij cæderentur, ita, vt nullus de tanta multitudine ſaluaretur, Regem quoque vrbis Hai apprehenderunt viuentem, & obtulerunt Ioſue. Magnus plane vir, ſtrenuus miles, prudentiſſimus Dux Ioſue robore, militari aſtutia, & fide, ac religione ſemper laudandus. Erat Hai diebus illis celebris ciuitas populo, & diuitijs inter primas illius regionis collocanda, Gabaon paulo inferior. Hanc oppugnaturus, & militum robore, & militari aſtu vſus fuit. Inſidias poſuit, exercitum diuidendo, in inſidias, in eos ve, qui videbantur ciuitatem aggredi velle, caſtramentando, ſitum elegit loci, cuius auxilio tutus eſſe poterat ab inimicorum incurſu. Simulauit pugnam initio, ſimulauit & fugam. Inimici rati ſe exercitum Ioſue poſſe debellare, paruum prudentiæ locum dantes, ciuitatem immunitã reliquerunt, ab vtraque parte, a facie, & a tergo percuſſi, infeliciſſime occubuerunt, ciuitate in manibus militũ Iſraeliticorum relicta: qui eam ſuccẽdentes, euerterunt. Rectæ intentionis fuit Ioſue, aſtu tamen bellico vtebatur. Hæc omnibus inſit Principibus, Ducibuſq. exercitus. Vetat hæc, ne agri iniuſte deuaſtentur; ne arbores fructiferi ſecuri feriãtur; ſed ij dumtaxat infructuoſi, qui ad machinas conficiendas nobis ſunt vſui. Nullum in vitibus, & arboribus fructum ferentibus, peccatum reperit humana cogitatio, vt dixit ille Poeta, niſi (ſi hoc peccatum dici poteſt) quod annua poma proprio cultori referunt.

Ouid.

Nil ego peccaui: niſi peccare fatemur,
Annua cultori poma referre ſuo.

Deut. 20. Prohibuit id Dominus militibus populi Iſraelitici, illis verbis: *Quando obſederis ciuitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis, vt expugnes eam, non ſuccides arbores, de quibus veſci poteſt, nec per circuitum debes vaſtare regionem; quoniam lignum eſt, & non homo: nec poteſt bellantium contra te augere numerum. Si qua autem ligna non ſunt pomifera, ſed agreſtia, & in ceteros apta vſus, ſuccide, vt inſtituas machinas, donec capias ciuitatem, quæ contra te dimicat.* Bella igitur, vt receptui canamus, talia iuſta dicuntur, ob quæ Principi omnino parendum eſt a populis.

De Principe bellum agente. An vt Clericis liceat exire in prœlium.

Caput XI.

PRincipis auctoritate bellum tum indicendum, tum gerendum eſſe, dictum eſt hucuſque. Ceterum, quoniam nomen hoc latum eſt, nunc nonnulla ſunt addenda ijs, quæ retro diximus, dum de Principis nomine fuit ſermo. Diximus, Principis nomine, non quemcumque habentem iuriſdictionem, verum Rempublicam perfectam, vel huius vicem gerentem, intelligi oportere: vti ſunt Imperatores, vel alij, ijs ſimiles. Priuatæ namque perſonæ munus non eſt, alienam vlciſci iniuriam. Bellum eſt Reip. inuaſio geriturq. contra Rempublicam. Hæc autem infelix exiſteret, ſi talis poteſtatis eſſet indigens. Tyranni, iniuſte inuadentes Regnum, raptores, alienæ Reip. viros occidentes, impune delinquerent: & ratio naturalis in ijs, quæ valde exiſtunt neceſſaria, eſſet manca, languidaq; delinqueret. Nulla eſt naturæ lege ſancitum, duas Reſp. ab inuicem legibus, ac dominio diſtantes, cogi, vnicum habere communem Principem. Cum vero vnius Reipublicæ populus, ab alterius Reip. populis læditur, ſi iniurias illatas læſus non poſſet vlciſci, qui male agunt, naturaliter inulti remanerent: naturaliſq. ratio vniuerſaliori prouidentia inſtinctũ animalium (vt dicunt) ſuperans, valde defeciſſet, læſis nõ conſulendo, modumq. ſubminiſtrando, quo mali pœnas darent criminũ, læſi vero vindicarent iniurias. Huius rei fidẽ faciunt, quæ geſta fuere a Ionata, & Simone, in vindictam Ioannis fratris, interfecti. Ceterũ, quoniam pro bono publico, vt dictũ fuit, indicitur bellum, hanc ob cauſſam Princeps poteſt ſubditos inuitos vocare ad prœlium. Rogabit aliquis, num Summus Pontifex, qui fulget Regia dignitate, bellum indicere valeat, & Epiſcopis, ac clericis liceat pugnare. Et quidem, ſi aſpiciamus ea, quæ Dominus noſter IESVS dixit Petro, ſcilicet, *Conuerte gladium tuum in vaginam*, dicemus, eis non licere pugnare: vel ſaltem hoc dubium nobis videbitur. Ad hæc Sanctus Paulus, Timotheo, ſcribens, aiebat: *Nemo militans Deo, implicet ſe negotijs ſecularibus*. Lex quinetiam, qua inhabiles fiunt homines, ſanguinis humani effuſione, ad offerendum Deo ſacrificium, officioque Sacerdotis fungendum, id

Matt. 26. *Tim. 2. c. 2.*

per-

perſuadere videtur, ne clerici arma tractent, bellicisque occupentur actionibus. E regione, Leo Papa, Lodouico, Imperatori ſcribens, cuius verba a Gratiano ſunt relata 23. ait: *Cum ſæpe aduerſa a Saracenorum partibus proueniant nuntia, quidam in Romanum portum Saracenos clam, furtiueq. venturos eſſe dicebant, pro quo noſtrum congregari præcepimus populum, maritimumq. ad litus deſcendere decreuimus*. Materia hæc dubia ſemper, & controuerſa Doctoribus viſa fuit. Quod attinet ad Summum Pontificem, ſi quis poſtulet, an bellum indicere poſſit, nodum in ſcirpo quærens, id dubium vocabit, quod tonſoribus, & lippis patet, vt vetus inquit adagium. Fulget Summus Pontifex, Chriſti Vicarius, Regia dignitate: idcirco pro comperto vnuſquiſque debet habere, ab illo arma moueri, bella indici, populoſq. ad prœlia poſſe vocari. Verum, an Epiſcopis, & clericis liceat pugnare, id fuit in cauſſa, vt ſcriptores in varias abierint ſententias. Aiunt nonnulli, licere Clericis, pro eorum tutela, armis vti, non autem ceteros oppugnandi gratia: Alij vero aſſerunt poſſe Clericos pugnare, idq. eis indecens non eſſe, ſi hæ adſint condiciones, ſcilicet, vt quam celerrime pugnent; ſint in neceſſitate ineuitabili conſtituti; nec aliter poſſint euadere. Ceteri vero cenſent, quod manibus proprijs, bellum gerere nequeant; at medijs alijs, vtique illis pugnare liceat. Inter hos recenſendus eſt Gandulphus. Gratianusquoque hanc amplexus opinionem 23. q. 8. Vbi, cum nonnulla adduxiſſet patrum teſtimonia, c. ſuppliciter, ijs, quæ illuc uſque dixerat, finem imponens, hæc habuit: *In Regiſtro etiam legitur quod Beatus Gregorius ciuibus Tuſciæ, vt contra longobardos arma pararent, mandauit: & militantibus ſtipendia decreuit. Hoc ergo exemplo, & præmiſſis auctoritatibus claret, quod Sacerdotes, & ſi propria manu arma arripere non debeant, tamen vel his, quibus huiuſmodi officia commiſſa ſunt, perſuadere, vel quibuslibet, vt ea arripiant, ſua auctoritate valeant imperare*. Hæc Doctor iſte. Ego certe, vt video Doctores diuerſa ſentientes, ita credidi ſemper, facili labore poſſe hos ſcopulos euitari, ſi quædam præmittantur, ex quibus veri notitiam haurire, vnicuique dabitur. Primo autem, illud animaduerſione haud indignum duxerim, aliud eſſe, latumq diſcrimen collocari, de hac re loqui ſimpliciter, nulla appendice adiecta; vel e contra quodam additamento. Simpliciter loquendo vetitum eſt Clericis bellum a iure, vt quas adduximus rationes oſtendunt, at ſi condicio accedat, quod fieri non poterat, erit facile factu. Adſit neceſsitas. Pro patriæ neceſsitate ſit pugnandum; a Summo Pontifice vocentur Clerici, in cuius manu eſt, Clericos ad hoc & illud vocare, bellumq. gerere, cur illis pugnare non liceat, ignoro: quandoquidem, ſicut Papa poteſt, iure ſuo ple-

q. 8. c. igitur.

Gandulph.
Gratian.

nario vtens, Sacerdotes, quos irregulares appellant, communi, ac receptiſſimo vocabulo, diſpēſatione reddere habiles. poterit quinetiam, vbi ſit neceſſitas, eoſdem ad pugnam vocare. Ad hæc, ſi pugnandum fuerit pro patriæ defenſione, proq. tutela vrbis, & maxima ſit neceſſitas, Epiſcopo ſaltem veniam dante, arma capere eis licebit. Hanc ſententiam accepit Panorm. vt refert Angel. in Summa, in verbo Immunitas, §. 34. recepit quinetiam Silueſter, in eodem verbo Immunitas 1. ſ. decimo octauo. Is omnia mutuo accepit in re propoſita ab Angelo. Hoc etiam ſenſit Hoſtienſis, adducens contextum in cap. penul. de Homic. & cap. in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Conſt. arg. l. nullus penitus C. de curſu pu. Addunt ve, tempore inuaſionis poſſe Clericos cum Laicis pugnare, arma ſumentes. nec ob id irregulares debent haberi, licet multi in pugna gladio fuerint interfecti, dummodo manu propria nullum occiderint, etiam ſi ipſi aduerſarios vulnerarint. In hanc eandem ſententiam declinauit Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Caietanus 2. 2. quæſt. 40. art. 2 ea ratione ductus, quoniam, cum lege poſitiua ſit vetitum Clericis, pugnare, in eamq. inciderimus temporum neceſſitatem, ac rerum diſcrimen, cui ſi legiſlator adeſſet, vtique legem diſpenſatione feriret; ſane pro conſtanti eſt habendum, quod eis liceat arma capere pro tutela vrbis, veniam Epiſcopo dante, aut Summo Pontifice eos vocante ad bellum. Idq. nec iniuria. bonum namque, quod a legis ſumitur fine, nobis argumentum ſubminiſtrat ad id probandum. Hoc autem eſt huiuſmodi. Finis legis, eſt commune bonum; legis ſpiritualis, bonum ſpirituale: & bonum commune temporale, & ſpirituale, quod iuſto bello defenſiuo ſeruatur, præſtat bono particulari alicuius, quo aptus eſt ad miniſterium altaris: conſequens eſt, vt Clericus, vrgente neceſſitate, & Papa eum vocante, aut Epiſcopo compellente, poſſit licite arma capere, atque pugnare. Adiecit Illuſtriſſimus Doctor, quod non tantum poſſit Clericus tunc militis officio fungi, verum quod teneatur, licet inhabilis fiat miniſterio altaris. inhabiles enim fieri cum præmio vitæ æternæ, Clericos minime dedecet. Hæc ſunt illius verba: *Nec ſolum videret, quod hoc poſſit Clericus, ſed etiam quod ad hoc teneatur in tali articulo, propter eandem rationem, præſertim ſi cum infidelibus agitur. Nec obſtat, quod fiant, & remaneant irregulares, quia irregularitas, ſine peccato, & cum merito incurri poteſt æternæ vitæ. Propter quod, ſicut Laicus ad hoc tenetur, ſic & Clericus, in caſu, in quo lex quo ad peccatum, locum non habet, licet ſemper locum habeat quo ad irregularitatem, quia irregularitas ſequitur factum.* Hæc ille. Rationibus vero, in contrarium adductis, facile eſt occurrere.

Panorm. *Ange.* *Sylue.*

rere. Teſtimonia illa adducta, locum habent in vniuerſum; atque, vt dici ſolet, vera ſunt, ſimpliciter loquendo, ſeu regulariter, non autem in ſingulari caſu, vbi neceſſitas, quæ legem neſcit, vrget, vbi Summus Pontifex, in cuius manu hæc omnia ſunt poſita, aliter decernit. Ceterum, quoniam neceſſitate compulſi Reges & Principes fœdus ineunt, atque nonnumquam cum Ethnicis, nunc de huiuſmodi fœderibus agendum eſt nobis. Primo autem, de fœdere in vniuerſum. Ordo enim doctrinę id expoſtulat, vt præceptor Ariſtoteles nos inſtruit, quod generalis rei conſideratio, examenq. vniuerſale, particulari, minuſq. vniuerſali præponatur Quare primo de fœdere vniuerſalia dicantur, atque non negligenter perpendantur.

p. Phyſ. in proœ. & cō- tex 17 & 3 Phyſ. cōt. 1.

De medijs, & fœderibus.

Caput XII.

VAria ſunt, ac diuerſa media, quibus Principes vſos eſſe legimus ad ſe ipſos tuendos, ac propriam ditionē defendendam. Horum quædam ſunt bona, & omni culpa carentia; quædam, e contra, mala, & omnino illicita; quædam autem, quæ, licet, abſolute conſiderata, illicita ſint, ratione tamen boni finis, licita eſſe poſſunt. Primi generis ſunt Theſauri, ſubditi, & illorum opes, vbi neceſſitas adſit, ſicut diximus ſupra, amicorum, & affinium auxilia, illorum ve opes, ac bella, & fœdera. Quæ vero ſunt iniuſta, illa exiſtunt, quæ & humanæ, & Diuinæ aduerſantur Iuſtitiæ. ab ijs Regnorum, ac Principatuū legibus Princeps debet omnino abſtinere. Nefaria eſt illorum opinio, pernicioſa, & tamquam execrabilis abijcienda, qui aſſerunt, licere Principi, omni medio, ac via vti, dummodo propriam tueatur ditionem, ac ſuam ſeruet auctoritatem, iuſq. regnandi, etiam ſi populos deteriores efficiat viuendi licentia, atq. impuriſſima ſuperſtitioſi, cultus ac erronea vitæ regula. Id Deo inuiſum eſt, & veritati contrarium, & etiam a ſcopo, quem ſibi ſtatuunt, remotiſſimum, ſiquidem tantum abeſt, vt ius regnandi, & auctoritatem, ac propriā tueantur ditionem, quod potius hæc omnia deſtruunt, & peſſumdāt. Roboami, Salomonis filij, geſta recenſeamus, ob ſe ro, vt aduerſarij veritatis, veritate vincantur. Adierat hunc Regem populus, ſupplexq. rogauerat, vt alibi diximus, non quod ab oneribus exactionū publicarū, quibus valde premebatur, omnino liberaretur, ſed quod

mitius

mitius cũ illo ageretur in hac re pecuniaria. Quod cum ei eſſet negatum, ira excandeſcens, indignatione ſuccenſus, iugo duriſſimo laſſus, a ſuo Rege cœpit deficere. Timens autem Roboamus, ne tribus Iuda, quæ ſola ei ſubiecta ſupererat, ipſa quoq. deſciſceret, ſi Hieroſolymam profecta eſſet ad ſacrificandum, & offerendum Deo vero, vitulos aureos conſtruxit (nouerat hunc populum Idololatriæ pronũ) fana in excelſis ædificauit, vt ſubditam ſibi detineret gẽtem illam, eandem ad falſam religionem, Idolorumq. cultum incitauit. Dirũ, execrabile, ſtultum conſilium, quo dum ſibi conſulere credidit Rex iſte, ſe ipſum perdidit, &, læſa Diuina Maieſtate, parum abſuit, quin Regiam amiſerit poteſtatem. Primo, (hæc paſſus eſt ob tantum ſcelus) cum tanti criminis a Propheta corriperetur, & rem hanc ægre ferret, cum brachium extenderet, vt indicaret, digito indice, ſatellitibus, Prophetam capiendum, ac puniendum fore: mirabile viſu, manum amiſit, quæ in eadem aruit actione. Luit pœnas tanti ſceleris in corpore, qui, corpore teſtimonia diuina renuendo, illa deſtruere tentabat. Ex Aegypto deinde Seſacus venit, mille, & ducentis curribus, & ſexaginta millibus equitum, præter illius Regni vulgus, cuius non erat numerus, vt ſacra dicit Scriptura, & ciuitates munitiſſimas in Iuda cepit. Hieroſolymam ingreſſus, diuitijs, auro, argento, ac rebus pretioſis illam expoliauit, humilem, pauperem, & miſeram, depopulando, eam fecit Atque, niſi Rex, animo conſternatus, a Deo ſui ſceleris petijſſet veniam, perueniſſet ad miſeriæ culmen, Regno penitus priuatus. Illud tamen non potuit euitare, quod Barbaro illi coactus fuerit ſeruire, Dei iudicio. Ille, qui Rex erat populi Dei, ſubditus Barbaro factus eſt. Qui iniquo conſilio Regnum ſtuduit ſeruare, iniquo medio vtens, factus eſt præda barbarorum. Qui, ad Deum conuerſus, Regnum ſeruabat, ab illo auerſus, Regnũ amittit. Patris huius Regis conſideremus facta. Is, dum vero cultui eſt deditus, & Deo vero, & viuo offert Sacrificia, ac populum ei ſubiectum veræ Religionis facit obſeruatorem, Regnum tutiſſime poſſidet, augentur diuitiæ, vires increbreſcunt. Ad Idola conuerſus, inimicos habet infeſtos, audit a Propheta, afflato Diuino ſpiritu, Regnum in partes fore diuidendum. Iniquiſſima, iniuſtiſsima, ac omnino culpabilia ſunt hæc media, & ſimillima, quę nulla ratione permittuntur Principi. Verum, quoniã media in tres ſecauimus partes, & inlicita annumerauimus quædã fœdera, antequã ad ea trãſeam, quæ licita ſunt, ob finem bonum fœdera prius ſunt tractanda. De ijs nũo materiæ oppurtunitas ad diſſerendum, & loquendum me impellit: & eo libentius onus ſuſcipiam, quoniã pars hæc, diſputatio ve iſta, ſi ſilentio omitteretur, cum ſit illuſtris, iaceret neglecta Adde, quod omnibus ſemper cara viſa fuit, quoniam hac tempeſtate, in qua vndique

3.Par. 2.

dique rumor bellorum emanat, paſſim de fœderibus agitur maximum poſſunt afferre commodum, ac vtilitatem. rem aggredior. Fœdera, (per fœdus, dimicantium pacem minime intelligo, ſed vnionem Principum, ac colligantiam, vt ita dixerim animorum, & copiarum, ad bellum gerendū, contra alios) exiſtūt ſi cōmunis ſit cauſſa, de qua agitur, commune ſit id, quod ſit, vel initio, vel temporis euentu, ijs, qui fœdere vniuntur ad prœliandum: veluti, ſi communis ſit hoſtis, qui eſt debellandus; vel commune ſit illud, quod eſt recuperandum; vel communis ſit iniuria vlciſcenda. Hiſce vnionibus vti plurimum eſt tribuendum, ita illa non ſunt magnifaciendæ, in quibus de vnius dumtaxat agitur cauſſa. Credendum eſt, magis, ſemper proprium vrgere commodum, qnam alienum; magiſq. hominem propria angi iniuria, ac iactura, quam aliorum. Huic vero illud eſt conſentaneum quod, vbi communis eſt iniuria, commune damnum, commune emolumentum, nullum ibi fucus habeat locum, nullam ve ſedem poſſit habere malitia, ſed qui vinculo amicitiæ, fideiq nexu ſunt coniuncti; honor, virtus, ac vires, nedū fœderis obligatio, atq. promiſſio ſit pro cōmuni bono. Timor propria amittēdi, aut ſpes acquirēdi, duæ ſūt præcipuæ cauſſæ a quibus prodeunt huiuſmodi vniones Principū, tamquam a patre, ac matre, Si vna omnibus ſit ſpes, vel vnus omnibus ſit timor, vna proculdubio debet eſſe diligentia. Quod ſi e contra res ſe habeat, vt diſpar ſit metus, ſpes inæqualis; a cauſsis contrarijs contrarios venturos effectus, ſemper expectato. ſcilicet, in vno, maiorem; in alio, minorem diligentiam; in vno maiorem anxietatem, ſollicitudinem, & curam; in alio minorem. Fœdera huiuſmodi, tales ve vniones, vno pede claudicantes, diu non poſſunt incedere. Quare, cuius maior cauſſa agitur, illorum, qui ſunt fœderis vnione aſtricti, eum meminiſſe oportet, contrarium in ijs vnionibus euenire, quod grauium, & leuium motui, dum naturaliter feruntur in propria loca, ſolet accidere. hæc tardius in principio, velocius in fine cientur, vt prope magis accedunt ad propria loca: quemadmodum experimentum docet, idq. Ariſtoteles, ac diſcipuli eius, ſcriptis commendarunt. At vniones, licet animorum promptitudine incipiant, nihilominus dierum lapſu paulatim, & ſucceſsiue frigeſcit ſpirituum ardor. quare neceſſe eſt, vt Princeps, qui fœderis vnione eſt aſtringendus, qui ve hac coniunctione eſt alligandus, ardua ventura conſideret, ſumptuſq. ad ſuperandas difficultates aptos excogitet, curet diligenter, id firmiſsimum ſit, vnde pecunia haurienda eſt, qua omnibus aduerſis euentibus poſsit occurrere. Si enim hæc omnia non præuiderit, & ad ſuperanda non propoſuerit tutiſsimum pro ſumptibus vadimonium, cuncta, perire, eſt neceſſe. Ad hæc, mores

diuerſi,

diuerſi, variaq. hominum inſtituta, ſæpius efficere ſolent, vt variæ oriantur ſententiæ, ac opiniones in agendis negotijs, quibus recenter, ac repente ortis, eſt occurrendum. Non me latet, illas diutius perdurare fœderis vniones, quas maior Princeps cum minore conſtituit. Siquidem cum minor maiorem timeat, honoret, & quodammodo veneretur; timor, honor, ac veneratio, cauſæ ſunt, vt minoris auctoritatis Princeps ſit in officio, & ſtet promiſſis. Verum aio, vt nullus eſt dolor, quem temporis longitudo non molliat, ac minuat; nulla corporis voluptas, quæ labentibus annis faſtidio non afficiat, omnia ue proprios habeant periodos, primo pubeſcunt homines, deinde florent iuuentute, poſtmodum vigent virilitate ſenectute tandem deflorent: ita ſane animorum noſtrorum deſideria, & mores nos inuadere, dierum lapſu flaceſcere, ac exinaniri. Non ab re hac diſſentientes mihi viſi ſunt antiquiores, Amorem monſtro pingentes, cuius caput erat humanum, anteriores partes Leonis, corpus Capræ, poſtremæ, in Serpentis partes deſinentes. Oblectamur ijs, quæ magna proponuntur nobis. Animus humanus, a Deo excellentiſſimus proueniens, ima negligit, ſuprema deſiderans, quæ aliqua ſuaſione nobis metipſis pollicemur, facile fore, vt ea aſſequamur. Si animo inſederint noſtro hæ cogitationes, illius efficiuntur dominæ, tunc deſiderium nos inuadit, quod vim quandam Leonis ſapit inſuperabilem: Verum, quoniam omnium rerum eſt viciſſitudo, & quæ hic fiunt, vt dixit Salomon, vix momentum habent ſtabilitatis, tempore noua ferente; alte conſideramus, Caprarum aſcenſum ſuper cacumina montium imitando, pænitet nos factorum, pænitet nos promiſſorum. Amor rei, qui nobis ſe ſe obtulit in ſpecie humana, ſæpius deſinit in amaritudinem Serpentis. in Serpentis partes deſinit actio, in cordis noſtri venenum. Addamus, actiones noſtras humanæ voluntati ſubdi: hæc autem ſemper nouo ſuccenditur deſiderij amoriſue igne. Quare mirum certe non erit, ſi vniones, fœderaq. Principum, tanto animorum conſenſu inchoata, tempore vires amittant, atque langueant. & id eo magis euenit quando vnus, alterius æmulus erit, inter illos, qui hac vnione ſunt coniuncti. in illo, non eſt timor promiſſorum cuſtos, quem nunc memorauimus. Ad hæc, cum ſit æqualis virtus, pro certo habens, proprijs viribus adipiſci ea, pro quibus ſuſcipitur pugna, hac ſpe allectus, fœderis vnio facillime interibit. His breuibus enarratis de vnionibus Principum, & de fœdere in vniuerſum; nunc vt tandem ſpeciatim de ijs dicamus, non quidem de omnibus, ſed de ijs, quæ magis vrgent, rerum ordo expoſtulat; ad

ea me-

ea media tranſeundo, quæ ob finem bonum licita exiſtunt, vt promiſſa perſoluamus,& ſimus in officio.

De medijs licitis ob finem bonum, & de fœderibus cum infidelibus ineundis.

Caput XIII.

Aphor. HVmano corpori repletionibus laboranti pluribus remedijs medetur medicus. Pharmaco vtitur,ſanguinis emiſſione, inediaque. Quicumque morbi replétione fiunt,hos curat euacuatio, & horum contrarietas, ſcripſit Hippocrates. Vtitur autem non tantum pharmacis omni ſuſpicione veneni carentibus, verum illis etiã, qui ſpecies ſunt veneni, caſtigatis & correctis præparatione diligenti. hac ratione Scamonium, Antimonium, ac alia quamplurima prodierunt in vſum Medicorum inſtitutum. Princeps ſecutus, ſaluti populorum proſpiciendo,non ſolum bellis iuſtis,ac legibus vtitur, verum etiam medijs, quæ, licet abſolute conſiderata, illicita ſint,ratione tamen boni finis,licita eſſe poſſunt. Romani bella ſponte cum quibuſdam gerere,alere,fouere conſueuerunt, vt homines ab otio facerent alienos, illorumq virtus viuida ſeruaretur, & vt Reipublicæ ſaluti conſulerent,bellicis negotijs homines occupando.Carthaginienſes,gratia exempli,bello intenti fuerunt. (quod bellum hoc conſilio fuiſſe ſeruatum nonnulli aſſerunt) bonum publicum vel ſuſciperet incrementum,vel ſaltem non minueretur. Odoardus Tertius, Angliæ Rex, ſtatuens amicitiam, pacemque iniens cum Francorum Rege, litem illam, alijs omnino ſedatis atque compoſitis, quæ de Britanniæ (vt dicunt) Ducatu, vertebant, intactam reliquit: eo propoſito vt milites(ſic fertur) quibus erat vſus ad omnia geſta, & magnam Anglorum multitudinem, quibus Regnum nimis affluebat, poſſet alio extrudere. Hoc idem factum fuiſſe a Philippo, Galliarum Rege,tradunt hiſtoriæ: qui Ioannem filium in militiam iuſſit proficiſci,vt magnam ſecum duceret iuuenum cateruam,ac exuberantem populi multitudinem. Inter hæc media ſupradicta quæ Principibus ſunt vſui,boni publici gratia,fœdera ſunt, ſeu amicitiæ, ſeu vniones,ac auxilium infidelium. Poteſt euenire vt Princeps Chriſtianus amicitiam ſtatuat, & fœdus ineat cum barbaro,& infideli Rege. quæ res multis affert mirationem. dubitare poteſt aliquis, An

Princeps

Princeps iure Principatus poſſit inire fœdus cum Barbaris. Quæſtio ſane digna, vt diligentia aliqua, & rationis examine perpendatur, ne ve oſcitanter tractetur. Exponam primo, quid ceteri ſenſerint: mox propriam adducam ſententiam: amicum correctorem ſemper deſiderando. Initium autem faciam ab ijs, qui nuperrime ſcripſerunt.

Opinio Prima cuiusdam neoterici.

Caput XIV.

EX Ijs, qui nuperrime de ciuilibus, politicisq. rebus ſcripſerunt, quidam Doctor de vnionibus, ſeu fœderibus ſcribens, propoſitæ quæſtioni breuibus ſatisfacit, dicens: Cum barbaris. & infidelibus inire fœdus, imperij deſiderio, res quidem eſt digna contemptu. Etenim, cum huiuſmodi deſiderium oriatur a libera noſtra voluntate, poſſumus certe appetitum moderari, ab illoq. abſtinere. Verum, ſi quis bellum Principi indiceret, nec alia ratione poſſet ſe ipſum tueri, cum vis huc, & illuc, eum impellat, non autem voluntas, videtur, quod excuſatione dignus debeat cenſeri. Et, ſi quis in hoc euentu culpandus eſt, non qui fœdus inierit, amicitiamq. ſtatuerit, ſed qui eum coegit, eſt reprehendendus. Duos modus iſte dicendi, nobis declarat, & ante oculos ponit ſcopos, quorum gratia Princeps fœdus inire ſoleat cum infideli: vel ſcilicet regnandi cupiditatem, vel neceſſitatem. Vel enim ſola animi deliberatione eſt excitatus, vel neceſſitate adductus. Primum omnino contemptibilem, culpabilem, illicitumq. eſſe aſſerit: ad ſecundum vero accedens, timide, quod ipſe ſenſerit, explicat. Ait videri, excuſandum eſſe Principem. Abſolute hoc non profert: addens, magis culpabilem eſſe, qui cogit, & vim infert, quam ad barbaros confugiens, auxilij petendi gratia. Ego quidem, prima relicta reſponſionis parte, tamquam veriſſima, (quæ mea ſemper fuit ſententia) non ſatis intelligo, quomodo ſecunda liberet animum a difficultate. Quæſtio eſt. An Princeps proprio iure poſſit cum barbaris, & infidelibus pangere fœdus, amicitiaſq. ſtatuere. Si id ei iure Principatus vere licet, nullum certe habet locū excuſatio. etenim excuſatio ſupponit peccatum, peccatum autem legis transgreſſionem. Lineam tranſilire, peccatum eſt, dixit etiam Epicurus. Quod ſi iure Principatus id ei non licet, tunc culpæ relinquitur locus. Additio quinetiam illa, qua explicat, quiſnam illorum

magis

magis ſit culpa dignus, auget reſponſionis ambiguitatem. Dubia ſunt illa verba. ſcilicet, Excuſabilē videri, neceſſitate compulſum, fœdus inire cum barbaris: nec affirmantis animi ſigna exiſtunt. Et ſubdens ſtatim, Si quis in hac actione culpandus eſt, magis cogens, quam coactus erit damnabilis. Modus iſte loquendi hypotheticus eſt. Condicio illa, ac notula, SI hæſitantis animi ſignum eſt euidens. Relicto hoc ſcriptore, tamquam ambiguo, doctores, manifeſtam afferentes ſententiam, adeamus.

Oldradi a Ponte ſententia.

Caput XV.

Conſ.71. OLdradus de Ponte, apud iuris Cæſarei interpretes vir magnæ auctoritatis, apertiſſime ſenſit, & ſcriptis commendauit, Si bellum iuſtum fuerit, poſſe Principem iure Principatus, auxilio infidelium vti, illoſq. ad ſui defenſionem vocare. Quā ſententiam ijs, quæ ſequuntur, rationibus, nixus eſt comprobare. Primo, arguens ratione, quæ a naturæ legibus videtur accepta. Argumentum eſt hoc. Id, quod vnuſquiſque ad tutelam ſui corporis facit, iuſte actum fuiſſe exiſtimatur: ſed Princeps ad ſui tutelam infidelium auxilio vtitur: igitur, hoc iuſte ab illo fuiſſe factum, eſt dicendum. Maior colligitur ex lege vim vi, ff. de iuſt. & iu. Quod præcipue verum eſt, ſi aliter nequit ſe tueri. eo ti.l. ſi quis fumo. Et confirmatur, quoniam ei ignoſcitur, qui, in periculo conſtitutus, qualitercunque ſanguinem proprium redimere ſatagit, aggreſſoremq. interficit. Siquidem neceſſitas nullam agnoſcit legem, nulli decreto eſt ſubiecta. Secundo, dolo & inſidijs inimicos repellere, ac propulſare poſſumus. c. vtilem 22. q.2. & c. dominus 23. q.2. caneſq. pacis gratia toleramus in Eccleſia. c. quidam 22. q. 4. & pro fructuum tutela vtuntur quidam arte magica ab vtrouis Teſtamento vetita l. eorū c. de maleſ. & mathem. Si ergo Princeps pro ſui defenſione auxilio infidelium vſus fuerit, minime erit reprehendendus: ſed dicendum, ab eo hoc iuſte fuiſſe factum. Arguit tertio: Fideles poſſunt in iuſto bello, infidelibus auxiliari. c. Iulianus, 11. quæſt. 3. 23. quæſt. 1. §. Ordo. igitur pariter infideles poterunt fidelibus auxilium præſtare, vbi bellum iuſtum extiterit. Quarto, nonnullis ſacræ paginæ locis idem roborare cōtendit Cap. 23. Sanctus Paulus, vt in Apoſtolorum Actis legimus, a Præſide milites petijt, quorum auxilio ſeruaretur illæſus. 23. quæſt. 4. §. ſex, in fin. Ad

hæc, Machabæi, viri profectò Sancti, cũ Romanis amicitias ſtatuerũt, vt primo illius ſanctæ hiſtoriæ libro legitur. Abramus quoque fœdus iniuit cum Amorrhæo, & Eſcol Gentilibus, eoſq. ſecum in bello duxit. Dicet forte aliquis, Ioſaphat Regem Iuda a Propheta Domini obiurgatum fuiſſe, eo quod ijs, qui Dominum oderant, fuiſſet auxiliatus. Reſpondet Oldradus, bellum illud fuiſſe iniuſtum, ideo Regem illum a Dei Propheta eſſe reprehenſum. Confirmat hæc omnia nouiſſime, quoniam diuiſio inter malos eſt prouide inquirenda, & facienda: quoniam, vti vnio illorum bonis eſt nocua, ita diuiſio eſt proficua. Porro, cum illis vtimur pro noſtri tutela, inde illorum ſequitur diuiſio. Hinc Beatus Paulus, cum dixit, ſe eſſe Phariſeum, illico diuiſio inter illos eſt orta. Quem locum Gloſſa ponderans, ait: Sicut vnitas bonorum vtilis eſt, ſic bonis malorum vnitas ſemper nocua fuit. Hæc ſunt, quæ doctiſſimus Oldradus loco citato ſcripſit Laconice, & breui ſtylo, huc adducta. Quam ſententiam quoniam Oſaſcus non approbauit, ſed tamquam falſam, ac omnino explodendam, damnauit, dignum eſſe exiſtimo, vt, quæ nam ſint argumenta, quibus vtitur Illuſtriſſimus iſte Doctor, agnoſcamus, num ve quid veri contineat Oldradi doctrina.

Oſaſchi opinio.

Caput XVI.

OCtauianus Cacheranus, Rochæ Arazij Comes, Oſaſchi dominus, vir non tantum parentibus, ſed litteris illuſtriſſimus, in diſputationibus, quas Deciſiones Pedemontanas, omnes appellant, nouiſſima diſſertatione, quam ad Illuſtriſſimum Thomam Languſcum, Stropianæ Comitem, Sabaudiæ Cancellarium, ſcripſit, materiam hanc pertractans data opera, Oldradi doctrinam adducit illam q. conatur varijs medijs euertere. Id vero vt faciliori negotio aſſequatur, quædam præaccipit, quibus, tamquam baſibus, & fundamentis, tota innititur eius conſtructio. Hæc autem ſunt talia. Cum agitur de materia peccati, ſi leges humanæ Diuino iuri, aut Canonico aduerſantur, non ſunt obſeruandæ, nec illis eſt parendum. verum tum Diuina iura, tum Canonica omnibus ſunt præferenda. Neque id bona venia accipit ſibi condonandum, ſed pluribus confirmat rationibus. id docemur c. fin. & ibi communis eſt omnium doctorum aſſenſus, de præſcript. cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ, & Abbas ibidem n.

9. Anto. Franc. in additio. Feli. num. 41. Dec. col. 13. de conſtitu. Bart. in l. priuilegia, C. de ſacroſan. Eccle. Imola in c. cum contingat col. 2. de iure iur. Iaſ. in §. fuerat num. 17. Inſt. de Actio. addatur, (quod alibi manifeſte omnibus erit exploratum) legem diuinam eſſe normam, ac regulam, omnium legum; rectum autem eſt iudex ſui, & obliqui. Ad hanc, tamquam ad filum, ceteræ leges debent referri, & illæ veræ erunt leges, quæ huic non erunt oppoſitæ. Poſſem alia addere, quæ æquo animo ſilentio inuoluo, ne videar in clara luce quærere faces. hoc reticere non poſſum, ſcilicet, quomodo nonnulli, qui de iure principatus ſcripſerunt hac noſtra ætate, Gentilium vtantur rationibus, ac legibus, ad propriam doctrinam ſtabiliendam, & perſuadendam. Perinde ac ſi Principibus ſcriberet Ethnicis; nitanturq. actiones Principum Chriſtianorum, legibus Paganorum moderari, eaſq. metiri. Chriſtiani Principes a Domino noſtro IESV CHRISTO Saluatore Regnum, & Principatum obtinent, ius habent, & poteſtatem. ideo, vt lex Diuina docet, iubetque, poteſtatem hanc exercere, eſt neceſſe. Ad rem propoſitam redeamus; & dicamus, quod, differendo, an iure Principatus poſſit Princeps auxilio infidelium vti, ſi in hac re ius humanum opponitur Diuino, aut Canonico, proculdubio, neglectis, & reiectis humanis legibus, iuri Canonico, & Diuino eſt adhærendum. His ita conſtitutis, tamquã veris, ac firmis; videamus argumenta, quibus Cacheranus ad deſtruendam Oldradi ſententiam fuerit vſus. Adducit primo innumera propemodum loca ſacræ paginæ, quibus arbitratus eſt poſſe propriam doctrinam ſtabiliri. Quibus ſecundo adiecit nonnulla argumenta. Accipit id, quod Geneſis lectio nos docet; quod ſcilicet filij Iacob, Emor, & Sichem, incircuncìſis, quærentibus viciſſim cum eis
Cap 34. iungere connubia, reſponderunt: *Non poſſumus facere, quod petitis, nec dare ſororem noſtram homini incircunciſo. quod illicitum & nefarium eſt apud nos, ſed in hoc valebimus confœderari, ſi volueritis eſſe ſimiles noſtri, & circuncidatur omnis maſculini ſexus; ſi autem circunci-*
Cap. 35. *di nolueritis, recedamus.* Et in eodem libro ſcriptum legimus: *Abijcite Deos alienos de medio veſtrum: mundamini.* Quid autem aliud eſt, ſubtexit Oſaſchus, abijcere Deos alienos, & mũdari, niſi, infidelibus non miſceri? Alibi etiam in eodem libro ſcriptum eſt, illicitum eſſe
Cap. 43. Hebræis, cum Aegyptijs comedere. Exodi præterea liber hanc veritatem magis aperte videtur nobis indicare. Prohibet Dominus, ne populus ſuus cum infidelibus ineat fœdus, dicens: *Non inibis cum eis fœdus, nec habitet in terra tua, ne forte faciat te peccare in me.* Et alibi
Cap. 34. in eodem libro: *Caue, ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas*
Cap. 20. *amicitias, nec ineas pactum cum hominibus illarum regionum.* In leuitico quinetiam idem monemur a Domino, vbi hæc dicta leguntur:

Nolite

Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulſurus ſum ante
vos. In num. libro. *Et fornicatus eſt populus cum filiabus* Moab, *& iratus* Cap. 25.
eſt Dominus, & dixit ad Moyſen. Tolle cunctos populi Principes, & ſu-
ſpende eos contra Solem. In Deuteronomio: *Non inibis cum eis fœdus,* Cap. 7.
nec ſociabis cum eis coniugia: filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam
illius accipies filio tuo, quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me, iraſce-
turq. furor meus, & delebit te cito. Alibi etiam iraſcitur Dominus po-
pulo Iſrael, quod in eo ſit vir aut mulier, familia, aut Tribus, cuius Cap. 23.
cor auerſum ſit a Deo Iſrael. Ioſue etiam ſcriptum reperies: *Quod*
ſi volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant erroribus adhærere,
& cum eis miſcere connubia, atque amicitias copulare, iam nunc ſcito-
te, quod Dominus veſter non eas delebit ante faciem veſtram, ſed erunt
vobis in foueam, ac laqueum, & offendiculum, in latere veſtro, & ſudes in
oculis veſtris, donec vos auferant, citoq. diſperdant de terra hac optima,
quam tradidit vobis. Iudic. alloquitur angelus ad populum Iſrael, di- Cap. 2.
cens: *Eduxi vos de terra Aegypti, & introduxi in terram, pro qua iu-*
raui patribus, & pollicitus ſum, vt non facerem irritum pactum meum vo-
biſcum, ita dumtaxat, vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ,
& aras eorum ſubijceretis: & noluiſtis vocem meam, cur hoc feciſtis? Ali- Cap. 19.
cubi etiam, in eodem libro: *Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ*
non eſt de filijs Iſrael. In libro Paralipo. ſecundo: *Impio præbes auxi-* Cap. 19.
lium, & ijs, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris? Ad hæc, in Eſdra, Lib. 3. c. 8.
hæc ille loquebatur, propriam accuſans culpam: *Erubui enim petere*
a Rege, ſcilicet Babylonis, *auxilium, & equites, qui defenderent nos ab*
inimico in via, quia dixeramus Regi, Manus Dei noſtri eſt ſuper nos, &
ſuper omnes, qui quærunt eum in virtute, & Imperium eius & fortitudo
eius, & furor eius, ſuper omnes, qui derelinquunt eum. In alio loco e- Cap. 9.
iuſdem libri: *Et nunc, qui dicemus, domine Deus noſter, poſt hæc? quia*
dereliquimus mandata tua, quæ præcepiſti in manibus ſeruorum tuorum,
& Prophetarum? *nunc ergo filias veſtras ne detis filijs eorum, & filias*
eorum ne accipiatis filijs veſtris: & non quæratis pacem eorum, & pro-
ſperitatem eorum vſque in æternum, vt confortemini, & comedatis quæ bo-
na ſunt terræ, & hæredes habeatis filios veſtros in ſæculum. Et alibi: *Et* Cap. 10.
nunc date confeſſionem domino Deo patrum veſtrorum, & facite placi-
tum eius, & ſeparamini a populis terræ, & ab vxoribus alienigenis. Adda- Eſdr. 2.
tur, quod mandat Nehemias ſeparari alienigenas a Iudæis. Præterea Lib. 2. c. 13.
clamat Dauid: *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum. & Quare* Pſal. 1.
fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt Reges ter- Pſal. 2.
ræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus
Chriſtum eius. Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus a nobis iu- Pſal. 25.
gum ipſorum. & alibi. *Odiui Eccleſiam malignantium. & cum impijs non* Pſal. 32.
ſedebo. Dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes po-

Pſal. 43. pulorum & reprobat conſilia Principum. Si obliti ſumus nomen Dei no-
ſtri, ſi expandimus manus noſtras ad Deum alienum: Nonne Deus requi
Pſal. 105. ret iſta, ipſe enim nouit abſcondita cordis. Miſti ſunt inter gentes, & di-
Pro. 25. dicerunt opera eorum. Salomon quoque ſic dixit: Deus putridus, &
Cap. 2. pes laſſus, qui ſperat ſuper infideli, in tempore anguſtiæ. Iſaias clamat:
Proieciſti enim populum tuum domum Iacob, quia repleti ſunt vt olim,
Cap. 8. Et augures habuerunt, vt Philiſtijm. & pueris alienis adhæſerunt. In alio
loco eiuſdem prophetiæ. Pro eo, quod abiecit populus iſte aquas Syloe,
quæ vadunt cum ſilentio, & aſſumpſit magis Raſim, & filium Romeliæ:
Cap. 20. propter hoc, eece adducet Dominus ſuper eos aquas fluminis fortes, &
multas. Inſuper: Timebunt, & confundentur ab Aethiopia ſpe ſua, &
ab Aegypto gloria ſua. & dicet habitator inſulæ eius in die illa: Ecce e-
rat ſpes noſtra ad quos confugimus in auxilium, vt liberarent nos a facie
Cap. 30. Regis Aſſiryorum, & quomodo effugere poterimus? Alio in loco: Veh,
filij deſertores, dicit Dominus, vt faceretis conſilium, & non ex me, & or-
diremini telam, & non per ſpiritum meum, vt adderetis peccatum ſuper-
peccatum, qui ambulaſtis, vt deſcendatis in Aegyptum, & os meum non
interrogaſtis ſperantes auxilium in fortitudiae Pharaonis, & habentes
fiduciam in vmbra Aegypti, & erit vobis fortitudo Pharaonis in confu-
Cap. 31. ſione, & fiducia vmbræ Aegypti in ignominiam. Veh, alibi clamabat, qui
deſcendunt in Aegyptum ad auxilium in equis ſperantes, & habentes fi-
duciam ſuper quadrigis, quia multa ſunt; & ſuper equitibus, quia præua-
lidi nimis; & non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſrael; & Dominum non re-
quiſiuerunt. Aegyptus homo, & non Deus Equi eorum caro, & non ſpi-
ritus, & Dominus inclinabit manum ſuam. & corruet auxiliator, & ca-
Cap. 52. det cui præſtatur auxilium. Inſuper: Parauit Dominus brachlum ſanctum
ſuum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare
Dei noſtri. Recedite, recedite. exite inde, pollutum nolite tangere, exite
de medio eius. Mundamini, qui fertis vaſa Domini, quoniam non in tu-
Cap. 57. multu exibitis, nec in fuga proſperabitis. Item: Dilataſti cubile tuum, &
pepigiſti cum eis fœdus. Ieremia quoque, ore Domini loquens, ſic
Cap. 2. dixit: Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vi-
uæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ non valent continere aquas.
Pro aquis ciſternarum intelligens Aegyptos, & Aſſyrios, ad quos
confugerant. Ad hæc idem Propheta: Tu autem fornicata es cum a-
Cap. 3. matoribus multis. Et alio in loco: Iuxta viam gentium nolite diſcere.
Cap. 10. Item: Inuenta eſt coniuratio in viris Iudæis, & habitatoribus Ieruſalē,
Cap. 12. & abierunt poſt Deos alienos, vt ſeruirent eis. Alibi etiam: Hæc dicit
Cap. 37. Deus Iſrael, ſic dicetis Regi Iuda. Ecce exercitus Pharaonis, qui egreſ-
ſus eſt vobis in auxilium, reuertetur in terram ſuam. Et redient Chaldæi,
Cap. 4. & bellabunt contra ciuitatem hanc, & capient eam. In Lamentationibus
quoque ſimilia non deſunt teſtimonia: Cum adhuc ſubſiſteremus, de-

ſecerunt oculi noſtri ad auxilium noſtrum vanum, cum reſpiceremus attenti ad gentem, quæ nos ſaluare non poterat. In Ezechiele quinetiam legimus, Prophetam comminari Sedechiæ Regi, eo quod, violato fœdere, & iuramento præſtito Nabucdonoſor, Regi Chaldæorum, qui voluntate Dei expugnata Ieruſalem, illum Regem conſtituerat, miſit ad Pharaonem Regem Aegypti, vt daret ſibi equos, & populum multum, vt Pharao cum eius exercitu interficeret Chaldæos. propter quod minatur, prædicens, ipſum Sedechiam non proſperaturũ, nec ſalutem recepturum a Pharaone, ſed moriturum in Babylonis ciuitate. Increpat etiam Samariam, & Ieruſalem quod tamquã mulieres meretrices ad Aſſyrios, & Chaldæos, & Aegyptios confugerint, cum eis fornicatæ fuerint, & propterea receſſerit Dominus ab illis. *Et præter hæc: Et ingreſſi ſunt ad gentes, ad quas introierunt, & polluerunt nomẽ ſanctum meum, cum diceretur de eis, populus domini iſte eſt, & de terra eius egreſſi ſunt.* Inſuper dicebat etiam: *Sufficiant vobis omnia ſcelera veſtra domus Iſrael, eo quod inducitis filios alienos incircuncisos carne, vt ſint in ſanctuario meo, & polluant domum meam.* Alius etiam Propheta ait: *Nolite ingredi in Galgala, quod interpretatur collis præputiorum, ideſt gentium. & ne aſcendatis in Bethauen, ideſt ad domum Idololatriæ.* Et idem Propheta alibi: *In Domino præuaricati ſunt, qui filios alienos genuerunt.* Item: *Et abijt Ephraim ad Aſſur, & miſit ad Regem vltorem, & ipſe non poterit ſanare eos, nec poterit ſoluere vinculum vobis.* In alio quoque loco: *Factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta, non habens cor. Aegyptum inuocabant, ad Aſſyrios abierunt, vt, cum profecti fuerint, expandam ſuper eos rete meum, quaſi volucrem cæli detraham eos, cædam eos ſecundum auditum cœtus eorum, quoniam receſſerunt a me.* Et alibi: *Dederunt munera amatoribus ſuis, & cum mercede conduxerunt nationes.* Et contra Iudam, & Iſrael clamat Deus, quod fœdus cum Aſſyrijs inierit, & oleum in Aegyptum contulerit. Alius etiam Propheta hæc dixit: *Quare me,* (alloquitur domum Iſrael) *& viuetis, & nolite quærere Bethel, & in Galgala nolite intrare. & in Berſabee non tranſibitis.* Et alius quoque Propheta redarguit Niniuitas propter fornicationem eorum, ſubſannans eos, quod Africa, & Libyes, fuerint eorum auxilium. Primo inſuper Machabæorum filij Iſrael iniqui dicuntur, qui teſtamentum cum gentibes diſpoſuerant, & cum nationibus iuncti fuerant. Atqui non tantũ veteris Teſtamenti oraculis, ſed & noui propriam ſententiam confirmat Oſaſchus. In Sancti Matthæi Euangelio legimus. *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum non intraueritis.* Apud Beatum Ioannem: *Non bene coutuntur Iudæi Samaritanis.* In Act. Apoſtolorum dixit Beatus Petrus: *Vos ſcitis, quomodo abominatum ſit viro Iudæo, coniungi, aut accedere ad alienigenas.* Et paulo inferius:

Cap 17 / Cap. 23 / Cap. 36 / Cap 44 / Oſe. c. 4. / Cap. 5. / Cap. 8 / Cap. 8 / Cap 12 / Amoſ. c. 5. / Nahu. c. 3. / Cap. 1 / Cap. 10 / Cap. 4 / Cap. 10 / Cap. 11

rius: *Quare introiſtis ad gentes præputium habentes, & comediſtis cum*
1. Cap. 5 *illis?* Sanctus Paulus, ad Corinthios ſcribens, hæc habet: *Ne commi-ſceamini fornicarijs, non vtique fornicarijs huius mũdi, aut auaris, aut ra pacibus, aut Idolis ſeruientibus.* quælibet enim noxia ſuperſtitio, prout eſt Mahumetanorũ, fornicatio eſt, c. Idolatria 28. q. 1. Inſuper arguit.
Cap. 6. Beatus Paulus ad Corinthios, prima epiſtola redarguit Chriſtianos, quod iudicio contendant, & hoc apud infideles, Maius erit ſcelus, ab infidelibus aduerſus fideles auxilium quærere. Præter
2. Cor. 16. hæc idem Apoſtolus dicebat: *Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? quæ autem conuentio Chriſto ad Belial? aut quæ pars fidelium, infideli? quis autem conſenſus tem-*
Cap. 2. *plo Dei cum Idolis?* In Apocalypſi: *Sed habeo aduerſus te pouca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere ſcandalum coram filijs Iſrael, edere, & fornicari. ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Item: *Sed habeo aduerſus te pauca, quia permittis mulierem Iezabel, quæ ſe dicit Prophetam docere, & ſeducere, ſeruos meos fornicari, & manducare de Idolothitis Ecce ego mitto eam in lectum & in tribulatione maxima.* Præterea ſcriptum fuit ab Eccleſia
25. q. 5. cap. omnium et 25. q. 8. ca. omni timore. Francorum exercitui, vt, omni timore depoſito, contra inimicos ſanctæ fidei, & aduerſarios omnium religionum, pro defenſione Chriſtianorum pugnet. Ex ijs colligit Oſaſchus, ſi Francos, & illorum exemplo omnes Chriſtianos ad bellum contra infideles, pro defenſione hortatur, & excitat Sancta Romana Eccleſia, neceſſario ſequitur, velle prohibere, ne cum infidelibus pacem, & amicitiam, præſertim in Chriſtianorum perniciem, habeant: cum bellum gerere, & pacem habere, contraria ſint, quæ ſimul conſiſtere nequeunt.
Ca. ſi quos. 23. q. 4. vnius enim incluſio eſt alterius excluſio. His accedit, quod a Sancto Gregorio ad Branichildam Reginam Francorum ſcriptum eſt, vt violentos, adulteros, fures, & alios peccatores corrigat, ne per eam flagellum perfidarum gentium, quod ad multarum gentium vindictam excitatum eſt, Deus inducat. Si ergo Beatus Gregorius Francorum Reginam admonet, & hortatur, ne ſit negligens in correctione malorum, vt Deus perfidas gentes in nationes Chriſtianorum non inducat; multo magis eam, ceteroſq. Chriſtianos monere Principes, hortari, imo comminari velle, exiſtimandum eſt, ne ſuo opere induſtria, conſilio ue, perfidi Turcæ in Chriſtianorum prouincias, & perniciem immittantur. Demum colligit, eum,
Cap. quiſquis. 23. q. 4. qui Chriſtianæ fidei inimico iungitur, pariter eiuſdem Chriſtianæ fidei inimicum fore cenſendum. Sicut enim inquit, ille, qui adhæret Chriſto, vnus ſpiritus eſt cum illo; & tollens membrum Chriſto,
1. Cor. c. 6 meretrici ſi adhæſerit, vnum corpus efficitur cum ea; ita fidelis, ſi
Pſal 17 infidelibus adhæſerit, vnum corpus cum illis efficitur. Confirmat

uerteris.

hæc verbis Prophetæ: *Si cum ſancto, ſanctus eris, ſi cum peruerſo, peruerteris*. Et Eccleſ. *Qui comitatur cum viro iniquo, obuolutus eſt in peccatis eius. &, qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. et, qui communicabit ſuperbo, induet ſuperbiam*. His addatur, Canonica lege Chriſtianis vetitum eſſe commercium, & communionem cum Iudæis, adeo, vt ab eis nec cibum ſumere, nec recipere medicinam fas ſit fidelibus; immo nec recipere benedictionem nec cum eis orare: ergo multo minus, licebit contra Chriſtianos auxilium ab illis petere. Nouiſſime Concilijs inhibetur, & Summorum Pontificũ decretis, legibuſq. canonicis, ſub anathematis pœna, ne quid deferatur Chriſtianæ fidei hoſtibus: multo magis vetitum eſſe cenſendum erit, vocare Turcas in Chriſtianorum perniciem. His rationibus propriam ſententiam inconcuſſam reddi, & contrariam Oldradi doctrinam funditus euerti poſſe, arbitratus eſt Oſaſchus. Finem diſputationi imponens, tamquam impiam, nedum a veritate ſemotam, eam vituperat. Sic ſcripſit ille: *Ex præmiſſis liquido conſtat, opinionem Oldradi, & ſequacium, non eſſe veram. immo eam impiam, & non Chriſtianam eſſe, atteſtatur Federicus Schenchen in ſuis interpretationibus, præclariſſimus, ac prudentiſſimus Iure conſultus, Petrinus Bellus, de re mil. par. ſecun. tit. 17. Ioa. Lupus, de confœder. Princ. nu. 4. & 7.* Quos, vt dixi ſecutus, impiam, & non Chriſtianam appellat Oldradi ſententiam. Ceterum, quemadmodum Oldradi doctrina ſcatet difficultatibus, ita & Oſaſchi placitum nec ſatis caute eſt expoſitum (quæ mea fert opinio) nec vacat caſtigationibus. Id autem vt fiat conſpicuum, nunc haud negligenter eſt ponderandũ.

Ca. 12. et 13
C. 12. & 13
Ca. ſæpe et ſeq. 8. q. 1.
ad Corint. 1 5.
C. nõ oppor- tet et ſeq. 1. q. 1.
C. ſignificauit, et cap. quod olim. de Iud. et Sarac. ĩ ex. 10. 22. quæ incipit copioſius.
Fed. ſchen. Li. 3. ſæu. in tit. hic finit lex col. 7. et ſeq.
Petri Bel. Io Lup.

S. Antonini Sententia.
Caput XVII.

COmmuni morbo vnam, & alteram, horum Iuriſconſultorum ſententiã, laborare, nimia quadã ſcilicet latitudine, vt videre videor, nonnulli exiſtimarunt. Sicuti enim, ſimpliciter loquẽdo, nulla appẽdice addita, licere Chriſtiano Principi, in bello iuſto auxilio infideliũ vti, quemadmodum ſenſit Oldradus; prorſus falſum eſſe duxerunt: Ita, e cõtra, nulla verborum correctione ſeu limitatione, aſſerere, quod ei id non liceat, a veritate alienum eſſe, ſunt arbitrati. Ideo Archiepiſcopus Antoninus, cuius doctrinam viri doctiſſimi mirifice approbarunt, ac ſecuti ſunt, inter quos recenſendi ſunt Felinus, in cap. ad liberandum, nu. 9. de Iud. & Sarac. Io: de Anania in dicto

S. Antoni.
Felin.
Io Ana.

cap. ad

Io. Neap. cap. ad liberandum, col. 2. Ioan. And. in addition. ad Speculat. in tit.
Io. And. de Iud. col. 3. verſ. conuertendo nunc ſermonem. Ioan. Neapolita. in
Franc. Ar. quolib. Franciſcus Aras in tractatu de bello, temperamẽtum, ac medium quoddam inter hæc extrema tentauit aſſequi. Tertia parte
Tit. 4 c. 2. § Sum. vbi agit de ſui defenſione, voluit, Principi Chriſtiano licere au-
41. xilio infidelium vti, vbi tres adſint hæ conditiones: Quod bellum nõ vigeat cum infidelibus, aut actiue aut paſſiue: Quod ſumma ſit neceſſitas, eaq. ineuitabilis: Quod bellum ſit iuſtum. Rationibus ad hanc confirmandam ſententiam, ijs vtitur, quibus & Oldradus vſus eſt, ad propriam ſtabiliendã doctrinam. nimirũ, l. vim vi. ff. de iu. & iu. De Homic. c. 1. in Clemẽ. Eo quod de Beato Paulo legitur Act. 23. Quod vti in iuſta pugna fideles poſſunt auxilium præbere infidelibus; ita, e contra, infideles poterunt fidelibus auxiliari in iuſto bello. Ad hæc, quod, ſi neceſſitate compulſus poteſt vti dolo, pariter infidelium auxilio vti ei licebat. Adducit quinetiam Nicolai de Lyra teſtimonium primo Reg. cap. 27. vbi narrat hiſtoria, Dauidem ad Achis incircunciſorum Regem auxilij gratia confugiſſe. Hunc locum ponderans Nicolaus, ait: *Quoniam Dauid habebat ius in Regnum Iſrael, poterat illud acquirere vi armorum, vbi nactus eſſet occaſionem. Porro, cum Rex ille Achis Dauidi præberet auxilium, licuit ei gentis Idololatrhæ viribus proprium acquirere Regnum.* Hæc Sanctus vir in re propoſita, propria animi ſenſa aperiens. Lubeat ijs nonnulla addere noſtro Marte quibus tum veritas magis ap parebit, tum ad ea, quæ ſumus explicaturi, iter erit facilius. Supponamus primo id, quod bona venia, qui oppoſitam habent ſententiam, concedunt; cum proculdubio in controuerſiam nequeat vocari; nimirum, ſub lege Moyſis eo circunciſionem officio functam fuiſſe, in ſeparando populo Dei electo, & ab immundo, quod nunc facit poſt IESV CHRISTI SALVATORIS noſtri mortẽ, Sacrum Baptiſma. Secernitur gens electa, populus mundus, Charactere Sancti Lauacri, ab immundo: vt olim populus ille Iudaicus circunciſione, ſignaculo fidei. Ex ijs ſequitur, quod eadem ratione, qua nunc prohibetur populo Chriſtiano, ab infidelibus immundis, & falſi cultus hominibus auxilium petere; ita illis priſcis diebus vetitum fuit Iudaico populo, Gentilium auxilio vti: qui populus ſignaculo illo fidei, ab infidelibus non credentibus diſtinguebatur: Accipiamus ſecundo loco, ſacræ hiſtoriæ hanc eſſe conſuetudinem, quod, vbi aut Regis, aut populi, aut alicuius officio fungentis, ac priuati etiam viri geſta narrantur, ſi crimen aliquod ab ijs commiſſum fuerit, ſtatim explicari Dei Maximi indignationem, pœnamq. peccantium deſcribi;
Gen. c. 3. pręcipue autem, vbi de rerum ſumma, nimirum de Religione, de veri Dei cultu agitur. Primus hominũ, qui peccauit, fuit Adamus. Is etiã

ſtatim audiuit vocem Domini deambulantis, & vocantis illum in iudicium, in quo perpetrati criminis pœnas ab eodem dandas audiret. Innocentem Abelũ interfecit fratricida Cainus. Illico ſanguine clamante, a Deo reprehenſus tanti criminis, atque condemnatus fuit. *Gen. c. 4.* Manente Moyſe in cacumine montis, ex auro condit populus vitulum, & idolatra efficitur. Quamprimum indignatione commotus Dominus, rem geſtam Moyſem certiorem facit: qui, vt vindictã ſumeret de peccantibus, illos occidi iuſſit. Murmurat populus, quaſi propriam vicem dolens. *Exod 32.* Scriptura ibidem narrat, Deum iraſci, & populum igne, qui extremam caſtrorum partem deuorauit, caſtigaſſe. *Num. 11.* Maria increpat fratrem Moyſen, ob vxorem, quam duxerat, Aethyopiſſam. a Domino in eodem loco lepra percutitur. ad inſaniam deuenit populus. decreuit, Caleb & Ioſue lapidibus petere iniuſte; ibidem Dominum iratum legimus populo, & peſtilentia homines condemnantem. *Num. 12.* Datan, Chore, & Abiron deficiunt a Moyſe, cum ducentis quinquaginta proceribus Synagogæ. a Domino igni de medio tolluntur. *Num. 14.* *Num. 16.* Hanc plagam filij Iſrael ægre ferentes, de Moyſe, & Arone conqueſti ſunt; ſeditioneq. in eoſdem populi Duces, & Rectores cogitantes mala, & molientes, illos terruerunt, adeo, vt metu ad tabernaculum fœderis, vt ſibi ipſis conſulerent, fugere coacti fuerint. Eadem pœna, eodemq. ſupplicio percuſſit Dominus populum, igni ſcilicet: &, qui perierunt, fuerunt quattuordecim millia hominum, & ſeptingenti: adeo magna fuit plaga. Incidunt in incredulitatem populi Duces ijdem. Statim a Domino corripiuntur, & in peccati pœnam, populum, pro quo tot ſubierant labores, in deſideratam promiſſionis terram non introducunt. *Num. 20.* Tæduit gentem Iudaicam itineris, & de Deo conqueſta eſt. Miſit in eam Dominus ignitos ſerpentes, quorũ cõtactu miſerrime peribant cuncti. *Num. 21.* Habitantes filij Iſrael cum Cananeis, Heteis, Amorrhæis, Pherezeis, Heuæis, & Iebuſeis immundis incircunciſis filias proprias nuptũ dabant hominibus illis; &, e contra, illarum filias recipiebant connubio, & cum illis miſti, falſis Dijs immolabant. In eo loco Dominũ ſancta ira motũ videmus, illos tradidiſſe Regi Meſopotamiæ, cui annis plurimis animi diſplicẽtia ſeruierunt. *Iud. 3.* Aod mortuo, ad Idola conuerſi ſunt. Deus ob id, vt ibi legitur, ſubiecit illos Iabin Regi Canaan. Ab hac liberati ſeruitute, beneficij accepti immemores, iterum labuntur in idolatriã. *Iud. 4.* a iuſtitia Diuina puniuntur. a Madian ſeptem annis, vt opprimerentur, fecit Deus. *Iud. 6.* Peccatis veteribus noua addentes filij Iſrael, illorum Iudice Iair, idolis Baalim, & Aſtaroth, ac Dijs Syriæ ſeruierunt, verum Deum derelinquentes, Propter hæc in peccati pœnam a Philiſteis, & Ammonitis, decem & octo annis, dura oppreſſione Dei

Iud.13. voluntate, & iudicio, vexatos fuiſſe docet hiſtoria. Philiſteis quinetiã ſubiectos factos fuiſſe a Deo, cum iterum Idolis ſe dediſſent, nec obſcure monemur. Heli Sacerdos nimis indulget filijs; qui temeritate ducti oblationibus abutebantur, a Deo ibidem reprehenditur, & ob peccatum commiſſum priuatur Sacerdotio, & ipſe, ac filij priuantur

1.Reg.2 longa ætate. Saul Rex populi Iſraelitici neglecta obedientia, contra Domini præceptum non expectando Samuelem, ſacrificium offert, priuatur Regno, vti verba illius loci nos docent: ob id, & ſceptrum

1. Reg. 13. datur Dauidi. Iuſſerat Dominus Sauli interfici Amalech, atque omnino deſtrui, nemini parcendumq. eſſe, omni ſemota rerum huius po

1.Reg.15. puli cupiditate. Saul populo pepercit Agag. armenta, & veſtes pretioſas, quæ ve pulchra erant ſeruauit. a Domino reprehenditur inobedientiæ, iterumq. reijcitur. Dixit Dominus, *Pænitet me quod conſtituerim Regem Saul*. Dauid, Deo charus, de quo ſcriptum eſt: *Inueni Dauid virum ſecundum cor meum*. Berſabeæ pulchritudine captus, vxoris Vriæ Hethæi, eo deuenit, vt homicida, & adulter euaſerit, maritum interficiendo, & mulierem auferendo, Statim obiurgatur a Propheta, & a Deo morte filioli, illo amplexu orti, punitur. Nu

Re.2.c.12. merat idem Rex populum contra Dei voluntatem: ob id ei datur optio, an velit ſeptem annis fame vexari; aut tribus menſibus arripere fugam perſequentibus eum proprijs inimicis; aut tribus diebus terram eius peſte puniri: Hac afflictatus optione, dixit, *Coartor nimis; ſed melius eſt, vt incidam in manus Domini, (multæ enim miſericor*

2. Reg. vlt. *diæ eius ſunt) quam in manus hominum*. Immiſit Dominus peſtem, cuius contagio ſeptuaginta millia virorũ periere. Arſit amore mulierũ alienigenarũ magnus Rex Salomõ; adeoq; ardenti animo Moabitidas, Ammonitidas, Idumeas, & Cetheas adamauit, vt vxores illas duxerit: quod ei a Domino vetitũ fuerat, & coluerit Deos Deaſq. illarũ Aſtrathen ſcilicet Sidoniorũ Deã, Moloch Idolũ Ammonitarũ. increpatur a Domino, his verbis: *Quia habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactũ meũ, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, diſrumpens, ſcindã Regnũ tuũ, et dabo illud ſeruo tuo.* Et, paucis interpoſitis: *Suſcitauit autẽ Dominus aduerſarium Salomoni Adad Idumeũ, de ſemine Regio, qui erat in Edom* Ieroboam, Idolis altaria ædificans, illiſq. ſacrificans a Prophe

3. Reg.13. ta pro Deo reprehenditur. Si Abias eſt Idololatra, a Scriptura tan-

3. Reg.15. ti criminis fit mentio peccatiq. auctor contemnitur. Si Aſa cultui veri Dei dat operam, commendatur. Nabad, & Baaſa e contra Idolorum cultores vituperantur. Summatim dicamus, quod, vbi a Populo, a Rege, a Iudice, a Duce Populi, alioq. homine, ſcelus aliquod committitur; a Scriptura narratur, ſi geſta eius recenſet, & pœna quinetiam, quam paſſus eſt ob flagitium, ibi deſcribitur. huiuſmodi exemplis plena eſt hiſtoria ſacra. His ita acceptis, incipiamus ratio-

nibus

nibus roborare Sancti Antonini ſententiam. Accipiamus, quæ legũtur Machabæorum primo, capite octauo. Nimirum, quod, vbi Iudas, vir Sanctus, audiuit Romanorum nomen, fœdus cum illis iniuit. Verba hæc ſunt, a Iudæis, Romanis ſcripta: *Bene ſit Romanis, & genti Iudæorum, in mari, & in terra, in æternum, gladiuſque & hoſtis procul ſit ab eis. Quod ſi inſteterit bellũ Romanis prius, aut omnibus ſocijs eorum, in omni dominatione eorum, auxilium feret gens Iudæorum prout tempus dictauerit corde pleno. Et prœliantibus non dabunt, neque ſubminiſtrabunt triticum, arma, pecuniam naues, ſicut placuit Romanis Et cuſtodient mandata eorum, nihil ab eis accipientes. Similiter autem, ſi genti Iudæorum prius acciderit bellum, adiuuabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiſerit, & adiuuantibus non dabitur triticum, arma, pecunia, naues, ſicut placuit Romanis. Et cuſtodient mandata eorum abſque dolo ſecundum hæc verba conſtituerunt: Romani populo Iudæorum.* 8. *Mala.* 1.
Ad hæc, Ionathas, qui mortuo Iuda populi illius Dux fuit, cum Demetrio pepigit fœdus, & milites electos auxiliarios ei miſit. *Et miſit Demetrius* inquit ſacer Scriptor, *ad Ionatham dicens, Non hæc tantum faciam tibi, et genti tuæ; ſed gloria illuſtrabo te, et gentem tuam, cum fuerit opportunum. Nunc ergo recte feceris, ſi miſeris in auxilium mihi viros quia diſceſſit omnis exercitus meus. et miſit ei Ionathas tria millia virorum fortium Antiochiam.* Idem Dum cum Spartiatis fœdus iniuit, vt in eodem libro legimus. Simonem quinetiam, Ionathæ, & Iudæ fratrem, cum Demetrio, & Spartiatis fœdus pepigiſſe, ſcriptum eſt in eadem hiſtoria. Viri hi ſancti cum infidelibus amicitiam ſtatuunt, fœdera ineunt: nihilominus nullius increpationis, nullius reprehenſionis, nullius pœnæ ibi fit mentio, ob huiuſmodi factum eis inflictæ. Reſpondet Oſaſchus, & duplicem affert reſponſionem: quarum vnam aſſertiue, alteram vero hæſitanter profert. Prima eſt, Quod fœdera iſta, non fuerunt in perniciem, nec aduerſus Iſraelitas aliquos, immo contra alias gentes, Syrios nimirum, & Perſas Idololatras, vt ei eſſent auxilio. Reſpondet ſecundo, quod forte dici poteſt, prædicta cum Romanis fœdera Deo non placuiſſe, iccirco ipsũ Iudam Machabæum, eiuſque exercitum percuſſum, & interfectum fuiſſe a Demetrio, Græcorum Rege. Hac eadem reſponſione ceteris adductis locis arbitratur poſſe ſatisfieri. Prima reſponſio admittit, in aliquo euentu licere Chriſtiano Principi cum infideli fœdus inire, Quod tamen videtur negare, dum Oldradum reijcit, Arguit enim, probando, quod nec in iuſto bello ei liceat huiuſmodi fœdus. Diceret Oldradus, Iuſtum eſt bellum, pugnare pro ſuimet tutela. Porro, cum dicimus, fas eſſe Principi Chriſtiano, auxilio vti infidelium, in iuſta pugna id erit intelligendum. Secunda vero reſponſio, & ipſa quoque proprio caret robore. Scriptura, vt vnuſquiſque cer-

Cap. 11
Cap. 12.
Pſal. 13

nere poteſt, nullam facit mentionē reprehenſionis, aut pœnæ, quā pro hoc crimine dederit Iudas, a Deo ſibi inflictā, vt in alijs locis vidimus. Flagellat Dominus Dauid peſte; At hanc, ob populum numeratum, ei contigiſſe, narrat Scriptura. Si populus traditur in ſeruitutem duram, & aſperam Gentilium; ſi ſerpentibus ignitis cæditur; Si Maria lepra percutitur: hæc ob murmurationem, ob infidelitatem, eis contigiſſe, narrat hiſtoria. Hæc eadem de alijs leguntur. At hic nulla prorſus fit mentio pœnæ, nulla reprehenſionis mentio. Verum dicet aliquis, Iudam a fœdere inito cum Romanis non admodum longe periiſſe. quod videtur velle innuere Oſaſchus. Inſtantia hæc nulla eſt. Meminiſſe velim, cæcum natum, de quo apud Ioannem legimus, nec ob propria, nec ob aliena crimina, viſu fuiſſe orbatum; ſed potius, vt gloria Dei clareſceret in illo. Diſcipuli Saluatoris noſtri præceptorem interrogarunt, ſuſpicantes, ne huiuſmodi calamitas, aut peccatorum ſuorum, aut parentum cauſſa ei accidiſſet. At Dominus noſter IESVS, veritatis teſtimonium faciens, ſuſpicionem diſcipulorum falſam fuiſſe declarauit. Omitto Tobiæ cæcitatem, Iobi plagas, & Sanctorum multorum afflictiones, quibus non proprijs criminibus, ſed alijs de cauſſis vexati fuerunt. Longum eſſet hæc enarrare. Speciatim ad Machabæorum calamitates deſcendēs, ob peccata propria populum Hebræum in illas incidiſſe, teſtatur auctor, qui Machabæorum geſta, a Iaſone Cyrenæo quinque libris expoſita, in vnum digeſſit. Laconico more ſcribens, narrans miſerrimos caſus, clades, & ruinas, illius gentis, lacrymabiles, hæc habet: *Obſecro autem eos, qui hunc librū lecturi ſunt, ne abhorreſcant prop-*
2. Mac. c. 6 *ter aduerſos caſus; ſed reputent, ea, quæ acciderunt non ad interitum, ſed ad correptionem eſſe generis noſtri: etenim multo tempore non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim vltiones adhibere, magni beneficij eſt indicium.* Si ergo Iudas, magnus plane Dux, occubuit in illa pugna, peccati gentis potius eſt aſcribendum, quam proprio crimini. Ad hæc, Pater Ambroſius in hoc Duce admiratur fortitudinem: qui maluit mortem oppetere, quam propriæ gloriæ crimen inferre. Paucis erat circumuallatus militibus; exiguus erat numerus virorum eius: nihilominus, ne terga verteret inimicis, ne gloriam propriam fuga obſcuram faceret, mori maluit, quam quid proprio honori detraheretur, animi quadam generoſitate ductus, & viribus
Cap. 20. proprijs actus. Ad hæc, accipiamus ea, quæ ſcripſa ſunt in Deuteronomio, vbi ius belli deſcribitur in expugnandis vrbibus. Hæc autem talia ſunt: *Si quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem; ſi acceperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea eſt ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo. ſi autē fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam.* Hæc ſacri contextus ver-

ba, Po-

ba. Populo Iſraelitico ius belli, & leges certaminum præſcribens Moyſes, fœdera cum populo Gentili non abominatur, ſed ait, primo ab illo pacem, & fœdus eſſe offerendum. Præterea lis erat inter Aſſa Regem Iuda, & Baſſa Regem Iſrael, vt legitur tertio volumine Regum. *Cap. 15.* Vnus, & alter iſtorum erat eiuſdem legis. Aſſa cũ Rege Syriæ fœdus iniuit, contra Regem Iſrael, cum quo idem Rex Syriæ fœdus pepigerat. Quæ etiam de Achaz, Rege Iuda, leguntur, non mediocrem videntur facere perſuaſionem. *4. Reg. 16.* Fœdus inierat Phaceæ Rex, Iſrael, cum Raſin, Rege Syriæ, aduerſus Achaz, Regem Iuda. Is, vt propriam tueretur ditionem, in ſui auxilium Regem Aſſyriorum vocauit. Poſtremo Hoſeæ Rex Iſrael, nuntios ad Regem Aegypti miſit, eum rogans, vt ſibi eſſet auxilio, ne Regi Aſſyriorum tributa præſtaret. Hæc omnia pro roboranda Diui Antonini ſentẽtia adducere volui. Quæ, ſi, quid ſenſerim, exponam, & ſi a viro Sancto liceat diſcedere, non ſatis tuta mihi videntur. Inunc conſpicuum fiet, propriam ſententiam explicando.

Auctoris Sententia.

Caput XVIII.

HActenus in aliorum exponenda doctrina tempus attriuimus. Supereſt, vt, quæ ſit noſtra ſententia, incipiamus aperire. Ego ſemper arbitratus ſum, ſi Principi Chriſtiano bellum ſit cum Principe etiam noſtræ legis, ei non licere infidelium auxilio vti, ſimpliciter loquendo: neque etiam pro ſui tutela, atque defenſione. At vero, ſi bellum iuſtum ſit cum infideli tunc poſſit Chriſtianus Princeps contra infideles auxilio infidelium vti. In hanc me ducunt ſententiam exempla, quæ pluribus in locis ſacræ Scripturæ leguntur. Ea, ſi mediocri rationis examine ponderentur, nos certe hanc docebunt concluſionem. Vbi enim fideles Reges priſci, ſub lege Moyſi qui vixerunt, fœdus inierunt cum infidelibus aduerſus infideles, ſacra hiſtoria huiuſmodi factum haud reprehendit. At, vbi fœdera pepigerunt cum infidelibus, vt fideles oppugnent, proculdubio damnantur, atque hoc, tamquam facinus, & probrum, eis obijcitur. Loca conſideremus, obſecro. Fœdus ineunt Machabæorum ſancti Duces cũ Gentilibus. A ſacra hiſtoria nõ vituperãtur nec tamquam crimen eis obijcitur aut pœnam decernitur, Propheta,

ſiue alius quiuis vir ſanctus, nomine Dei. Dauid, quem perſequitur Saul, vt huius Regis iram, & animum, mala machinantem, deuitet, ad Achis, Regem Get confugit, a quo benigne acceptus, munificentiſſime tractatur. Bellum gerunt Philiſtæi contra populum Iſraeliticum. Achis, pugnaturus cum populo Dei, Dauidis præſidio exijt in pugnam. Mirabile dictu. Dei prouidentia fit, vt, anteaquam manus conſerant vterque exercitus Dauid reuertatur, ac reprobatus a Philiſtæis, non pugnet contra agmina Iſrael. Signum euidentiſſimū, non licere fideli Principi, fœdere coniuncto infidelibus, contra fideles pugnare. Bellum illud, ſi cauſſas conſideremus, iuſtum dici poterat, quod etiam Lyranus adnotauit. ſiquidem abiecto Saul, ipſe fuerat electus, & pro proprio Regno pugnabat. Nihilominus nō permittit Deus, Dauidem Iſraelitas oppugnare; ſed facit, vt innoxius ſit cædis populi Dei. Hunc locum ſi recte perpendiſſet Lyranus, non accepiſſet eum ad comprobandam propriam aſſertionem: nimirum, quod liceat Principi Chriſtiano, in bello iuſto, auxilio vti infideliū, cum Dauid ad Achis confugerit, auxilij gratia. Hæc ſunt illius verba: *Dauid ius habebat in Regnum Iſrael, & illud poterat acquirere virtute armorum, cum ſibi facultas data eſſet. in hoc iuſto bello poterat Philiſtinorum, qui erant infideles, conſortio, et auxilio vti. Cogitabat, probabilibus coniecturando rationibus, quod, ſi Philiſtæi victoriam eſſent conſecuti, in patriam reuertendo, Regnum illud reliquiſſent. qua ſpe allectus Dauid, auxilium Achis præſtitiſſet.* Hæc ille: quæ (bona venia ſit dictum) exile nimis præbent auxilium, debileq. ſunt fundamentum, cui doctrina hæc innitatur. Ius quidem habebat in Regnum illud: verum, quoniam, adoriri prœlium, & certare præſidio infidelium, cum fidelibus non licebat, ideo factum fuit Dei prouidentia, vt non pugnarit Dauid. Addo, nullius etiam roboris eſſe cauſſam ab eo adductam; nimirum, quod Regnum tanti ponderis, magna auri, & argenti copia, humano ſanguine, quo glebæ, & herbæ maduiſſent acquiſitum, tam facile a Philiſtæis fuiſſet relictum. Ad Achis confugit refugij gratia: in militiam vero profectus eſt, non quidem propria voluntate, ſed a Rege vocatus. Non pugnauit autem cauſſa nunc expoſita. Cū Moyſes, populo Iſraelitico iura belli præſcribens, ait, vt ciuitati, quam erant aggreſſuri primo pacem, & fœdus offerrent; fœdus illud non erat expugnandi fideles gratia, ſed infideles profligandi, ac debellandi ſtudio. etenim populus idololatra cum Iſraelitico fœdere coniunctus, pugnaturus erat cum gente Idolis ſeruiente, falſoſq. Deos venerante. Nullus erat tunc populus fide in Deum clarus, præter Iſraeliticum. porro, cum alij eſſent Gentiles, non poterat populus electus, niſi cum idololatris, gerere bellum, & cum gente cultus veri Dei neſcia. Fœdus itaque erat contra infideles, non autem

Lyranus.

contra

cōtra fideles. Quinetiam pepigit fœdus, vt retro dictum eſt, Rex Aſa qui erat Rex populi fidelis, cum Benadab, Rege Syriæ gentili, contra Baaſa, Regem Iſrael, Regem, qui erat populi circuncisi, veri Dei cultoris, Princeps legis Moſaicæ vocauit Principem Gentilem in ſui auxilium contra Baaſa. Miſit Rex infidelis Principes exercitus ſui, qui Ahion, Dan, & Abelmaim, ac vniuerſas vrbes Nephtali muro circundatas aggreſſi, prædati ſunt. A Deo reprehenſus eſt Aſa ab Hanani Propheta, illis verbis: *Quia habuiſti fiduciam in Rege Syriæ, et non in Domino Deo tuo, iccirco euaſit Syriæ Regis exercitus de manu tua. Nonne Aethiopes, et Libyes multo plus erant, quadrigis, et equitibus, et multitudine nimia, quos, cum in Domino credidiſſes, tradidit in manu tua? Oculi enim Domini contemplantur vniuerſam terram, et præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Stulte egiſti, et propter hoc etiam ex præſenti tempore aduerſum te bella conſurgent.* Et, paucis interpoſitis, hunc Regem pedum dolore acerbiſſimo ægrotaſſe, a quo vexatum, vitam cum morte commutaſſe, in eodem loco ſcriptum legimus. Quod attinet ad Achaz, nihil eſt, quod laboremus in hac aperienda veritate. Viginti annorum ætate regnare cœpit Rex iſte, & annis ſexdecim Regno potitus eſt. Idololatra fuit. Incenſum enim adoleuit in valle Benennon, &, more Gentium, filios ſuos igne nefando conſecrauit in valle filij Hennon. Iuxta murum Ieruſalem, ad plagam orientalem, nemus pulcherrimū erat, quod Siloe fontibus irrigabatur. In hoc loco Dæmonibus obtulit ſacrificia Achaz, illos imitatus, qui in Tophet (locus in eadem valle iacet, iuxta Fullonis piſcinam, & agrum Acheldemach, ad Auſtralem plagam, amœniſſimus, præbens hortorum delicias) Dęmonibus offerebant ſacrificia, & filios proprios igne execrando luſtrabant. Hanc ob rem Aſim Regi Syriæ a Domino traditus fuit, vt ſecundo Paralipom. videre licet. Is Regi Aſſyriorum munera miſit, atque cum illo fœdus iniuit, at nihil ei profuit. afflixit Dominus populum Iuda, quoniam Achaz, auxilio infidelium fretus, ad illud, tamquam ad ſacram anchoram, vt aiunt, confugit. Addatur, quod ex eadem hiſtoria idem colligitur ex geſtis Phacei. Fœdus pepigit Rex iſte Iſrael cum Raſim, Rege Syriæ, vt Achaz oppugnaret. Rem moleſte tulit Dominus, conſiliumq. Phaceæ irritum fecit. Qui hæc diſtincte magis noſſe cupit, legat Iſaiam Prophetam, & omnia ei erunt mānifeſta. Sic Sanctus Vates poſteritatis memoriæ & ſcriptis commendauit: *Et factum eſt in diebus Achaz, filij Oziæ, Regis Iuda, aſcendit Raſim, Rex Syriæ, et Phacee filius, Romeliæ Rex Iſrael in Ieruſalem, ad prœliendum contra eam, & non potuerunt debellare eam.* Miſit præterea Dominus vt paulo poſt legitur Iſaiam obuiam Achaz, ei dicens: *Noli timere, et cor*

tuum

2.Par.16.

Cap.28.

Cap.7

tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium iſtorum in ira furoris Raſim, Regis Syriæ, et filij Romeliæ, eo quod inierit contra te Syria conſilium in malum Ephraim, et filius Romeliæ, dicentes: Aſcendamus ad Iudam, et ſuſcitemus eum, et auellamus eum ad nos, et ponamus Regem in medio eius filium Tabeel. Hæc dicit Dominus Deus. *Non ſtabit & non erit iſtud.* His conſpicuum ſit, fœdus inter Regem Iſrael, & Regem Syriæ contra Achaz, a Domino fuiſſe damnatum. Ad vltimum accedamus locum, nimirum ad Oſee, filium Ela, qui nuntios miſit ad Sua, Regem Aegypti, vt liberaretur a ſeruitute Regis Aſſyriorum eiq. tributa non redderet. Res eſt conſpicua nihil nobis officit, fœdus iniuit cum Aegyptijs infidelibus, vt à tyrannide infidelium liberaretur. Quod ſi ab Aſſyriorum Rege ob id vexatus eſt, dicendum, id ei contigiſſe quoniam ob idololatriam Regis eiuſdem ſeruus factus fuerat, & hac eadem cauſſa ſub ea erat ei perſeuerandum. Cum itaque videamus, vbi fideles Principes cum infidelibus fœdus ineunt contra infideles, a ſacra hiſtoria non damnari, in magna, & vrgenti neceſſitate conſtituti; e contra, ſi fœdere coniuncti ſunt cum infidelibus contra fideles; illoſq. opugnandi gratia, Idolatras vocarunt, contemni, atque puniri, credidi ſemper (me, & ſcripta Sanctæ Romanæ Eccleſiæ cenſuris ſubmittendo) in hoc euentu, vbi cum infidelibus ſit pugna, Principi fideli, auxilio infidelium poſſe vti, quemadmodum retro nunc diximus; at contra Chriſti fideles minime ei licere. Et comprobari adhuc poteſt argumento adducto, a viro ſancto, Archiepiſcopo Florentino: nimirum, quod, vti in bello iuſto fideles infidelibus poſſunt auxilium præſtare, ita, e contra, a commutata proportione, poterunt Principes infideles, præſto eſſe fidelibus, in iuſto bello, contra illorum inimicos infideles. Doctrinam hanc non neglexit Oſaſchus, loquens de fœderibus Machabæorum cum Romanis, & populis, partem illam Græciæ incolentibus, quæ Peleponnenſis appellabatur olim, a Ciuitate Sparta Lycurgi legibus inſtituta, prius Lacedæmonia ab omnibus nuncupata, Spartiatæ ſeu Spartani nominati (nomen Spartæ obtinuit vel a Sparto Phoronei filio, aut, vt alijs magis arriſit, & nomen optime congruit, a Sparta, Eurotæ filia) inquit: *Et fœdus cum Romanis initum, non fuit in perniciem, nec aduerſus Iſraelitas aliquos, immo, vt ei contra alias gentes, Syrios, & Perſas idololatras, eſſent auxilio.* Hoc idem innuit, dum loquitur de fœdere, quod Abramus cum gente Idolatra pepigerat. His itaque conſtitutis, cum nec Oldrado aſſentiamur, nec omnino Oſaſcho, & alijs, id ſolum ſupereſſe videor videre, vt rationibus illorum ſatisfaciamus; ab Oldradi argumentis inchoantes.

Oldra-

Oldradi Rationes ſoluuntur.

Caput XIX.

PRopriam ſententiam vt tueretur Oldradus, pluribus vtebatur rationibus. Quarum omnium prima hæc erat. Id quod vnuſquiſque agit ad tutelam ſui corporis, iuſte egiſſe exiſtimatur; ſed Princeps, vocans infidelium auxilium, illoq. vtens, ad ſui tutelam, hoc facit; igitur iuſte feciſſe cenſendus eſt. Maior colligitur ex l.vim vi.ff.de iu.& iu. idq. tum præcipue eſt verũ, ſi aliter nequit ſe tueri. eodem tit.l.ſi quis fumo. Ratio hæc, haud vnica ſcatet difficultate Primo, error eſt in dictione, & iccirco argumentum eſt in quattuor terminis. Secundo, exili admodum innititur fundamento. In dictione eſt error, quoniam medius terminus, quo concluditur, iuſte vocare Principem infidelium auxilium, illoq. vti, eſt hoc: *Id quod vnuſquiſque facit pro ſui tutela*. Hæc verba in maiori propoſitione aliũ habent ſenſum, diuerſum ab eo, quẽ habent in minori. In maiori ſiquidem ſenſus eorũ ille videtur eſſe, qui ab omnibus vſu communi eſt receptus, nimirum, pro defenſione propriæ perſonæ; & eſſe indiuiduali. Si quidem lege naturæ ſancitum eſſe cõperimus, vnam quamuis rem naturæ impetu, & propenſione, proprium eſſe diligere, illud cuſtodire diligenter, atque ſe ipſam a nocuo, & contrario tueri. Omnia, quæ ſunt in hoc ſublinari mũdo, quæ ve oculis mentis, nedum corporis cernimus, a Deo prodeuntia, ſicut a Deo obtinent eſſe, ita ab eodem perfectionem accipiunt, & in illũ conuertuutur, eundemq. imitantur. Cum autem Deus Optimus, & Maximus ſit primum, & ſummum ens; eſt quinetiam primum, & ſummum bonum. eſſe enim, & bonum, in eo omnino ſunt idem. Cetera dicuntur entia, & bona, vt participant eſſe, & bonitatem, ab illo pŕimo eis communicatam. Ad Deum referri, illumq. imitari dicũtur, vt gradum hunc entitatis habent, & cuſtodiunt, ſeruantque. Prima corpora, quæ paſſim, ob nomen, a Platone eis impoſitum, Elementa appellantur, proprias ſedes, & qualitates integras retinere nitũtur, amore & deſiderio talis ſimilitudinis allecta. Videmus etiã, herbas ſtirpes, & plantas, naturalem retinere perfectionem, niſi aliquo materiæ defectu impediantur, ac prohibeantur, & illã numquã deſerere. Bruta animantia numquam deprauant bonum, a meliori illa Natura, vt Heſiodus cecinit, eis datum, impulſu amoris ſui, vt

ve ſimillima, quantum eis permittitur, ſint vero enti. Cuſtodiunt hæc, omnia rationis expertia, vegetalia & miſta corpora inanimata, ac prima elementa, & ordine hoc tacito in Summum Opificem cõuerti, illumq. imitari dicuntur. Quod ſi Stoicorum placitum, ab Epicuro amplexum cum veritate, aliqua poſſet ratione conuenire, aſſerentium, ſiue bene viuere, ſiue conuenienter naturæ viuere; ſiue bene eſſe affectum, felicitatem eſſe; poſſemus felicia nuncupare huiuſmodi entia. Ex his illa lex naturæ oritur, *Vim vi Repellere*. Siquidem, cum vnumquodque ſit ſui eſſe amator, & perfectionis propriæ cuſtos; vtriuſque etiam defenſor exiſtit, natura duce, atque magi-
2. *Phyſ.* ſtra. Quæ autem ab illa fiunt, cum ſint numeris abſoluta, (nec enim temere, ſed ordine certo agit, ob idq. exemplar appellatur ab Ariſtotele) ita etiam protectio, & tutela, quam natura docet certis terminis eſt concluſa, & inculpata dicitur. Tantum repellit, quantum pro ſui conſeruatione requirit id, quod naturæ tutela ſe ipſum tuetur. Agat ignis, aerem alterando: aer tantum e contra retundet actionem ignis, quantum exiget ſuimet incolumitas. Hac de cauſſa inculpata dicitur illa defenſio a iuris Cæſarei, & Pontificij interpretibus. qui omnes, vt videre videor, an res ſit, optime norunt; at, propterquid, & cauſſam huius rei Philoſophia docet. His ita expoſitis, ad rem propoſitam redeundo; dicamus, quod, ſi in maiori propoſitione, *Tutela ſui*, accipitur pro defenſione, quæ ad propriam attinet perſonam, in minori pro tutela dignitatis, & iuriſdictionis; argumẽtum laborabit æquiuocatione, & erit error in dictione: tuncq. maior erit limitationis, ac expoſitionis indigens. minor vero omnino negãda. Sin autem in vtrauis præmiſſa, *Tutela ſui*, fuſius accipitur; vt ſcilicet ſignificat & proprij dominij, & dignitatis defenſionem; tũc maior excitabitur difficultas. Minor enim principium petet, ſimpliciter accepta; & ſupponet id pro comperto, atque conſtanti, quod omnino probandum eſt. Hoc eſt, quod in controuerſia verſatur, quodq. nos negamus, licere Principi Chriſtiano auxilio infidelium vti, abſolute loquendo. Ne vero probatio minoris intacta relinquatur, atque confirmatio rationis; dicimus, quod regula illa, *Vim vi, &c* eſt intelligenda cum appendice. Nimirum, cum moderamine inculpatæ tutelæ: vti nunc fuſius expoſuimus. Id etiam volunt iuris Cæſarei Doctores, in eadem citata lege, & in lege i. C. vim vi. quemadmodum Cacheranus in ſua diſputatione, huic rei dicatæ, obſeruat. Addens his, eam inculpatam, ſecundum leges humanas, dici tutelam; quando illud fit, ſine quo violentia repelli non poteſt. Accedant, tãmquã auctarium, quæ a Iureconſultis dicuntur, ſi in legibus humanis aliquam vim habent, in foro Dei maximas paterentur inſtantias, niſi ſenſu, quem retro expreſſimus, intelligantur. His etiam reſponſio-

nibus

nibus occurritur confirmationi,quoniam eidem hæret fundamento, nimirum naturæ legi,quod vim vi licet repellere. Erat ſecunda ratio a dolo,& inſidijs accepta,quibus licet nobis,inimicos repellere: ergo & auxilio infidelium vti. Canes in Eccleſia toleramus, pacis gratia; & arte Magica pro fructuum defenſione vtimur: ita ad huiuſmodi auxilium confugere poterimus. Vt prioris rationis parti ſatisfiat,conſulendus eſt Labeo iureconſultus. Is diſputans,Dolum diuidit in bonum, & malum.Dolum malum quodnam ſit,aperiens, inquit, eſſe omnem calliditatem,fallaciam,machinationem,ad circũueniendum, fallendum, decipiendum alterum, adhibitam. Addit Gloſſa, Contra Ius.Dolum vero bonum, apud veteres pro ſolleria accipitur maxime autem,ſi contra hoſtes, aut latrones quis machinetur.Hac præaccepta diſtinctione,reſpõdetur;quod,ſi pro dolo, accipiamus dolum malum; negandum eſt, quod tali licite vti poſſit Dux in bello. Hoſti ſeruanda eſt fides. Quæ ſi doloſe frangetur,legibus inferetur iniuria.At, ſi loquamur de dolo bono,& eo ſenſu intelligatur antecedens; neganda eſt omnino conſequentia. Siquidẽ, vti ſollertia non eſt culpabilis,ita,ad auxilium infidelium confugere, non caret vituperatione, & crimine: quemadmodum ſupra oſtendimus.Quod autem additur,Pacis gratia canes in Eccleſia tolerari: Reſpondetur, tum id fieri,cum ſubiecti exiſtunt fidelibus,nec armis in populum Chriſti agunt. Etenim, cum infeſti exiſtunt, armis ſunt oppugnandi, & reijciendi.Et,ſi lex permittit Magicam pro fructuũ conſeruatione; Vel dicendum, a legibus humanis aliquando nonnulla permitti,quæ a Diuina negantur: vel Magia eſt diſtinguenda, & in ſuas ſpecies diſtribuenda. Duplex eſt Magia,quarum altera tota conſiſtit Dæmonum opere: Res portentoſa, nefanda, & execranda. Altera vero, quæ nihil aliud eſt. quam naturalis Philoſophiæ abſoluta,& perfecta conſummatio. Græci,primam numquam dignam nominæ Magiæ conſentes, alio nomine appellant; ſecundam vero *Μάγειαν*, quaſi perfectam ſummamq. ſapientiam vocant.Vnde Porphyrius,apud Perſas idem ſignificare vocabulum illud *Magus*,quod apud nos *Sapiens, Diuinorumq. Interpres*, *&* *Cultor*, dicere ſolebat. Primam, Religio Chriſtiana,omneſq. bonæ leges, omnis Reſpublica bene inſtituta vituperat, & tamquam monſtrnoſam prohibet. Hanc vero omnes ſapientes,rerum diuinarum ſtudioſi, ſummopere commendant,illamq.amplectuntur.Altiſſimis eſt referta myſterijs, rerum reconditarum contemplationem, & totius naturæ cognitionem complectens; diffuſas virtutes Dei maxima bonitate in hoc mundo cognoſcens. Mundi ſuperioris.cum hoc ſublunari conuenientiam intelligens: mira operatur,& naturæ fit æmula,mutuam rerũ, naturarumq. exacte callens quæ in promptuarijs naturæ latitantia

l.1.§.1.ff.de Dolo ma.

iacent, omnibus facit aperta, ob oculos illa ponens quæ etiam legimus ſcripta apud Cœlium. Cum itaque duplex ſit Magia, conſulendum eſt legi, quæ eſt, aut ſaltem eſſe debet ſanctio ſancta, prohibens inhoneſta; & dicendum, ibi de Magia ſecundo ſenſu acceptа eſſe ſermonem: non autem de illa Dæmonum execranda, tanto nomine indigna. Id a longe vidit & Angelus. Qui ibidem dixit, legem loqui de ijs, quæ fiunt virtute Diuina. His forte innuens, Magiam, quam abſolutam rerum Diuinarum, ac naturalium cognitionem eſſe nunc diximus. Erat tertia ratio, ab oppoſitis ſumpta. Infideles poſſunt vti auxilio fidelium, in bello iuſto igitur fideles poterunt vti infidelium auxilio, in bello iuſto. Ratio hæc, ſi caſte intelligatur, non erit contra veritatem, & nihil nobis officiet. Duplex poteſt eſſe ſenſus concluſionis, ſeu, vt dicunt logici, conſequentis huius: Vel, quod ſimpliciter liceat vti auxilio infidelium, tum contra fideles, tum contra infideles: Vel, quod dumtaxat poſſit Princeps Chriſtianus vti infidelium præſidio contra infideles. Si primo ſenſu accipiatur, neganda eſt illatio, nec aliqua ratione concedenda. Cauſſam aſſignauimus retro, vbi loca hiſtoriæ ſanctæ adduximus, illaq. ponderauimus. Vetitum non eſt Chriſti fidelibus, vbi iuſtitia bellum gerit, iuſteq. pugnatur, infidelibus præſto eſſe, vt Crucis hoſtes deſtruantur. at negatum eſt credentibus, Chriſtiq. diſcipulis, inimicis fidei, & Crucis; fideles peſſumdare, ac interimere. Hæc fuit ſẽtẽtia Patr. Aug. quæ refertur. 11. q. 3. qui ſic ſcripſit: *Iulianus extitit infidelis Imperator. nonne extitit apoſtata, iniquus. & idolatra? milites Chriſtiani ſeruierunt Imperatori infideli, vbi veniebant ad cauſſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illum, qui in cælo erat. Quando volebat, vt Idola colerent, & thurificarent, præponebant illi Deum: quando autem dicebat, Producite aciem, ite contra illam gentem; ſtatim obtemperabant, & diſtinguebant Dominum æternum, a Domino temporali.* Aperte magis locutus eſt Pater Ambroſius, dicens: *Iulianus Imperator, quamuis eſſet apoſtata, habuit tamen ſub ſe Chriſtianos milites, quibuscum dicebat, Producite aciem pro defenſione Reipublicæ, obediebant ei. Cum autem diceret eis. Producite arma in Chriſtianos, tunc cognoſcebant Imperatorem Cæli.* Quæ adducuntur Sancti Pauli geſta, parum quidem habent ponderis. Vſus eſt Beatus Apoſtolus miniſtris, & auctoritate Præſidis, ob iuriſdictionem, cui Phariſæi, qui coniurarant in eum, ſubditi erant. Quid autem de Machabæis ſit ſentiendum, iam fuit expoſitum: nihil eſt, quod repetamus. Abrami exemplum nihil nobis officit. Siquidem nullam facit mentionem Diuina Scriptura, hunc Patriarcham fœdus iniuiſſe cum incircumciſis illis, vt ſibi eſſent auxilio contra fideles. Addamus, quod fœderis non eſt vnica acceptio. Non tantum ſumitur pro vnione ad bella gerenda, verum pro

Cœli. lib. 5. c. 1.

S. Aug. Donatiſtis. Cap. imperatores 5. Iulianus.

Cap. Iulianus ibidem

rum pro conuentione. Et hoc ſenſu ibi fœdus debet intelligi. Cum Amorrhæo,& Eſcol conuenit Abramus, vt ibi pacifice poſſet habitare. De nomine fœderis, latius iam iam dicemus, Cacherani argumenta examinando. Neque,quod vltimo additum eſt, de diuiſione, aliquid proficit. Dicamus,quod vere, & proprie diuiſio fit inter infideles, cum vnus alterum inſequitur; vnus populus alterum oppugnat infidelem. Si Turcæ contra Perſas bellum agerent, eſſet inter infideles diuiſio. At, ſi contra Chriſti fideles prœlientur, nulla inter eos oritur diſſenſio: vt inter Phariſæos tunc orta eſt. Hæc,& tot ſufficiant pro veritate illuſtranda, in Oldradi diſputatione. Vnum his addo, ne oculis cæcutientibus tanti uiri ſcripta legiſſe videar. Hoc autem eſt. Primam, & ſecundam rationem, ſi vna, & altera, caſte intelligatur, nobis minime aduerſari. Probant Principem Chriſtianum vti poſſe infidelium auxilio: quod nec nos omnino negamus. Ideo, ſi ſobrie accipiantur, noſtram potius firmam reddent doctrinam, quam euertent. Ad Oſaſchum me confero.

Cacherani rationum euerſio. Caput XX.

Cacherani rationes, ſi argumento ab eo ſuſcepto reſponderent, aliquod mihi proculdubio facerent negotium. Verum ne a nobis neglectæ videantur, ideo ſunt perpendendæ. Argumentũ illud erat, An liceat Principi Chriſtiano fœdus inire cum infidelibus,auxilioq. illorum vti contra Chriſtianos. Rationes autem non tantum probant hoc, ſed etiam aliud quid diuerſum. Licet autẽ decretum ſit, eum poſſe hoc præſidio vti, quoue euentu: ne deficiat hæc noſtra poſitio, rationibus ſatisfaciamus. Nec enim ſufficit propriam probaſſe ſententiã,niſi rationibus oppoſitis occurratur. Primam accipio. Vtebatur magnus hic iure conſultus eo, quod in ſacra Geneſi de filijs Iacob legitur. Qui incircumciſis quærentibus viciſſim cum ipſis iungere connubia,reſponderunt: *Non poſſumus facere,quod petitis; nec dare ſororem noſtram homini incircumciſo: quod illicitum, & neſarium eſt apud nos. ſed in hoc valebimus confœderari, ſi volueritis eſſe ſimiles noſtri.* Elicit ex hoc loco Oſaſchus Principi Chriſtiano non licere,cum infideli fœdus facere. Fateor,nõ cognoſcere (omni sẽper modeſtia,& reuerentia erga tantum virũ,de iure Cæſareo benemeritum,hæc ſint dicta) quo conſilio hic adducatur locus: cũ nihil prorſus attineat ad propoſitum argumentum. Negant filij Iacob, nuptui dare ſororem Cap. 34.

re ſororem

re ſororem viro incircumciſo: quoniam, vti nunc talia prohibentur connubia, cum mulier fidelis traditur infideli vxor; vel quod fidelis vir ducat infidelem vxorem; ita tunc lege vetitum erat, ne circuncisi connubio copularentur cum incircuncisis. Et, quemadmodum nunc fidelis mulier, infidelem baptiſma ſuſcipientem maritum ducere poſſet; ſic tunc incircumciſus, ſi fidelem ducere voluiſſet, neceſſe ei erat, vt circumcideretur. Hæc optime ſcientes, negarunt filij Iacob ſororem incircunciſo, quam daturos ſe eſſe ſpoponderunt, ſi circumcideretur. Vox illa *Confœderari*, hac acceptione eſt intelligenda, vt omnia ſibi reſpondeant, ideſt coniungi, & copulari connubio. Qui ſenſus non tantum in ſacra pagina, verum apud Poetas, eſt re-
3. Eleg. 6. ceptiſſimus. Ouidius Triſt. Fœdera lecti copulam coniugalem appel
11. Metam. l. 2. lauit. Et alibi hoc idem voluit. Lucanus quinetiam ſic ſcripſit:

Dat Fœdera priſci
Illibata thori.

Addatur, quod non tantum pro vnione hac coniugali, verum & pro amicitia etiam ſumitur, atque coniunctione, quæ inter amicos reperitur. Præcipue autem pacem denotat, quæ feritur inter dimicantes, a Ferio, vt nonnullis arriſit, mutata E ſimplici, in Oe diphthongo. Non me latet, alios, etymologiam huius vocis inquirentes, opinatos a Fetialibus Sacerdotibus dici, quibus medijs fiebant fœdera. Siue autem a Fetialibus, ſiue a Fœde cædendo, quoniam Fetiales, qui
1. ab. Vrb. adhibebantur, fœdere firmato, Porcam cædebant ſilice, tale exitium capiti illius imprecando, qui prior fœdus violaſſet, de qua re Liuium eſt videre; primo pacem, quæ inter dimicantes ſtatuitur, ſignificat, mox pro amicitia, pro copula connubij, immo etiam pro cer-
Aene. ta conuentione, ac lege accipitur. Sic Virgilius:

Regem dedi, qui fœdere certo
Et premere, & laxas ſciret, dare iuſſus habenus.

Cum itaque multiplex ſit huius vocis acceptio, in loco adducto, accipienda eſt pro copula coniugali, vt optime contextui quadret: Secundus locus ex eodem libro, & ipſe quoque a re propoſita eſt valde
Cap. 35. remotus. Dũ dicit Dominus: *Abijcite Deos alienos de medio veſtrum, mundamini.* Iubet Dominus Idola abijci: ſiquidem Rachel de domo patris ſui aſportauerat Idola, eaq. apud ſe retinebat. Alij quinetiam ex ijs, qui ſecum erant, inter idolol atras conuerſati, plura ſecum habebant, ad Idololatriam pertinentia. Dominus ob id iubet Idola abijci, & homines mundari ab ijs, quæ ad idolatriam attinent,

Por-

Porro, cum dicimus, Principi licere contra infideles, vti auxilio infidelium, ob id non ſequitur, vt colat Deos Gentium. Abſit hoc. Locus itaque nihil eſt, nec pertinet ad negotium. Quinetiam & ſequens, qui adducitur. Inquit Cacheranus: Scriptum eſt, vt legitur Geneſ.c. 43. illicitum eſſe Hebræis, cum Aegyptijs comedere. Primo, ordine præpoſtero adducuntur verba. Secundo. (id a primo prouenit) ad argumentum non attinent. Viuebat Ioſephus, ſummo honore elatus a Pharaone in Aegypto; præfectuſq. erat domus illius Regis, ac Regni. Fame compulſi fratres illius, a patre Iacob miſſi ſunt in Aegyptum annonæ emendæ gratia. Ignotus tunc erat Ioſephus fratribus ſuis, a quibus olim puer venditus captiuus, in Aegyptum delatus, Dei gratia ætate, ſapientia, & honore clarus factus erat. Fratribus conuiuium fecit, in quo ſeorſum ab Hebræis ſedebant Aegyptij, inquit Sacræ Geneſis Diuina hiſtoria. Cuius rei cauſsā aſſignans, Scriptura ait, quoniam Aegyptij profanum putabant huiuſmodi conuiuium. Verba Scripturæ hæc ſunt. *Rurſuſq. lota facie, egreſſus, continuit ſe, & ait.* Ponite panes. *Quibus appoſitis, ſeorſum Ioſeph, & ſeorſum fratribus Aegyptijs quoque, qui veſcebantur ſimul ſeorſum (illicitum enim eſt Aegyptijs comedere cum Hebræis; & profanum putabant huiuſmodi conuiuium) ſederunt coram eo. &c.* Non dicit hiſtoria Sacra, Hebræis illicitum eſſe comedere cum Aegyptijs; ſed Aegyptios reputare profanum tale conuiuium. Cur autem Aegyptij tale conuiuium profanum haberent, cauſſa eſt, quoniam multa animalia bruta ab Aegyptijs colebantur, illiſq. tamquam Dijs offerebantur munera. Quæ cum ab Hebræis mactarentur, atque comederuntur, vt puta Vituli, Tauri, Columbæ, ac ſimilia animalia, a Gentilibus venerata, & Dij habita, cum illis manducare recuſabant, Non eſt forte ingrata, quæ ab Oleaſtro affertur ratio: qui, propter immunditiam *Oleaſter.* id eſſe in vſu, aſſerit, Aegyptiorū mos fuit, vt paſtores ouiū deteſtarentur: Ioſephi vero fratres omnes erant ouium paſtores. Hæc docemur capite quadrageſimo ſexto eiuſdem libri. Vbi Ioſephus, ducturus patrem, & fratres, in Aegyptum, hæc dixit eis: *Aſcendam, & nuntiabo Pharaoni. dicamq. ei. Fratres mei, & domus patris mei, qui erant in terra Chanaā, venerūt ad me, & ſunt viri paſtores ouium, curāq. habent alendorum gregum. Pecora ſua, & armenta, & omnia, quæ habere potuerunt, adduxerunt ſecum. Cumq. vocauerit vos, & dixerit. Quid eſt opus veſtrum? reſpondebitis, Viri paſtores ſumus, ſerui tui, ab infantia noſtra, vſque in præſens, & nos, & patres noſtri. Hæc autem dicetis, vt habitare poſſitis in terra Geſſen, quia deteſtātur Aegyptij omnes paſtores ouiū.* Hæc ibi. Cum igitur hoc fuerit inſtitutum Aegyptiorum, vt ouium paſtores abhorrerent, Hebræi autem omnes eſſent tales tunc temporis; ob id profana ab eis habebantur illa conuiuiā, vbi, cum Hebræis

bræis

bræis eſſet edendum. Loci itaqne huius allata expoſitione, quam fit parui ponderis ratio Oſaichi vnuſquiſque iudicare poteſt. Ceteras proſequamur ponderando. Duo erant, ab Exodo accepta loca.
Cap. 23. Cap. 34. Quorum in vno hæc leguntur. *Non inibis cum eis fœdus, nec habitent in terra tua.* In altero autem: *Caue, ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, nec ineas pactum cum hominibus illarum Regionum.* Primi loci verborum ſenſus eſt. Cum illis non inibis fœdus, ideſt connubia, nec Dijs illorum offeres holocauſta. Quod ſi Fœderis nomine, amicitias quis velit intelligere, adhuc ratio infirma erit, ac inualida ad probandam concluſionem. Negat, & inhibet Dominus populo credenti illas amicitias, & neceſſitudines, quæ arctiſſimo nexu deuinciunt animos. Vbi amicus, alter ego, vt dicitur vulgato adagio, vbi mores vnius, ſunt alterius inſtituta. At in euentu, quo vtimur infidelium auxilio, contra infideles, ſufficit dumtaxat eos recipere in ijs, quæ ad bellum pertinent, ad actumq. illum, non autem in alijs rebus. Verba contextus hanc nos docent interpretationem: quæ ſic iacent. *Non inibis cum eo fœdus nec cum Dijs eorum.* Vna, & eadem vox vtrique conceptui reſpondet; cultui ſcilicet Dei, & amori hominum. Gradus habet Caritas: gradus habet Dilectio. Amamus Deum, & homines; at arctiori nexu Deo debemus amore copulari, quam rebus alijs dilectione. Cum ergo inquit. Non inibis fœdus cum illis, & Dijs eorum, ſignum euidentiſſimum eſt, (ſeruata ſemper proportione, &, quæ dicitur, analogia) vti inhibet cultum Deorum Gentilium, & amorem erga illos; ita amicitias, quæ iubent in mores amicorum mutari. Phraſis Hebræa nobis nec latenter id innuit. Quod Latine legitur, Non inibis cum eis fœdus, nec cum Dijs eorum, Codex Hebræus, pro verbo illo, *Inibis*, legit *Charat.* quod verbum percutere, ſignificat; & conſentanee fœdus inire, eo quod victimas ferirent, cum fœdus, irent: vt retro diximus. Quibus addere poſſumus id, quod de
Cap. 15. Patriarcha Abramo ſcriptum reperimus in Sacra Geneſi. Præcepit ei Dominus, vt victimas mactaret anteaquam cum illo fœdus iniret. Secundus locus eadem interpretatione debet intelligi. Nouerat Dominus, populum illum Idolatriæ eſſe propenſum: ideo omnem occaſionem labendi in eam, auferre genti ſuæ ſategit. Prohibuit pacta, amicitias ue arcto nexu homines alligantes, ne, illa neceſſitudine aſtricti, mores Gentilium ſequerentur, Deoſq. falſos colerent. Verba ſunt apertiſſima. *Ne ineas pactum* (præcipit Dominus) *cum hominibus illarum Regionum, ne, cum fornicati fuerint cum Dijs ſuis, & adorauerint ſimulacra eorum, vocet te quiſpiam, vt comedas de immolatis.* Ecce illa prohibet Hebræis pacta Dominus, quæ, morum imitatione, a cultu ſui illos auertere poterant. At hæc

minime

minime noſtræ aduerſantur ſententiæ: quod retro manifeſtè expreſ-
ſimus. Locus Leuitici, Numerorum, Deuteronomij, Ioſue, Iudi-
cum illa duo, eadem quoque laborant infirmitate. In Leuitico di-
cens Dominus. *Nolite ambulare in legitimis nationum*. Præcipit illis Cap. 20.
vt euitent ritum viuendi ſuperſtitioſum, ad inuentum a Dæmonibus Cap. 25.
quemadmodum inter linearis Gloſa, Lyranus, ac doctores omnes Cap. 7
ſentiunt. In libro Numerorum, dum ait ſacer hiſtoricus, *Et forni-* Cap. 23.
catus eſt populus cum filiabus Moab, & iratus eſt Dominus, & dixit ad Cap. 2.
Moyſen, Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra Solem: Cap. 19.
Hoc ea de cauſſa factum fuit, quoniam filij Iſrael cum mulieribus
Moabitis fornicati fuerant; captiq. illarum pulchritudine, & amo-
re, idolotita comederunt, Deoſq. illarum coluerunt. Non grauा-
bor, ea hic recenſere, quæ narrat Ioſephus de Antiquitatibus Iu-
daicis ſcribens, ad hunc locum attinentia. Conſultus Balaam a Ba-
laac, Rege Moabitarum, quomodo Iudæorum vires poſſet euita-
re, ſic reſpondit. *Vos quandam victoriam ad breue tempus aduerſus
eos lucrari deſideratis: quod impetrabitis, ſi hæc, quæ moneo, feceritis.
Filiarum veſtrarum ſpecioſas, præcipue virgines, quibus ſubdi, & deuin-
ci caſtitas poſſit inſpicientium propter pulchritudinis honeſtatem, circa
eorum exercitum proxime deſtinate: & ſupplicantibus eorum iuuenibus
vt earum amplexibus miſceantur, præcipue, quatenus, dum eos viderint
concupiſcentia obligatos, deſerant; rogantibuſq. manere eas, non primi-
tus annuant, quam eos patrias leges relinquere iubeant; ſimul & hono-
rem Dei, qui eas poſuit eis, & Madianitarum, atque Moabitarum, colere
ritum, cogant. ſic enim illis indignabitur Deus. Cum hæc ille dixiſſet,
abſceſſit. Madianitæ vero, dum miſiſſent filias ſuas ſicut ille monuerat,
Hebræorum iuuenes decepti ſunt pulchritudine puellarum, & ad eorum
colloquia venientes, rogabant, quatenus earum pulchritudine frueren-
tur; neque conſuetudinis proximitate recederent. At illæ, libenter hæc
verba audientes, conſenſerunt eis, obligantes eos amore ſuo. Quibus dum
concupiſcentia creuiſſet, eos illæ cœperunt deſerere. Dumq. illos anguſtia
de mulierum diſceſſu crudeliter inuaſiſſet, vberrimis fletibus exorabant,
ne eos illæ dererent; ſed futuras vxores, & Dominas omnium ſubſtan-
tiarum ſuarum, manere poſcebant. Quæ iuriſiurandi Religione firmabant.
Deumq. mediatorem promiſſione faciebant flentes, & vndique ſe metip-
ſos miſericordia dignos mulieribus oſtendentes. Illæ vero, dum eos ſerui-
tute iam captos eſſe cognoſcerent, & omni vinculo fidei conſuetudinis o-
bligatos, eis talia dicere cœperunt. Nobis quidem, o fortiſſimi iuuenes, do-
mus paternæ ſunt, & bonorum magna poſſeſſio; parentum, ac domeſticorũ
fauor, atque dilectio; nihilq. earum egentes, venimus ad veſtrum alloquiũ.
Neque quæſtum ſpecioſi corporis requirentes veſtram nobilitatem audi-
uimus, ſed viros bonos, & iuſtos exiſtimantes, honorare vos xenijs, qui-*

bus indigetis ad uenimus. Nunc vero, quando dicitis circa nos habere dilectionem, & noſtro contriſtari diſceſſu, neque nos veſtras preces abijcimus, ſed tantummodo fidem volumus fauoris veſtri percipere, per quā nos credere digniſſimum iudicamus, vt veſtram conuerſationem diligentes, vxores eſſe poſſimus. Formidamus etenim, ne, dum fueretis ſatietate noſtræ conſuetudinis adimpleti, deinceps contumelijs affectas, nos ad parentes noſtros remittatis. Rogantibus autem illis, &, vt vellent, fidem daturos ſe pollicentibus, & ob amorem in nullo contradicentibus, dixerunt illæ. Quomodo quidem hæc vobis placent, moribus autem, & vita vtimini omnibus aliena: ita, vt etiam cibos proprios habeatis, & pocula cum nullo communia. Neceſſe erit, volentibus vobis habitare nobiſcum, etiam & Deos colere noſtros. Neque erit indicium aliud circa nos veſtri fauoris; niſi eoſdem Deos, quos nos, adoretis: nulluſq. culpabit vos; ſi terræ, ad quam veniſtis, eius colatis & Numina: vt que, dum Dij ſunt omnibus communes, veſter vero in nullo ſit talis. Dicebantq. eis, vt aut, quæ eſſent, omnium ea facerent, aut aliam quærerent terram, in qua poſſent legibus proprijs conuerſari. Illi vero, earum amore deuincti, optima illas dicere iudicantes, & ſemet ipſos tradentes voluptatibus earum, Deoſq. plurimos iam putantes, & immolare eis lege prouinciæ proponentes, cibis etiam extraneis congaudebant, & omnes ad mulierum libidinem contra leges proprias inſurgebant, ita vt per omnem exercitum iuuenes agerent contra legem, & ſeditio priore multo peior incideret, cum omnium ſollemnitates iam propriæ deperirent. Nam, dum ſemel iuuenes mores extraneos attigiſſent, eos vberius appetebant, Sed &, ſi qui priorum virorum propter virtutes patrum nobiles erant, cum eius vitio ſubiacebant. Denique Samariæ Princeps tribus Simeon, dum haberet Chorami Madianitem mulierem Ducis cuiuſdam filiam, viri inter illos valde potentis, vxore iubente ante Moſaicas ſollemnitates, quod illam magis delectare effecit, nō immolando lege patria, ſed alienigenæ nuptias eligendo. Hæc Ioſephus: *Lyra.* cuius doctrinā amplexus eſt Nicolaus de Lyra, qui, hoc Numerorū caput exponens ait: *Sciendum, quod Balaam, ſciens filios Iſrael eſſe pronos ad luxuriam, dedit conſilium ipſi Balaac, vt mitteret puellas pulchras, nobiles, & ornatas, prope exercitum eorum, & quod iuuenes, venientes ad ſe, verbis allicerent, &, cum viderent eos inflammatos ad actum carnis, non permitterent, ſe ab eis cognoſci, niſi prius comederent de Idolotytis, & idola adorarent, quæ ſecum portauerant.* Sacra itaque aperta hiſtoria, manifeſtum eſt, locum hunc nihil ad negotium attinere: ſiquidem de Idolatria, & de connubijs eſt ſermo, non autem de vnione belligerendi gratia. Deuteronomij verborum ſenſus eſt. Non inibis fœdus cum illis, ideſt amicitias, quæ animum poſſint immutare in ijs, quæ ad Dei cultum attinent. Iubet interfeci omnes: & modus eſt loquendi, cum nulli parcendum eſſe indicamus. Verba præcedentia

cedentia, exponunt ſequentia: *Cũ vero introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam poſſeſſurus ingrederis, & deleuerit gentes multas coram te, Hetheum, & Gergezeum, & Ammorrhæum, & Chananæum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebus eum ſeptem gentes multo maioris numeri, quam tu es, & robuſtiores te, tradideritq. eas Dominus Deus tibi, percuties eas vſque ad internecionem, non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum, neque ſociabis cum eis connubia.* Iubet omnino interimi, fœdera prohibet, ideſt amicitias habentes virtutem ad immutandos ritus, & homines, ad Idolatriam impellentes. Iccirco ſtatim ſequitur: *Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies pro filio tuo, quia ſeducet filium tuũ ne ſequatur me, & vt magis ſeruiat Dijs alienis, iraſceturq. furor Domini, & delebit te cito. Quin potius hæc facies eis. Aras eorum ſubuertite, & confringite ſtatuas, lucoſq. ſuccidite, & ſculptilia comburite quia populus ſanctus es Domino Deo tuo.* Iubet Dominus gentes illas interfici, illiſq. non eſſe parcendum, inhibet ſocietates, & connubia, vna & eadem de cauſſa, ne, illarum peſſima ſtatuta ſequentes, Idola colerent Hebræi. Nec alio ſenſu accipienda ſunt verba in Ioſue. Prohibet ibi Dominus conubia, & arctiſſimas illas amicitias, quæ a cultu Dei animum poſſunt auocare, non autem fœdera bellica, ad noſtram augendam Religionem, & ad debellandos Crucis hoſtes. Lyranus id aperte voluit, dicens, in verbis, miſcere connubia. *quod erat eis prohibitum, vt habetur Deuter. 7. quia talia ſunt occaſiones recedendi a Deo. Treguas autem, vel aliqua pacta ad hoc non inducentia, non erat eis illicitum.* Hæc ille. Quæ confirmat verbis Gloſſæ 21. capitis eiuſdem libri, in verbo *Dedit.* Quæ autem ſecundo Iudicum capite leguntur, repetunt quæ ex Exodi 34. explicauimus, retro adducta. Ob hanc cauſſam, data opera, ſilentio illa præterire exiſtimaui, ne eadem repetẽdo, ſuperuacaneus eſſem. Illa etiam, quæ ſecundo loco ſunt allata, ex eodem libro, minime vrgent. Declinauit vir ille oppidũ gentis alienæ, quoniã ſe ipsũ eis credere non auſus eſt. Addatur, ex illo antecedente, quod cõſequens illud nulla ratione prouenit; oppoſitumq. conſequentis, vt logice dixerim, ſtat cum ſuo antecedente. Paralipomenon quæ ſcripta ſunt, a Propheta prolata, reprehendente Ioſaphat, Regem Iudæ, qui Acab ſceleſtiſſimo Idolatræ auxilium præſtiterat, nihil obſunt nobis. Diſpar, valdeq. diſtans eſt a noſtra ſententia euentus ille. Nulli præbet auxilium Idolatræ, ſed vtitur Chriſtianus Princeps infidelibus, ad oppugnandos infideles. Addatur, ea a Propheta Ioſaphat dicta fuiſſe, quoniam contra Dei voluntatem id egerat. Adducebantur gemina Eſdræ teſtimonia, vnumq. Nehemiæ. Primum erat hoc. *Erubui enim petere a Rege auxilium, & equos, qui defenderent nos, ab inimico in via, qui diximus*

manus Dei noſtri ſuper nos. Parũ certe, ac nihil potius, locus iſte facit nobis negotium. Non mutat factum Eſdra, nec fatetur erubeſcere ſimpliciter, quia Rex ei præſtiterit auxilium. Sed, quoniam, vt verba contextus manifeſte indicant, iam dixerat, manum Dei ſuper eum eſſe, mox auxilio Regis illius vſus fuerat, velut eorum, quæ dixerat, oblitus. Verum, quid inde, obſecro? nec de auxilio bellico, nec de fœdere fit verbum. Nos vero de eo loquimur. Debuit Oſaſchus rationem adducere propriam concluſioni. Ariſtoteles enim, dum primo Poſteriorum de conditionibus præmiſſarum, deq. demonſtratione loquitur, ait, illam conſtare ex proprijs; præmiſſaſq. ex proprijs prædicatis, & ſubiecto conſtitui. Secunda ratio iam reiecta eſt. *I*nhibentur matrimonia fidelibus, cum mulieribus infidelibus contracta, quæ nec nos admittimus, de quibus vel nulla prorſus eſt lis, in præſentiarum, ac controuerſia. Iubet Nehemias ſeparari alienigenas a Iudæis ob idolatriam, cui nimis propenſa erat illa Hebræorum gens, obq. morum imitationem. His explicatis, ad teſtimonia Prophetarum, & primo Dauidis, explicanda accedamus. Adducebatur verſiculus primi Pſalmi Dauidis, primo loco. Nimirum: *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, et in via peccatorum non ſtetit; et in Cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Vt verum fatear, gratis adducuntur hæc teſtimonia Dauidis. tantum enim abſunt a materia propoſita, vt nihil commune habeant cum illa. In primo hoc Pſalmo, Dauid beatitudines deſcribit viri beati. Iuxta Hebræum, quod Latine dicitur Beatus vir, legitur Beatitudines viri, qui non ambulauit in conſilio impiorum. dictio illa *Beatitudines* caret numero ſingulari apud Hebræos, quemadmodum apud nos. Nuptiæ, Nundinæ, Arma, ac huiuſmodi. Hinc ſequitur, quod intelligi poteſt, pro ſingulari illud plurale: & ſenſus erit, quod ille Beatus in hac vita in ſpe, re erit Beatus in paradiſo. Huius Beati viri deſcribitur felicitas. Beatum autem facit illum virum, qui neque cum impijs viam habet communem, neque firmum conſilium peccatorum ample-

Theodore.

ctitur, & qui fugit ſtabilem morborum corruptionem, vt Theodoretus interpretatur. Impios appellat, qui affectu, vel opere Patri Cæleſti, & patriæ illi diuinæ aduerſantur. Etenim, cum pietas ſit illa virtus, quæ patri, & Patriæ officia exhibet, cultum, honoremque: ita impietas, pietati oppoſita, vnum, & alterum perimit. Quod ſi animi affectu, vel opere, peccato nimirum, id efficitur, ſane impij homines huiuſmodi appellari poſſunt. Quos vero dicit peccatores Dauid, illos accipe, qui declinant a rectitudine legis, ſiue Diuinæ ſiue Naturalis, ſiue Scriptæ. Peccatum namque, communi ſignificatione acceptum, conſiſtit in declinatione a rectitu-

dine.

dine. Beatus igitur erit ille, qui, licet venerit in via peccatorum ha-
ſcendo, at non ſtetit, quoniam illecebræ eum non tenuerunt ſæcu-
li; vt inquit Pater Auguſtinus in eodem loco. Noluit Regnum ter- S. Aug.
renum cum ſuperbia. Vel, vt Beatus Hieronymus ait, (quem ſen- S. Hieru.
ſum necnon accepit idem Pater Auguſtinus) in pernicioſa doctri-
na, qui non abijt recedens a Deo. Stetit, cum peccato eſt delecta-
tus. Sedit cum ſua ſuperbia confirmatus redire non potuit, niſi per
eum liberatus, qui neque *abijt in conſilio impiorum, nec in via pecca-
torum ſtetit, nec in cathedra peſtilentiæ ſedit.* Quorſum hæc? Ea de
cauſſa hæc ſunt allata, vt omnibus fiat conſpicuum, Pſalmi verba,
verborumq. intelligentiam, conuenire non poſſe materiæ propo-
ſitæ. Nec enim de fœdere percuſſo, nec de huiuſmodi conſilio,
verba ſunt intelliganda. Omitto, de Domino IESV CHRI-
STO verba accipienda eſſe, vt Beatis Theodoreto, & Auguſtino
placet. Secundus verſiculus ſecundi Pſalmi, de Domino IESV
Saluatore noſtro dictus eſt: contra quem Iudææ Rectores, Hero-
des, Pilatus, prius inimici, & eo tempore amici facti ſunt, Anna,
Caiphas, Gentiles, & Iudæi, in eius necem conſpirarunt. Vtitur,
more Prophetarum, præterito pro futuro. Prophetiæ certitudo,
apud quam ita ſunt certa futura, ac ſi eſſent præterita, hoc ſibi
iure proprio vindicat: & ait: *Quare, &c. aſtiterunt Reges Terræ,
& Principes conuenerunt in vnum.* Quærit cauſſam, non quaſi igno-
rans, ſed ob oculos ponens populis illorum erratum. Nulla hic
mentio, nullus ve ſenſus fœderis legitur. Damnatur illa conſpi-
ratio contra IESVM Redemptorem noſtrum. Hæc fuit Apoſtolo-
rum interpretatio. ita Sanctus Lucas in Apoſtolorum Actis, hoc Cap. 4.
ſcripſit: Apoſtoli vnanimiter leuauerunt vocem ad Dominum,
& dixerunt: *Domine, qui feciſti Cælum, & terram, mare, et om-
nia, quæ in eis ſunt. Qui Spiritu ſancto per os Patris noſtri Dauid,
pueri tui, dixiſti: Quare fremuerunt Gentes, et populi meditati ſunt
inania? Aſtiterunt Reges terræ, et Principes conuenerunt in vnum,
aduerſus Dominum, et aduerſus Chriſtum eius: conuenerunt enim ve-
rè in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum IESVM, quem
vnxiſti.* Verba Pſalmi vigeſimi quinti attinent ad bellum Banaa,
& Rechab, Principum Latronum, vt adnotauit Illuſtriſſimus, 2. Reg. 4.
& Reuerendiſſimus Caietanus: Hi occiderunt Isboſeth, & ca-
put eius Dauidi in Hebron attulerunt. Et erit ſenſus: Odio ha-
bui congregationem Banaa, & Rechab, principum huiuſce con-
gregationis: & cum eiſdem impijs non ſedebo, idest non regna-
bo, non adnumerabo inter regni mei maiores. Quod demum factis
omnibus apertum fecit. Non tantum enim ſeſſionis gratia eos indi-

gnos iudicauit, verum eos occidi mandauit. Silentio prætereundam eſſe non cenſeo Beati Theodoreti interpretationem. Sic autem ait: *Tuum cultum curaui, vt, cum apud impios iniquoſq. homines eſſē, illorū conuenticula, noxiaſq. conſuetudines effugi. Significat autē per hæc apud alienigenas vſum, cum quibus ob fugā ſimul habitare coactus, neq. impietatis neq. iniquitatis, cū ipſis voluit eſſe particeps.* Hæc vir beatus. Quæ, vt vnuſquiſque videre poteſt, dicta a nobis retro ſtabiliunt, reddūtq. ſolidiora. Neç enim concedendum eſt fœdus, ac vnio, vt mores illorum imitemur, qui a fide noſtra ſunt alieni. Minime omnium. Abſit hoc, ſed dumtaxat, vt auxilio illorum vtamur, ad inimicos Dei profligandos. Alia aſpiciamus loca. Erant verba Pſalmi trigeſimi ſecundi: *Dominus diſſipat conſilia gentium.* Iuxta Hebræum: *Dominus rupit conſilium gentium, irritas fecit cogitationes populorum.* Sic adnotaui, quoniam, quæ priſcis temporibus beneficia collata fuerint Hebræis, meminit latenter Dei Propheta, nedum quæ poſt IESV Saluatoris mortem, electis. Geminā patiuntur interpretationem, duplicemq. habent verba illa explicationem. nam non modo Aſſyriorum, & Sennacherib, & Rapſacis, conſilia diſſipauit, & proprij cōſilij potentiam, & veritatem oſtendit; verum etiam Gentium impetus per orbem, contra Apoſtolos diſſoluit, & propriæ potentiæ robur notum fecit. Quandoquidem hoc vaticinantis ſermo latenter innuit, inquiens; *Cogitationes cordis eius in generationem, & generationem.* Duarum ætatum memoria docet, & ea, quæ nunc acciderūt, & illa, quæ poſt hæc futura erant. Beatus quoque Auguſtinus in ſecunda concione, in eundem Pſalmum, ſic locum eſt interpretatus. *Quando dixerunt, Tollamus eos de terra, & non erit nomen Chriſtianum, ſi hoc fecerimus, ſic occidantur, ſic torqueantur talia, & talia, illis infligantur. dicta ſunt hæc, & inter hæc creuit Eccleſia.* Reprobat conſilia populorum, reprobat conſilia Principum. hæc ſunt conſilia, de quibus ibi eſt ſermo. Aegyptiorum, qui ſeruituti populum Dei ſubijcere, ſubiectoſq. detinere conati ſunt, Amalechitarum, Amorrhæorū, Chananæorum, Syriorum, Moabitarum, Ammonitarum & c. qui vires proprias exercuerunt, vt ſeruitute, & ſubiectione opprimerēt Dei optimi populum, conſilia diſſipauit. De ijs locutus eſt Propheta. Hæc autem quantum ab argumento Oſaſchi abſint longe, vnuſquiſq. poteſt iudicare. Teſtimoniū relatum fuit ex Pſalmo quadrageſimo tertio, quod aliquid auxilij præſtare videtur Cacherani doctrinæ. At re uera nihil prodeſt. Verba Pſalmi hæc ſunt: *Si obliti ſumus nomen Dei noſtri, ſi expandimus manus noſtras ad Deum alienum.* De Idolatra eſt ſermo, & de refugio ad Idola. Senſus eſt: Si negleximus Deum noſtrum, & ſi ſupplices manus ad Deum alienum, ad Idola exten-

la extendimus eorum, auxilium implorando. Quam virtutem præ ſetulerunt Machabæi, & ſocij Matthatiæ, & ſeptem iuuenes cum matre, & Eleazaro ſacerdote. Neque enim illecebris ſe demulciri paſſi ſunt, neque ſupplicijs ſuccubuerunt: ſed verum Dei cultum intactum conſeruarunt, & Idolorum cultum reſpuerunt. Quæ autem ſequebantur, verba Pſalmi quinti ſupra centeſimum, *Et commiſti ſunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum* referunt ea, quæ impie facta fueruut a populo Hebræo, cum toties in Idolatriam lapſus eſt, crimen execrandum. Hæc eſt mistio, quæ ibi damnatur, non autem fœdus, quod retro explicauimus. Prouerbium Salomonis, quod adductum fuit, nobis indicat, ſpem noſtram in Deo, non in hominibus fore collocandam. Sic loquitur interpres, Gloſſa, in verbo illo, vnde Hieremias: *Maledictus qui ponit ſpem ſuam in homine, & ponit carnem ſuam brachium ſuum.* Qui recte denti putrido, & pedi lapſo comparatur. quia vnicum hominis bonum, id eſt adhærere Deo, & ponere in Deo ſpem ſuam neſcit iſte, nec vitæ percipere cibum, nec ad manſionem poteſt deſideratæ ſalutis pertingere, & amittit pallium in die frigoris: quia, etſi in ſerenitate vitæ habitu Religionis videatur indutus, in die iudicij patebit nudus. Salomon itaque lectorem præmonet, ſpem noſtram collocandam eſſe in Deo. Poſſumus quinetiam dicere, moneri nos illo prouerbio, (& reſponſio in primam redibit) fallacem eſſe ſpem, quæ in homine ponitur. Sæpe enim, vbi maior eſt neceſſitas, decipimur, & promiſſa nos miſerrime fallunt. Verbum vero *Infideli* non tantum Gentilem, verum & eum qui promiſſis non ſtat, accipere debemus. Venio ad Eſaiam. Capite ſecundo illius Prophetiæ duo leguntur a Sancto Propheta vaticinio expoſita Culpa Hebræorum, ob quam pœnas dederunt a Domino correpti, fuit Idolatria. Crimen illud, vt Gloſſa interlinearis ibidem, Lyranus, ac doctores interpretantur, immo & verba ipſe manifeſte hoc volunt, innuunt quæ Iudicum tempore, ac Regum a populo Hebræo geſta fuerunt, idolis ſeruiente. Hoc eodem ſenſu accipienda ſunt, quæ ex capite octauo eiuſdem Prophetiæ ſunt adducta. Aquis Syloe regimen Iuda, & Dei cultus in quiete, & manſuetudine eſt intelligendus. Quibus relictis, populus ille ad Regem Syriæ, & filium Romeliæ confugit, magis confidens illorum auxilio, quam diuino. Hoc reprehendit paſſim Dominus. Cum enim omnia inferiora agentia, ſint Dei manus inſtrumenta, atque inſtrumenta, eatenus agant, quatenus a primo agente excitantur, atque mouentur. Deo fit iniuria, dum magis auxilio humano credimus, atque confidimus, quam Diuino. Ordo eſt peruerſus. Primum fit nouiſſimum, & poſtremum primum. Sic capite 30. & 31. idem inculcat. Præuidit

dit vir Dei, quæ futura erant tempore Sedechiæ Regis. ipſe namque floruit diebus Regni Manaſſes, in principioq. illius Regni, prophetauit quod perdurauit quinquaginta quinque annis. Ab eo autem tempore, vſque ad Sedechiæ tempora, fluxerunt anni centum ac decem, & tempore Oſeæ, quorum primus præfuit Iudæ, ſecundus autem Iſraeli. Sedechias, vt trigeſimo ſeptimo capite Hieremiæ legitur, defecit a Rege Nabucdonoſore, contra conſilium Hieremiæ; magis fiſus, quam par eſſet, auxilio Regis Aegyptiorum, a quo deceptus fuit, tempore opportuno auxilium ei denegando: Minatur Propheta, & obiurgat populum magis credentem auxilio Pharaonis, quam Diuino. Id eſt, de quo conqueritur Propheta nomine Domini: Regem illum magis fretum fuiſſe Aegyptiorum auxilio, quam Diuino. Capite vero quod ſequitur, reprehendit Oſeæ Regem Iſrael, eodem peccantem crimine. Verba ſunt conſpicua hoc atteſtantia: *Veh* inquit Propheta, *qui deſcendunt in Aegyptum auxilium in equis ſperantes, & habentes fiduciam ſuper quadrigis quia multæ ſunt; & ſuper equitibus, quia præualidi nimis; & non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſrael, & Dominum non requiſiuerunt. Aegyptus homo, & non Deus, equi eorum caro, & non ſpiritus. & Dominus inclinabit manum ſuam; & corruet auxiliator, & cadet cui præſtatur auxilium.* Iraſcitur Dominus Iſraelitico Regi, & populo eius, quia, eo relicto, a quo omne auxilium prouenit, nimis crediderint Aegyptiorum Regi. At latum eſt diſcrimen inter hæc, & fœdus, auxilium ve, quod diximus nos Principi non eſſe indecens Christiano. Spes tunc non collocatur in homine, ſed in Deo: qui vtitur inimicis ad profligandos eiuſdem inimicos. Non relinquitur Deus. Ad illum tamquam Dominum omnium confugit Princeps, eiuſq. humiliter poſtulat auxilium. Addebat Oſaſchus, quæ capite quinquageſimo leguntur eiuſdem Prophetiæ: Nimirum *Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum etc.* Quæ cur ſint adiecta ſuperioribus, iudicium aliorum erit. Loquitur ibi Propheta de Saluatore noſtro IESV monens Hebræos, vt ab idolorum cultu abſint, illumq. execrentur: & vt ſacerdotes, vaſa Domini ferentes, ſint mundi. Hæc autem, quam, obſecro, affinitatem habent, cum propoſita materia? Nullam certe. Nihilominus doctiſſimus iſte iure conſultus, pro robotanda eius opinione, hæc adduxit Prophetiæ verba. Vltimus locus huius Prophetiæ reprehendit Iudæam, quam ſimilem adulteræ impudiciſſimæ facit, in eodem ſtrato maritum, & adulterum recipientis. Tempore Regni Manaſſæ, quando idola in templo Domini nefarie, & ſceleſtiſſime poſita fuerũt, id eueniſſe dicendum eſt: vt Paralipomenon liber monet legentem. Fœdus pepigit tunc Iudæa cum Idolis,

a *Cap. 23.* non liber monet legentem. Fœdus pepigit tunc Iudæa cum Idolis, genteq; Idolorum cultrice, in falſi Dei honore, in cultu Dæmonum,

& non Dei. Id eſt, quod ibi Eſaias loquitur. Atqui, vti aliena ſunt a re propoſita hæc relata teſtimonia, ita etiam ex Hieremia, Ezechiele, alijsq. Prophetis excerpta, nullo ei ſunt adiumento ad propoſitam theſim confirmandam. Omnia vel ad Idolorum cultum execrandum attinent, vel ad collocandam in Deo ſpem noſtram faciunt. Singula ſummatim perpendamus. Primus Hieremiæ locus erat iſte: *Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt, fontem aquæ viuæ, et foderunt ſibi ciſternas diſsipatas, quæ non valent continere aquas.* Per aquas, ciſternarum intelligens Aegyptios, & Aſſyrios, ad quos confugerant, (ſubtexit Oſaſchus) at fruſtra. Senſus namque verborum eſt: Me dereliquerunt Deum verum, & viuum, fontem aquæ viuæ (ita appellat ſe ipſum Dominus, cum ſit vita per eſſentiam, dans omnibus vitam & inſpirationem, participatione ac communicatione ſui) *& foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* ideſt, quemadmodum fodientes ciſternas labore vtuntur, ita populus iſte, laboribus non parcens, Idolatriæ ſe dedit, Deos mortuos colendo. Sic interpretantur tum Gloſſa ordinaria, tum Lyranus, tum etiam Patres vbique. Nec certe accommodatior, atque opportunior verborum illorum poteſt eſſe ſenſus. Hoc idem repetit Dei Vates in capite ſequenti, dicens: *Vulgo dicitur* (ſic parœmia incipit Propheta, partem illam exornando.) *ſi dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, numquid reuertetur ad eam vltra? numquid non polluta, & contaminata erit mulier illa. Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus.* Similitudine miſericordiam propriam oſtendit Deus dicens; *Si vir dimittat vxorem ſuam, quæ, ab illo recedens, alterum ducat virum, reuertetur forte ad eum, quem dereliquit?* Minime id eueniet. Ratio eſt, quoniam, nouo viro polluta, & inhonore affecta, illum non recipiet. At tu, popule meus, idolorum cultu fornicatus es, attamen reuertere, quoniam ego recipiam te. Cum item inquit, *Iuxta viam Gentium nolite diſcere.* ideſt, Idolatriam. Cum dicitur, *Inuenta eſt coniuratio in viris Iudæis, & habitatoribus Hieruſalem, & abierunt poſt Deos alienos, vt ſeruirent eis,* verba nulla prorſus egent interpretatione: ſiquidem de Idolorum ſunt cultu. Quare hæc omnia, vt dictum eſt ſupra ad Idolatriam attinent, non autem ad fœdera, quæ belli gratia percutiunt Principes. Quæ citantur ex capite trigeſimo ſexto eiuſdem Prophetæ, tantum abeſt, vt noſtræ opponantur ſententiæ, vt potius illi faueant, eiq. ſint adiumento. Sunt verba Prophetæ, Sedechiam reprehendentis, Iudæ Regem. Is enim, cum Conſtitutus eſſet Rex, pro Iechonia, a Nabudonoſore, Chaldæorum Rege, Regni Iudæ; vti dignitatem Regiam, ita & nomen accepit. Cum enim antea Matha-

thias vocaretur Sedechias, quod Iuſtitia Dei appellatur, ab illo Rege Chaldæorum, & Rex conſtitutus,& appellatus hoc nomine fuit. Regnum accipiens, iurauit Aegyptijs numquam adhæſurum, tributaq. Regi Chaldæorum ſe redditurum eſſe. Labentibus annis factum mutando, beneficiorum acceptorum immemor; iureiurando, & Hieremiæ monitis neglectis, a Rege Nabucdonoſor defecit, confugiens ad Pharaonem, a quo auxilium ſperabat. Spopondit Pharao, ſed promiſſis non ſtetit. Chaldæorum Rex, cognita Sedechiæ inconſtantia, ac temeritate, mittens exercitum, a quo & ipſe, & populus eius eſſet debellandus, & ciuitas capienda, infelix Sedechias, Regis Aegypti auxilio deſtitutus, a Ducibus Nabucdonoſor in campis Hierichontinis captus eſt, & ſocij eius huc & illuc diſperſi, fracti, & diſpalati miſerrime victi ſunt: vt Regum,& Paralipomenon nos docet ſcriptura. Ob violatam fidem,& iuſiurandum neglectum; ob ſpreta Prophetæ Dei monita, Sedechias punitus eſt a Deo. Ob hæc Rex Nabucdonoſor de illo ſupplicium acerbum ſumpſit. Quem locũ pertractans Pater Hieronymus, inquit: Inimico fidem eſſe ſeruandam. Nec enim eſt conſiderandum cui, ſed per quem iuraueris. multo enim fidelior inuentus eſt ille, qui propter nomen Dei tibi credidit, & deceptus eſt; quam tu, qui per occaſionem Diuinæ maieſtatis hoſti tuo, immo iam amico inſidias molitus es. Cauſſa patet, propter quam Sedechias a Deo percuſſus eſt & Propheta Hieremias reprehendat eundem, & Ezechiel capite decimo ſeptimo iratum Dominum huic Regi Iudæ dixerit, quia fides non erat ſeruata, iuſiurandumq. violatum. Sic legimus in Ezechiele, rem hanc prophetante. *Dic ad domum exaſperantem. Neſcitis, quid iſta ſignificent* (prius ænigma propoſuerat Aquilæ magnæ venientis ad libanum, & Cedri medullam auferentis, transferentiſq. illam in terram Chanaan, & quæ ſequuntur) *Dic. Ecce venit Rex Babylonis in Hieruſalem, & aſſumet Regem, & Principes eius, & adducet eos ad ſemetipſum in Babylonem, & tollet de ſemine Regni; ferietq. cum eo fœdus, & accipiet ab eo iuſiurandum. Sed & fortes terræ tollet, vt ſit Regnum humile, & non eleuetur, ſed cuſtodiat pactum eius, & ſeruet illud. Qui recedens ab eo, miſit nuntios ad Aegyptum, vt daret ſibi equos, & populum multum. Numquid proſperabitur, vel conſequetur ſalutem, qui fecit hæc? Et, qui diſſoluit pactum, numquid effugiet? Viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in loco, qui conſtituit eum Regem, cuius fecit irritum iuramentum, et ſoluit pactum, quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur.* Hæc Ezechiel. percutitur igitur a Deo Sedechias, non quod auxilium acceperit ab Aegyptijs, ſed quod fidem prodiderit, iuſiurandum violarit, & pactum diſſoluerit. Fruſtra itaque adducitur hæc Hieremiæ ſententia. Incaſſum referuntur Ezechielis verba. immo, vt re-

tro dictum eſt, magis fauent dictis noſtriſquam aduerſentur. Affligitur Rex, non ſeruans fidem, Rex populi circumciſionis, Regi Chaldæo. Nouiſſima, quæ ex Threnis ſunt citata, & ipſa quoque propria laborant imbecillitate. Richardus Pampolitanus ita verba illa exponit: *Cũ adhuc ſubſiſteremus terrenis negotijs occupati, defecerunt oculi noſtri, ad auxilium noſtrum vanum. cum reſpiceremus attenti ad gẽtem, quæ nos ſaluare non poterat, ideſt, morte, vel tentatione præuenti, inuenimus nos deceptos in diuitijs, vel potentia, quæ nec alios ſaluare poſſunt.* Verum ad litteræ ſenſa prope magis accedamus. Conqueritur Propheta, vanamque Iudæorum ſpem lamentatur, in Aegyptijs collocatam, vt diximus. Sperauerunt, auxilio Aegyptiorum liberari. at ſpes illos fefellit. Siquidem territi Aegyptij, cum adhuc eſſent in itinere, vt præſto eſſent Iudæis, timore Chaldæorum, reuerſi ſunt ad patrias domus. Quid vero roboris habere poſſit ratio, his, quæ hactenus dicta ſunt, conſpicuum eſſe poteſt. Prima Ezechielis ſententia relicta, de qua abunde diximus, ſecundam accipiamus. Idem Propheta increpat Samariam, & Hieruſalem, quod tamquam mulieres meretrices ad Aegyptios confugerint, & cum eis fornicatæ fuerint, & ea propter ab illis receſſerit Dominus. Prophetia loquitur de Idolatria, vt omnes ſentiunt, de qua nulla hic eſt diſcrepatio. Alius locus ex capite trigeſimoſexto, nullam habet efficaciam ad firmandam Oſaſchi ſententiam. Propheta in eo capite vaticinatur, & pollicetur conſolationem populo Iſraelitico, ei promittendo libertatem a ſeruitute dura, qua premebatur a populo alienigena. Duas autem docet cauſſas: quarum ſecunda hæc erat, vt aufferretur balſphemia contra Diuinum nomen. etenim, cum ex Iudaico populo quidam erant viri vitæ deprauatæ, ac moribus inhoneſtis contẽptibiles; e contra, quidam, probatis vitæ inſtitutis commendabiles: priores præbebant anſam Gentilibus nomen Domini blaſphemandi, dicendo: Hic eſt populus Dei, deriſorie. Mirabantur, homines profitentes Religionem, veriq. Dei cultum, vitam beſtiarum viuere, moribuſq. deprauatis in humana ſpecie monſtra eſſe. Probos viros intuentes, mirabantur, quo modò Deus propriæ non conſuluiſſet ſaluti plebis. Hac de cauſſa pollicetur ſanctus Vates ſalutem, liberam a captiuitate vitam. De ijs loquitur prophetia. & icciroo legãtur illa verba: *Et ingreſſi ſunt ad gentes, ad quas introierunt, & polluerunt nomen ſanctum meum, cum diceretur de eis, Populus Domini iſte eſt, & de terra eius egreſſi ſunt, & peperci nomini ſancto meo, quod polluerat domus Iſrael, in gentibus, ad quas ingreſſi ſunt. Icciroo dices domui Iſrael. Hæc dicit Dominus Deus. Non propter vos ego faciam domus Iſrael, ſed propter nomen ſanctum meum, quod polluiſtis in gentibus ad quas intraſtis.* Hic eſt verborum, quæ diximus, ſenſus, optime

conueniens litteræ. quod ſi Oſaſchus illam adduxit pro ſui tutela, quam parum profecerit, alij iudicent. Nouiſſime huius Prophetæ vſus eſt verbis illis, *Sufficiant vobis ſcelera veſtra domus Iſrael, eo quod inducitis filios alienos incircumciſos carne, in ſanctuario meo.* &c. Verba hæc nil habent commune cum argumento noſtro. Inquit Propheta, Domum Iſrael a peccatis recedere debere, homines illos reprehendens, qui eo temeritatis venerant, præcipue autem Sacerdotes, aſſentiendo quod non tantum Idola in Hieruſalem, verum in atrijs templi permittebant, & Sacerdotes Gentilium admittebant ad offerenda eis ſacificia. Quæ quo modo materiæ propoſitæ vlla ratione poſſint congruere non eſt, quod perſuadeam. Veniamus modo, his abſolutis, ad oracula Oſeæ, Amos, & Nahum. Primum Oſeæ teſtimonium illud erat: *Nolite ingredi in Galgala, & ne aſcendatis in Bethauen, vel in domum ὤν,* vt Septuaginta ponunt: quos ſecutus eſt Beatus Theodoretus. Inhibet Dominus his verbis, idolorum cul-

Theodor. tum, vt Gloſſa interlinearis, ordinaria, Lyranus, Haymo, Theodoretus, ac omnes exponunt. Galgala locus eſt, in quo Saul a Samuele vnctione ſancta Rex eſt conſtitutus. Locus etiam alia de cauſſa memoria dignus. ibi filij Iſrael, Iordane traiecto, venientes de deſerto, primum caſtrametati ſunt. ibi quinetiam, ſecunda circumciſione accepta, purgantur, ex quo tempore aduerſæ Religionis in loco celebri error inoleuit. ibi igitur cum Idola purgaſſent, nunc dicens Dominus ore Prophetæ, *Nolite ingredi in Galgala,* cultum Idolorum populo prohibet Iſraelitico. Bethauen. quæ, & Bethel, prius dicta, nomen immutauit: nec ſine ratione. Bethel, ſonat domum Domini. fuit prius domus Domini. cum nulla idolorum fœditate erat maculatus. At, vbi Ierobo am aureos vitulos adorandos poſuit ibidem, Bethauen, ideſt domus Idoli, & domus inutilis eſt appellata illa ciuitas, ſeu locus ille. Secundum Septuaginta pro Bethauen domus τὸ ὤν legitur. Quæ verba exponens Theodoretus, obſer-

Theodor. uat docte, & ſcienter, quod vox illa. τὸ ὤν non ſignificat Sempiter-

Symmach. num, vt apud Græcos frequenter ſolet vſurpari, quod docue-

Theodot. runt Hebraicæ linguæ periti, a quo idiomate vocabulum acceptum

Aquila. fuit: ideo Aquila, & Theodotio, Domum inutilem interpretati ſunt. Symmachus vero domum iniquitatis. Inhibet igitur, ne in Galgala ingrediantur, ne ſcilicet idolis exhibeant honorem, memores, a Ioſue in eo loco non tantum cultro lapideo incircunciſos populi fuiſſe circumciſos, verum duodecim lapides poſitos fuiſſe quos ex alueo Iordani accipiendos iuſſerat Dominus, in beneficij monumentum, conſtrctum altare fuiſſe, vt poſteritas noſceret Dei optimi benignitatem, qui ſiccato alueo, eos flumen fecit tranſire, ne ve in Bethauen aſcenderent, ideſt, ne ad Idola, quæ auctore Ieroboam erecta

fuerant

ſuerant, declinarent. Ex quinto capite gemina verborum textura fuit adducta: quarum prima hæc erat: *In Domino præuaricati ſunt qui filios alienos genuerunt.* Alia vero: *Abijt Ephraim ad Aſſur, & miſit ad Regem vltorem.* Et quæ ſequuntur. Vna, & altera, nullam propoſitæ concluſionis faciunt probationem. Primorum verborum ſenſus eſt: Quod Dominum reliquerunt, & filios ex mulieribus externis, quas contra Domini præceptum acceperant, ſuſceperunt. Sic Theodoretus verba exponit. Haymo autem ait, Præuaricati ſunt tunc, quando pro Deo idola ſunt venerati. Filios alienos genuerunt, hoc eſt iuncti idolis, non Deo, ſed Dæmonibus, filios genuerunt. Alieni quippe filij accipiuntur, qui in idolorum errore sũt generati. Cui primæ, ſecundam adiecit expoſitionem. Alienos illos dici filios, quos per ignem ductos, parentes dæmonibus conſecrarunt. Vtramque expoſitionem continet Gloſſa interlinearis: quæ hæc habet: *In errore Idolorum, vel quos per ignem ducentes idolis conſecrauerunt.* Verborum ſententia ſecundo loco citata ſuperius explicata fuit, cum diximus, populi Iudaici & Iſraelitici Reges erraſſe, dum magis freti ſunt auxilio Aegyptiorum, & Aſſyriorum, quam Dei optimi præſidio; Magis ve crediſſet gentilibus Principibus ſe ipſos, quam Deo Opimo & Maximo. De hoc Oſee hic conqueritur, vaticinando, vanam fuiſſe illorum ſpem. Ideo dicit: *Ephraim abijt ad Aßyrios,* (ideſt Regnum decem tribuum, eo quod Ieroboam fuerit ex illa triba Rex primus) *& miſit ad Regem vltorem.* Quem locum interpretando Theodoretus, habet hæc verba: *Nam, cum Syri ei bellum intulißent, Phoa, regem Aſſyriorum, in ſuum ſubſidium accerſiuit. Cum rurſus Aſſyrij bellum contra vos ſuſcipient, de auxilio petendo legatos mittetis ad Iarib, Regem Aegypti, vnde tamen non mittetur vobis ſubſidium, vt liberari poßitis, ſed dolorum aceruo cumulabimini.* *Quod autem* Iarib *eſſet Rex Aegyptiorum, ex his, quæ ſequuntur, facile cognoſcitur. Et erat Ephraim quaſi columba inſipiens, non habens cor; Aegyptum inuocabit, & in Aſſyrios abierunt. Nam cum a me peti oporteret auxilium, quod ſatis eſt ad eum defendendum, & eſt ei vicinum proximum, huc illuc circum Reges externos non ceſſat concurſare, & tamen auxilia, quæ petit, nulli erunt ei adiumento.* Hæc ille. Conqueritur itaque Dominus de populo illo, quod magis in Gentilium auxilio, quam in Diuino, ſpem ſuam collocaſſet. Hoc etiam ab Haymone accipimus. Inquit eo loci Doctor iſte: *Ephraim, cognoſcens ſuam infirmitatem & Iudas vinculum ſuum, hoc eſt cognoſcens ſibi ideo imminere captiuitatem, quia ſociatus erat decem tribubus, in peccato; miſit ad Aſſur, quia non a Deo, qui & peccatum, & captiuitatẽ ſoluere poterat, ſed a Rege Aſſyriorũ quæſiuit auxiliũ. Legimus in libro Regũ, quod ſub Rege* Manahen, *qui decem tribubus præfuit, Iſrael Aſſyrijs*

rijs dona tranſmiſiſſet, vt eum a Damaſcenis hoſtibus liberaret. Iudas quo que ſub Rege Achaz miſit munera Teglatphalaſſar, vt liberaret eum de oppreſſione Phaceæ, Regis Damaſci. Hæc Haymo ſcripſit. Parum igitur ad rem faciunt, nihilq. proſunt rei firmandæ alia adducta loca, quoniam eundem ſenſum habent, quem verba ex capite octauo eiuſdem Prophetiæ relata: ideoq. eadem reſponſione erunt reijcienda. Quod vltimo loco huius Prophetæ citatum eſt, nil aliud ſibi vult, niſi quod male fecerit Rex ille, qui, cum pacem inijſſet cum Aſſur, Aſſyriorum Rege, fœduſq. cum illo feciſſet, conuentione ſe obligando, mox ad Aegypti Regem nuntios, ac munera miſit, vt a tributo liberaretur, redderetur q. immunis. Quæ res cum a nobis retro fuerit expoſita, nunc data opera, ſilentio prætereunda eſt, ceteraq. inſpipicienda. Amos Oraculũ adductum ad Idolatriam attinet: *Noli te quærere Bethel, & in Galgala nolite intrare, & in Berſabee non tranſibitis.* De Bethel, & Galgala, quæ modo ſunt dicta, ſufficere poſsũt. Quod attinet ad Berſabee, prohibet tranſitum in eum locum, quoniam errabat tribus Iuda, & idola adorare conſueuerat. Verborum ergo ſenſus erit. Nolite ſequi idola, illiſq. cultũ exhibere: Illorũ veneratione relicta, meam quærite prouidentiam. Meminit autẽ Berſabee, hoc eſt puteum iuramenti. Non obſcura enim erat infamia, non ſolum ex illo puteo pietatem Patriarchæ Abrami non recordari, ſed etiam apud eum impietatem committere. Verba Nahum, quibus vtebatur ad probandam concluſionem hanc, eum non patiuntur ſenſum, quem ipſe attribuit eis. Ait Oſaſchus: Nahum reprehendere Niniuitas, propter fornicationem eorum, ſubſannans eos, quod Africa, & Libyes fuerint auxilium illorum. Qui ſenſus cõtextui eſt importunus. Propheta non reprehendit Niniuitas, ſed vaticinatur ciuitatis illius interitum, & cauſſas huius etiam edocet. non irridet Niniuem, quod auxilio Africæ fuerit vſa: ſed comparat Niniuem cum Alexandria, quæ tali auxilio vſa erat, nihilominus deſtructa fuerat: arguens a maiori ad minus, vt Dialectici inquiunt negatiue. Primo, vaticinatur Niniuæ Ciuitatis ruinam, dicens: *Vae ciuitas ſanguinum, vniuerſa mendaci dilaceratione plena. Non recedet a te rapina. Vox flagelli,* (hic prædicit ruinam) *& vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis aſcendentis, et micantis gladij, et fulgurantis haſtæ, et multitudinis interfectæ, et grauis ruinæ, nec eſt finis cadauerum. Et corruent in corporibus ſuis propter multitudinem fornicationum meretricis ſpecioſæ, et gratæ, et habentis maleficia,* (vaticinatus ruinam, nunc cauſſas explicat) *quæ vendidit gentes in fornicationibus ſuis, eo familias in maleficijs ſuis. Ecce ego, &c.* Plenam peccatorum, & iniquitatum, ait eſſe hanc ciuitatẽ. Quæ cum & ipſa eſſet Idolatra, alias gentes ſibi ſubiectas, vt idolis ſeruirent, efficiebat.

bat. Minatur ruinam, dicens, Ab illa non receſſuram eſſe rapinam. Nimirum, Chaldæos non eſſe inde diſceſſuros, niſi omnia eius bona rapuiſſent. Narrat mala imminentia, curruum ſtrepitum, equorum hinnitum, & equitum clamorem. perterrefacit armorum narratione, arma, & gladios fulgere dicens. Multitudinem interfectorum etiam prædicit, & gentium auxiliarium cædem. Comparat vero eam cum Alexandria, dicens: *Numquid melior es Alexandria populorum*, &c. Alexandria, vrbs Ægypti, celebris ſitu, ſuper Nilum, & mare ſedens, hinc inde fluminibus ambitur, inquit Propheta. Siquidem ex vna parte Nilo, ex altera Lacu Maræotico, & ex altera mari cingitur. Ammon olim dicta fuit, quod Ammoni Dæmoni fuerit dedicata, vt Theodoreto placuit. Illuſtris priſcis illis temporibus extitit oraculis, adeo, vt ex Græcia eo abirent homines ad conſulenda illa, petendaq. reſponſa. Alexandrum, ferunt rerum illius ſcriptores primum eo iuiſſe, reſponſaq. accepiſſe. a Nabucdonoſor deuaſtatas ab Alexandro, vbi Aegyptum ingreſſus eſt, reædificata, Ammonis nomine relicto, Alexandria, ob reſtauratoris memoriam, fuit appellata. Propheta cum hac ciuitate Niniuem comparat, dicens: *Numquid melior es tu Alexandria?* Cui licet Africa, & Libyes fuerint auxilio, nihilominus diruta fuit, nihilq. ei talia profuerunt auxilia. Quare nec recte citatur Propheta: nec ad eius roborandam ſententiam prodeſt aliquid. Ex libro autem Machabæorum relatum teſtimoniũ nobis minime aduerſatur. Docent verba illa, impie egiſſe Hebræorum nonnullos, qui, patrijs ſanctis legibus relictis, Gentilium inſtituta ſecuti erant, cultuiq. Idolorum ſe dederunt. His ita expoſitis, teſtimonia ex Nouo adducta, Teſtamento, & rationes, quę ſuperſunt, perpendamus.

Noui Teſtamenti locorum, & Rationum examen.

Caput XXI.

IN duos, ordines Oſaſchus argumenta, quibus eſt vſus ad propriam roborandam opinionem, diſtinxit: in teſtimonia quædam, & rationes. Atqui, quoniam duplex eſt Teſtamentum, ita auctoritates (vt dicunt) relatæ, fuerunt in duplici differentia; quædam ex Veteri, quędam ex Nouo Teſtamento excerptæ. Hactenus primas perpendimus: nunc trutina rationis ſecundæ ſunt examinandæ. Prima

erat

erat ex Sancti Matthæi Euangelio collecta: & verba ſunt Domini noſtri IESV Chriſti Saluatoris, ad diſcipulos dicentis: *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis*. Alloquitur Dominus diſcipulos, quos ad prædicandum mittit Euangelium, dicens eis, *In viam Gentium ne abieritis*. Prohibet ne egrediantur terram promiſſionis, prædicando Gentibus: neue hac eadem de cauſſa Samaritanis: quoniam ſcilicet primus Hebraicus populus veritatis factus eſt diſcipulus. Ne ideo cauſſam haberet non recipiendi, eo quod ad Gentes primo miſiſſet Apoſtolos, ideo dixit, *In viam Gentium ne abieritis*. Secundum teſtimonium erant verba mulieris Samaritanæ ad Dominum noſtrum, apud fontem Sichar. *Non coutuntur Iudæi Samaritanis*. Verba hæc nobis indicant, a Domino inhibita fuiſſe negotia & conuentiones Iudæis, cum Gentilibus. At, quæ, & quouſque, ſatis retro diximus. Illis contentus ſit benignus lector. Vnum ſilentio præterire nequeo. Samaritanos peculiari odio a Iudæis habitos fuiſſe: tum, quoniam gens illa fuit Iudæis, in templo reædificando, & in ciuitate reſtauranda impedimento, vt Eſdræ primo legitur libro; tum quoniam terræ partem eorundem occupabat. Non tantum itaque ob religionem, ſed ob alias cauſſas Hebræi Samaritanos deteſtabantur. Ex Actibus Apoſtolorum illa duo teſtimonia adducta, ex capite decimo, & vndecimo; vti eundem habent ſcopum, eundem ſenſum, eandem intelligentiam; ita vna, & eadem interpretatione, illis ſatis erit faciendum. Conciſe, ac diminute citantur ab Oſaſcho Capite decimo, hæc verba ſunt ſcripta. *Vos ſcitis, quo modo abbominatum ſit viro Iudæo, coniungi, aut accedere ad alienigenam. Sed mihi oſtendit Deus, neminem communem, aut immundum dicere hominem*. Capitis autem vndecimi verba ſic ſe habent. *Cum autem aſcendiſſet Petrus Hieroſolymam, diſceptabant aduerſus illum, qui erant in circunciſione, dicentes. Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis? Incipiens autem Petrus, exponebat illis ordinem, dicens. etc.* Paruo, immo nullo labore, cum verba ſint aperta, poſſumus hoc euitare argumentum. Siquidem Beatus Petrus illa interpretatur, quo modo cum circumciſis manducauerit, qua ve de cauſſa. Hiſtoria eſt geſtorum narranda. Italicæ Cohortis Centurio, nomine Cornelius, vir Dei timore præditus, in ciuitate Cæſarea eleemoſynis, aſſiduiſq. orationibus deditus erat, & ipſe, & familia eius Ad hunc miſit Deus nuntium, a quo inſtrueretur, quid ei faciendum eſſet, vt ſacro baptiſmate membrum corporis efficeretur, cuius caput eſt Saluator noſter IESVS. Nimirum, vt viros mitteret in Ioppen, Beatumq. Petrum accerſeret, qui in ea ciuitate, a Simone quodam Coriario hoſpitio receptus, manebat, Ab hoc erudien-

rudiendus erat Cornelius, atque ſacro baptiſmate lauandus. Dictis Cæleſtis nuntij obediens Centurio, duos ex domeſticis viros vocauit, militemq. Deum timentem. quibus cum ea, quæ geſta fuerant narraſſet, miſit eos Ioppen. Iter facientibus ſequenti die prope accedentibus ad Ioppen. Rediens Petrus Sanctus ab oratione, longo ieiunio cœpit eſurire: cui dum ſocij menſam, edenda vt pararent, incidit ipſe in mentis exceſſum: in quo exiſtens, Cælum viſum eſt ſibi apertum, illincq. vas quoddam deſcendere veluti Linteum, in quo erant omnia quadrupedia, humi ſerpentia, ac in aere volitantia. Vocem dicentis audiuit, vt ſurgeret, mactaret & veſceretur. Ceterum, quoniam ex ijs, quæ in Linteo aſpexerat, animalibus, quædam immunda erant, lege Moyſis vetita: negauit Beatus Petrus illa comedere, dicendo: *Abſit, Domine, quia numquam immundum edi.* Cui talia loquenti vox iam audita ad occidenda, & comedenda animalia eum hortans, adhuc bis eadem repetens, addidit. Id quod purum fecit Dominus, immundum minime fore dicendum Quibus enuntiatis, vas in cælum receptum eſt. Hæc Petro cogitante, &, quid nam eſſet, quod viderat, mente reuoluente, viri, a Cornelio miſſi, portæ domus, vbi hoſpes erat Apoſtolorum Princeps, aſtiterunt. Quem cum vocaſſent, rogarunt, vt Cæſaream veniret, ad Corneliumq. diuerteret. Dixerunt ei, quam cupidus eſſet vir ille Petri verba audiendi. Annuit Sanctus Petrus petitionibus honeſtis; relictaq. Ioppe, Cæſaream petijt Quam cum ingreſſus eſſet, magnus ille Centurio amicis, cognatis, neceſſarijsq. vocatis, ei obuiam factus, in terram procidens, adorauit Chriſti Vicarium. Adorationem recuſando, Petrus, Cornelium leuauit: domumq. illius ingreſſus, turbam illam allocutus, hæc dixit: *Vos ſcitis, quomodo abominatum ſit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam. Sed mihi oſtendit Deus, neminem communem, aut immundum dicere hominem.* Hæc Princeps Apoſtolorum. Hæc hiſtoria ſacra. Diuerterat Beatus Petrus ad hominem Gentilem: quorũ hominum genus, Iudæi tamquam immundum, aſpernabantur, ac euitabant. Vt e mentibus aſtantium, qui illuc conuenerant, hunc ſcrupulum euelleret, dixit, quos homines habebant Iudæi immundos, hos mundos eſſe, iam didiciſſe. Nouit Sanctus Petrus hoc, vt Gloſſa interlinearis obſeruat, & verba eiuſdem Beati Petri, in capite ſequenti, lectorem docent, in Linteo a Cælo deſcendente. Vidit animalia munda, & immmunda ſimul miſta; vocem audiuit dicentis, Surge, macta, & manduca, quia omnia munda facta erant a Deo; & ſtatim nuntios Cornelij rogantes audiuit. Docuit Apoſtolorum Principem illa viſio, Gentiles non eſſe ſpernendos, ſed corpori myſtico, cuius viſibile caput erat ipſe met Petrus, eſſe vniendos. Senſu

verborum, & ſcopo cognitis, manifeſtum eſt, loca iſta ad rem noſtram non attinere. Vtrobique Beatus Petrus declarat, cur in ortu Eccleſiæ (Synagoga cum honore ad ſepulcrum erat deferenda) ad Gentilem declinaſſet. Quoniam ſcilicet Deus (quæ eius eſt miſeratio) omnes recipit. Non autem de fœderibus loquitur. Immo, ſi verba in cute aſpicerentur, magis deſtruerent Cacherani doctrinam, quam illam fouerent. Etenim vterque verborũ ordo nos docet, fideles infidelibus miſtos eſſe. Verum, quoniam littera occidit, ſpiritus autẽ viuificat; dicamus, verba illa nobis indicare, Gentiles ab Eccleſia recipiendos eſſe. Licet enim ante Chriſti ortum, populus ille immundus eſſet, attamen, lege Euangelica promulgata, Chriſti ſanguine diffuſo, mundatam Gentilitatem, aptamq. fuiſſe factam ad Cæleſte Regnum baptiſmi ſuſceptione, nos docent illa verba. Vna & altera ſententia Sancti Pauli ſic eſt accipienda. Prior loquitur de fornicatione corporali, non autem ſpirituali. Scripſerat ad Corinthios epiſtolam Beatus Paulus, quæ ad huc deſideratur, iuſſitque, ne fornicarijs admiſcerentur. Ij, perperam Paulina verba intelligentes, fornicariorum nomine Idolatras accipiebãt. Apoſtolus, ſe ipſum declarando, inquit. Nomine Fornicarij, accepiſſe carnis vitium, corporalemq. fornicationem. Quod autem non miſceantur cum fornicarijs ſpiritualibus, nimirum Idolatris, ibi nec verbum quidem fit ab Apoſtolo. Secunda vero damnat Corinthios, habentes inter ſe litigia & forenſes controuerſias, & actores fratres conuenientes apud Ethnicos iudices. Verum addebat Oſaſchus. Si hoc nefas exiſtit, maius erit ſcelus, ab infidelibus aduerſus fideles auxilium quærere. Ratio hæc nihil aduerſus nos. Nec enim dicimus, Chriſtiano Principi licere auxilio infideliũ vti contra fideles; ſed contra infideles. Quod dam adiecit his ex Beato Paulo in poſteriori epiſtola ad Corinthios nimirum: *Quæ participatio iuſtitiæ, cum iniquitate?* &c. Verum parum proficit. Ibi enim Apoſtolus loquitur de matrimonijs, dicens: *Nolite ducere iugum cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitiæ, cum iniquitate?* Prohibet conſortia coniugij cum infidelibus, ne fidelis coniungatur cum infideli. Reddens rationem, inquit: *Quæ participatio iuſtitiæ, cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis, ad tenebras?* &c. Nomine Iuſtitiæ, iuſtos intelligit, fideles ſcilicet; Nomine Iniquitatis, ſeu iniuſtitiæ, vt nonnulli legunt, infideles, quia carent fide. Sic Tenebrarum vocabulo accipit infideles: & Lucis dictione fideles. Inquit, nullam eſſe inter fidelem, & infidelem conuenientiam talem. fidelis namque, eſt Chriſti membrum; infidelis, Diaboli. Matrimonij fructus, ſunt filij, quorum maritus, & coniux, participes eſſe debent. At, quoniam generantur Deo, icçirco fidelis, & infidelis, eandem non poteſt ex illis haurire voluptatem. Huc etiam ſequentia tendunt dicta: *Quis*

conſen-

conſenſus templo Dei, cum idolis? Templum Dei, fideles appellans. Vt etiam alicubi ſcriptum eſt: *Templum Dei Sanctum, quod eſtis vos.* Idola autem infideles dicit. Teſtimonia ex Apocalypſi relata, de hæreſi, & idolatria loquuntur. Primum, vt nonnullis arriſit, quoſdam increpat, qui, Balaam ſecuti, errorem (de hæc re fuſius retro verba habuimus) in Eccleſia Pergamenſi, verbis, & exemplo, fornicationem, tanquam rem licitam, ceteris conabantur ſuadere. Homines hortabantur ad idolotita comedenda, in venerationem idolorum. Alijs autē viſum eſt quod redarguat quoſdam, Nicolaitarum doctrinam peſtiferam amplectentes, quemadmodum Balaac conſilium, & ſententiā, Balaam eſt ſecutus. His adiecit Cacheranus argumenta. Quorum primum erat, Sancta Romana Eccleſia hortatur Francos, ad pugnādum contra infideles; igitur neceſſario ſequitur, eam velle prohibere, ne cum infidelibus pacem, aut amicitiam habeant fideles. Nolo in præſentiarum cum hoc doctiſſimo viro Logicæ præceptis vtendo, certare; huiuſq. illationis imbecillitatem oſtendere. Dicam dumtaxat, nil nobis obeſſe, qui aſſerimus, infideles ad infidelium necem eſſe vocandos. Secunda quoque ratio eadem reijcitur reſponſione. Probat, (ſi quid probat) Turcas contra Chriſtianos vocandos non fore: quod ſane nō aſſerimus. Verū dicimus, Principi Chriſtiano licere illis vti, aduerſus infideles. Colligebat deinde, qui fidei Chriſtianæ inimico iungitur, fidei eiuſdem inimicus eſt cenſendus. Probatur hoc, quoniam, qui ad hæret Chriſto, vnus ſpiritus eſt cum illo. Et tollens membrum Chriſti, meretrici ſi adhæſerit, vnum corpus efficitur cū ea. Ita fidelis, ſi infidelibus adhęſerit, vnum corpus cum illis efficitur. Ratio hæc nimis dura eſt, & peccat æquiuocatione. Conſequentia illa eſt neganda, & probatio eius ponderanda. Qui adhæret Chriſto, inquit ille, probando illationem; vnus ſpiritus eſt cum illo. Meretrici ſi adhæſerit, vnum corpus efficitur cum ea. Rem (vt veteri prouerbio dicitur) acu tetigiſti, o Cacherane. Qui Chriſto adhæret, veluti ramus ab arbore Adami exciſus fide, Chriſti corpori inſeritur. Qui adhæret meretrici, fit membrum illius per immundam vnionem, & copulam carnalem, de qua in ſacra Geneſi ſcriptum eſt: *Erunt duo, in carne vna.* Dicet forte quiſpiam, verba illa de coniugali copula fuiſſe prolata. Concedo equidem. Verum aio, non tantum matrimoniali coniunctioni, quam immundæ, eſſe accōmodanda. Ita Beatus Chryſoſtomus, & aperte magis Glorioſus Anſelmus; qui, verba illa exponens, hæc ſcriptis commendauit: *Nam, an neſcitis, quoniam, qui adhæret, ideſt commiſcetur meretrici, vnum cum ea corpus efficitur? ſornicatio enim ambos vnum facit, vt, quomodo in natura, ſic in macula vnū ſint, dum per illam nequiſsimæ voluptatis adhæſionem, duo vnum corpus efficiuntur. ideſt, in eodem ſcelere vniuntur vere vnum corpus, & vna ca-*

Chryſoſt.
Anſel.

ro erunt enim, inquit, duo in carne vna. Hoc etiam de legitime coniunctis dictum eſt. Et, ſicut in legitima copula duo per adhæſionem, vnum corpus efficiuntur, & vna caro; ita, vt membra iſtius per conſenſum, & delectationem carnalem, fiant illius; ſic eſt etiam in illicita adhæſione. Quam doctrinam Ambroſius Catharinus amplexus, aiebat, in expoſitione illorum verborum, hominem fornicatorem ex ipſo facto, corpus obnoxium facere. Siquidem ex illa coniunctione, naturaliter hoc debitum contrahitur, vt non ſit corpus vlterius proprium. Adeo, vt in hanc inciderit fornicator perplexitatem, vt corpus, ex ipſius facti natura, meretrici ſit obnoxium. Peccat nihilominus, hoc debitum illi reddendo. Concludit Theologus iſte, copulam illam ſuapte natura hoc habere, vt debitum huiuſmodi conſtituat, ſiue ſit in matrimonio coniunctis, ſiue fornicatione cōmiſtis. Verum, quid longius petūtur demonſtrationes? Apoſtoli verba id apertiſſime docent. Sic ſcripſit Bea. Paulus: *An neſcitis quoniam, qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur?* Probat hoc Apoſtolus verbis Geneſis Sacræ: *Erunt duo, in carne vna.* Sī copula illa hoc in ſe non haberet, fruſtra verba hæc adducerentur ad probandum, fornicarium vnum corpus effici, cum meretrice. Hoc eſt, quod Sanctus Thomas etiam dixit in hoc loco: Qui, explicans verba Apoſtoli, *Vnum corpus efficitur;* Ait, *id eſſe commiſtione.* Ad quod probādum verba Geneſis inducta fuiſſe. Ex his colligendum eſt, probationem, qua vſus eſt Oſaſchus, a rē noſtra longe remotam eſſe. Arguebat: *Sicut* qui adhæret Chriſto, vnus ſpiritus eſt cum illo, & tollens membrum Chriſti, meretrici ſi adhæſerit, vnum corpus efficitur cum ea; ita fidelis, ſi infidelibus adhæſerit, vnū corpus efficitur cum illis. Negatur iſta ſimilitudo, (loquimur de fœdere) atque hæc illatio. Magnum eſt interuallum inter adhæſionē, vnionem ve fornicarij, & meretricis; & vnionem a fœdere prouenientē. In illa, vt dictum eſt, ex duobus fit vnum; In hac, nihil ſimile eſt reperire. Vtitur Princeps auxilio infidelium, dumtaxat, vt ſe ipſum tueatur ab infidelibus. At non efficitur vnum corpus cum infidelibus. Atqui, veluti ratio infirma eſt, ita etiam confirmaio nullum habet robur. Quæ dicuntur a Dauide, *Cum ſancto ſanctus eris.* & c. nil aliud nobis indicant, niſi modum, quo Dominus oſtendit ſe hominibus, vt phraſis Hebræa indicat. Quæ ſic legi poſſet: *Si cum gratioſo, gratioſum ages: cum uiro perfecto, perfectum ages: cum mundo mundum ages, & cum tortuoſo, tortuoſum ages.* Verum ſequamur vulgatam, quam nulla ratione deſerere debemus, editionem. In verſiculo quadrageſimo ſecundo, dicebat Propheta: *Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum, in conſpectu oculorum eius.* Deinde ſubtexuit, dicens: *Cum ſancto, ſanctus eris: & cum viro innocente, innocens eris. Et cum electo electus eris: & cum per*

uerſo

uerſo peruerteris. Perinde, ac ſi dixiſſet, vt Beatus Theodoretus eſt Auctor, cuius hæc ſunt dicta: *Ad bonas, vel malas hominum voluntates, tu o Domine, remunerationes accommodas. Nam Sanctis res ſanctitate dignas præbes: & innocentibus, & a peccato liberis, res congruas, & electis perfectiſq. res perfectas. Digreſſis autem à via recta, & contrariã ambulantibus cõgruum viæ finem præparas.* Hæc vir ſanctus. Beatus quoque pater Auguſtinus, in illorum verborum interpretatione, ait: *Et cum viro innocente innocens eris, quia tu nulli noces, ſed criniculis peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur.* Illuſtriſſimus Caietanus hæc ſcripſit: *Aduerte hic textum Hebraicum, in his quattuor ſonare. quod Deus homini probo exhibet ſe talem homini, qualis eſt homo, hoc eſt, quod Deus homini probo exhibet ſe illi ſimilem.* Et paucis interpoſitis: *Sententia clara eſt, quod Diuinum regimen eſt ſuaue, proportionaliter gubernans vnumquemque, vt cuiuſque poſcunt merita.* Verba Eccleſiæ ſunt intelligenda de neceſſitudine; & arcto vinculo, amoris, ac amicitiæ; Littera id nos nec latenter monet. inquit: *Qui comitatur cum viro iniquo, obuolutus eſt in peccatis eius. &, qui tetigerit picem, iniquinabitur ab ea.* Pix tenaciſſime adhæret, ac firmiſſime tangit: vt experimento nouimus. Picem ideo meminit, vt doceret neceſſititudinem illam, nexu arctiſſimo coniungentem; Facile eſt, vt amicus amici mores imitetur; quoniam amicus alter ego. facile eſt, vt, quos amamus, ſequamur, & eorum inſtituta vitæ, amplectamur, vt illis, placeamus, illorum ve gratiam conſequamur. At in fœderibus huiuſmodi, nil tale eſt cogitandum. Abſit hoc. Nouiſſime, ac vltimo loco arguebat; Sanctiſſimis legibus, & Pontificum Decretis, eſt vetitũ, cum Iudæis nec cibum ſumere, nec medicinam accipere ab illis, nec arma deferre Paganis: igitur multo minus illis vti, in Chriſticolarũ perniciem. Totũ admittamus argumentum. Nihil dictis aduerſatur noſtris. Nec enim aſſerimus, vocandos eſſe infideles in Chriſtianorũ perniciem, ſed ad Principis tutelam contra infideles. Quare, vt receptui tandem canamus, & congreſſui finem imponamus. Dicamus, quod, dum quæſtio eſt, an liceat Chriſtiano Principi ad auxilium infidelium confugere; ſi ſermo ſit, an poſſit hoc vti contra fideles, negãdum eſt; at, ſi Sermo ſit de bello contra infideles, vti contra Turcas dicimus ei licere. ſemper Cenſuris, quæ dicimus, ac omnia noſtra Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubmittendo. Hæc hactenus. Ceterum, quoniam, pro ſui & populorũ tutela, muris, vallis, aggeribuſq. ciuitates circumdat, nunc de iis dicendum eſſe expoſtulat occaſio. Videndum eſt, num, ſua poteſtate vtendo, ſacra ædificia in arces condere poſſit; & præceptis, ac legibus Principatus id ei conueniat.

De

De locis munitis An vt Princeps proprio iure poſsit Aedes ſacras in arcibus conſtruere.

Caput XXII.

Placuit Spartanis, quorum fortitudinem, & audaciam in bellis gerendis admirata eſt antiquitas, ciuitates muro non eſſe circumdádas, ea ratione ductis: quia habitatores illarum, omnem ſpem in mœnijs collocantes, otio torpuiſſent; audaciam, & vigilantiam amiſiſſent; ad bellandum oppugnandoſq. inimicos inepti efficerentur. Addebant, muros in gratiam illorum eſſe cōſtructos, qui otio dediti viles erant animo. Commēdabant Poetas quoſdam, canentes muros ciuitatis non calce, bitumine, & lapidibus; ſed ære, ac ferro conſtruendos fore. Negligebant loca ſitu eminenti munita, aliaq. ſimillima adiumenta recuſabant. Sic ſcripſit Ariſtoteles
7. Cap. 11. in lib. Politicorum. *Simile eſt enim* (ſic dicebat ille, Spartanorum ſententiam irridendo) *non circumdandam mœnibus cenſere, & regionem facilem ad inuadendum quærere, & deijcere montuoſa loca, & priuatis domibus nō circumdare parietes, quaſi viles futuri ſint habitatores.* Spartanorum ſententiam amplexus eſt etiam Socrates, verum non admodum iudicioſe, vt dicebat Ariſtoteles loco citato. De ſitu Vrbium loquens, primo vult, vt habitatorum ſanitati debeant eſſe accommodatæ: & ideo ad orientem Solem conuerſæ, & ad eos ventos, qui perflantes, ſaluberima faciunt corpora. Laudabat illas, quæ ad Boream ſitæ exiſtunt, & ad hiberna collocatas potiores eſſe volebat. Demum ad ciuiles, & bellicas res opportunas exiſtere debere. quæ vero rebus bellicis sūt opportunæ tales deſcripſit. *Si facilis* (hæc ſunt illius verba) *ſit ciuibus egreſſio in aliena, hoſtibus autem difficilis aditio, ac difficilis circundatio. Aquis uffluere etiam neceſſe eſt, & ſi fieri poteſt, hanc ſuppeditet copiam natura: ſin minus, adſint ciſternæ, quæ magnam vim pluuiarum capiant, vt in obſidione non deficiant.* Vt facile Betuliam oppugnaret Olophernes, Aquæductus ſtatim obturari curauit. Ceterum, quoniam auctoritatem tanti viri numquam mihi prodeſſe volui, ni ſi ratio illam roboret, iccirco argumentis hanc opinionem cō firmare decreui. quorum primum hoc ſit. Vſus communis huic ſen tentiæ refragatur, communis vſus ab omnium opinione naſcitur, cō

munis

munis vero opinio eſt naturæ vox, quæ mentiri non poteſt, vt dixit Alexander. machinæ illæ monſtruoſæ, quas bombardas dicimus, & alia, quæ ad muros euertendos, & homines interficiendos ſunt adinuentæ, requirunt, vt muris domus, & ciuitates circundentur mœnijs vallis, aggeribus, antemuralibus, & aquis circumcingantur; vt illarũ habitatores incurſionibus, & inuaſionibus valeant ſe ipſos opponere, opponendoq. reſiſtere. Dicet forte aliquis tormenta illa bellica, Bombardas ſcilicet, noua eſſe hominum reperta: quæ cũ priſcis diebus non eſſent, nec muri ciuitatibus erant neceſſarij. Huic obiectioni, Ariſtotele duce, reſpondeo: temporibus illis experientia hoc fuiſſe comprobatum. Ita loquitur Ariſtoteles: *Mœnia vero, qui dicunt non oportere adeſſe ciuitatibus illis, quæ virtutem poſſidēt, nimirum priſce loquuntur, & hoc vident experientia reprobatum in ijs ciuitatibus, quæ ſibi ad gloriam iactabant.* Hæc Ariſtoteles. Addatur, negligentiam quã habitatoribus obſuturam exiſtimarunt Spartani, alia via poſſe a populis remoueri, otium relegari, ignauiam, & ſocordiam ſegregari. exercitio, diſciplinaq. militari poſſunt homines viribus corporis, ac animi mederi, illas augere, & tantam ſibi comparare virtutem, vt, timore, ac puſillanimitate omni depoſita, in rebus bellicis viriliter agẽtes, ſtrenue ſe gerant Iam vero, cum homines tales extiterint, animorum virtus ciuitatis munitionibus addita quando fuerit, obſecro, qui fieri poteſt, vt res tutius non agatur, & felicius non viuant populi? adeo, vt ſic argumentari libere mihi liceat, ſi ſolas vires ſufficere poſſe arbitrati ſunt ad tuendas ciuitates, vires inquam hominum, quanto tutiores erunt, vbi robur, ac virtus hominum, munitioq. loci aderit? Immo & ipſe met Socrates (qui, an reuerentia in antiquos illa dixerit, modeſte loquens, quod ſemper eius fuit inſtitutum. An potius alia de cauſſa, meum non eſt conſilium hic diſcutere) laudat loca munita, iubetq. illius Regionis nobiliores prouinciam luſtrando, vt aggeribus, ac vallis proſpiciant, & partes illas muniant, per quas inimicorum facilis eſſe poteſt tranſitus. Arces igitur, ac ciuitates munitæ Principi ſunt neceſſariæ, nedum opportunæ, ſi meliori condicione bellum gerere, vbi opus eſt, & cogit occaſio, ac præualere deſiderat. Spartanorum vero opinio propria non caret laude, Monet Principes, vt cuſtodiæ locorũ munitorum attente inuigilẽt. Et, quanto magis locus aggeribus, vallo, turribus, cuniculis inextricabilibus, ex quibus niſi conſueti vix poſſunt euadere, quorum meminit Ariſtoteles, loco nunc adducto, eſt copioſa, & munita; tanto maiori diligentia eſt cuſtodienda. Securitas, illaq. fiducia nimia parit negligentiam pernicioſam. Hinc fit, vt nulla reperiatur Arx, nullaue Ciuitas, ac Oppidum munitum, quod diligenti non egeat cuſtodia. Si enim negligatur vigilantia, præbetur anſa inimicis munitio-

nes

nes capiendi, & prouincias euertendi. Captis Arcibus,locisq. munitis,ciuitates quoque euerſas fuiſſe, Prouincias diſſipatas, Regna amiſſa,docent experimenta. Hæc forte ſecum cogitás Plato, milites ciuitatum cuſtodes,ſimiles canibus contra notos, & ignotos latrantes eſſe deſiderabat. His nos monens, non quod amicis,& inimicis infeſti exiſtant,vt illi impingit Ariſtoteles (nouerat Plato milites non amicis, ſed inimicis debere eſſe moleſtos) verum diligenti cura,ac vigilijs indeficientibus, ciuitates cuſtodiendas, neminemq. admittendum fore, niſi quem veritas docuerit eſſe amicum. Quapropter, cum hæc ita ſe habeant,Principes nonnumquam templa,in gloriam, & cultum Dei extructa,in arces ædificant. Res profecto minime dura ijs,qui in lectione doctorũ iuris Pontificij ſunt verſati. Innoc. Raimun. Hoſtien. immo cõmunis vna eſt omniũ ſententia, vt refert Angelus in Summa,in verbo Immunitas,§. ſeptimo. Et Silueſter in eodem verbo Immunitas 1. eodem paragrapho ſeptimo. Principem iure proprio id efficere poſſe. Id autem haud facile eſt admittendũ. Requiritur neceſſitas,neque mediocris, eaq. vrgens,ad ſuiq. defenſionem, vt Archid.& Hoſtienſi placuit 10.quæſt.1.cap. Sanctorum Patrum.ar.ex.de immu.Ecc.c.cum Eccleſia. Quam doctrinam Beatus Antoninus 3.par.loco retro citato eſt ſecutus. Huic rei fauent ea,quæ leguntur de cuſ.Euc.c.Relinqui. Prohibet Summus Pontifex ne ſupellectilia domus laicorum,in Eccleſiam Dei aſportentur. Correctionem addens legi, ſubiecit; incurſione hoſtium, aut incendio, licite poſſe huiuſmodi res in Eccleſiam afferri. Templum Dei ad cultum eius conſtruitur: Domuſq. illius eſt domus orationis. At,quemadmodum ſacra frangimus vaſa, pro captiuis redimendis; pro pauperibus educandis; pro infirmis ſanandis; nec nota criminis poteſt inuri nobis,hæc facientibus: ita ſane Templa,ad Dei cultum ædificata, vrgente neceſſitate pro bonorum tutela,cum bellum agitur iuſtum, poterit Princeps in arces conſtruere. Clauum qui tenet,& in puppi ſedent ſaluti omnium proſpicere,eſt eius officium. Icciro,dum hoc neceſſitate iubente agit, iuſte id feciſſe cenſendum eſt ſi Papæ adſit facultas. Verum de hac re fuſius alibi,vbi de bonis ſacris agetur. Ceterum,quoniam legibus præcipue vtitur ad populos regendos, ad illoſq. in bonum dirigendos,& ad tuendum a malo. Ad hæc legibus ipſe vitam tribuit: nunc de Legibus diſſeramus, deq. Legum auctoribus,& poteſtate illorum ſit ſermo. Quibus explicatis,conſpicuum erit magis, quæ iure proprio Princeps facere poteſt: quouſq. ſcilicet præcepta Principatus poſſint extendi.

LIBER SEPTIMVS.

De Legum neceſsitate.

Caput I.

ARchidamus, Zeuxidami filius, cuidam, roganti, qui nam eſſent Ciuitatis Spartanæ præfecti. leges, & Magiſtratus reſpondiſſe aiunt, vt Plutarchus refert. Etenim, ſicut Vrbis mœnia Reipublicæ ſedem externam oſtendunt, atque conſtituunt. & Princeps eſt veluti forma illius; ita legum vſus eſt ſpiritus, lex vero Reipublicæ anima. Vitá habet corpus ab anima. Viuere eſt viuentibus eſſe. Ab eodem principio habet & operationem viuens. Vitia deſtruunt, demoliuntur, vitam hominis, vt homo eſt, nedum diformant. lex vero dum imperat, prohibet, permittit, & punit, mira quadam ſui virtute populos perficit, & abſoluit. Humanis actionibus quarum eſt moderamen, & regula, modum imponit. Actiones autem noſtræ vel ſunt bonæ, genere ſuo; vel, e contra, proprio genere prauæ; vel ſunt indifferentes. Primę ſunt Dei cultus, Parentum veneratio. Secundæ, homicidium, furtum, alieni thori violatio; & ſimiles. Tertiæ vero, ſunt negotia, quæ lucri gratia ab hominibus ſolent tractari. Primi ordinis actiones lex iubet nobis præcipitque, vt ab hominibus exerceantur. Vt Deum colamus, Parentes honoremus. Se- 1. de leg.

cundæ ſeriei opera inhibet. Vetat homicidium, prohibet furtum, adulterium, ac huiuſmodi prauas actiones, quæ ſuo genere ſunt malæ. Permittit alias, vt, merces ſcilicet vendendo, & emendo, lucrum faciamus. Eſt rationis dictatus lex, qua homines ad officia mouentur. Quemadmodum in demonſtrationibus ratio, auxiliante medio, aliud concludit: ita lege homines ab erroribus arcentur, atque in officio continentur.

Oderunt peccare boni, virtutis amore.
Oderunt peccare mali, formidine pœnæ,

Dixit ille Poeta. Lex igitur imperat, punit, vetat, & permittit. puniendo, imperando, vetando, permittendo, homines bonos facit, boniq. communis cauſſa exiſtit. In commune bonum lex fertur; quoniam, eius virtute, & beneficio, Reſpublica quietem illam, ac tranquillitatem, quæ eſt commune bonum, aſſequitur, ciuium mores, vitamq. componendo. Hæc ſecum meditantes Plato, & Ariſtoteles, aſcripſerunt legi ortum, & conſeruationem felicitatis humanæ, qua fruimur in hoc Mundo. Ethicorum quinto dicebat Ariſtoteles:
Ad initiū. *Quoniam autem illegitimus iniuſtus, legitimus vero iuſtus eſt, omnia legitima eſſe quodammodo iuſta, perſpicuum eſt. Nam, quæ ſunt a legum latrice facultate definita, & legitima ſunt, quoniam ſingula iuſta eſſe affirmamus; leges autem de omnibus præſcribunt ea ſpectantes, quæ vel communiter omnibus confertur, vel optimis quibuſque vel principalibus, qui ſcilicet aut virtute, aut tali aliquo modo, huiuſmodi fuerint. Atque ita vno quidem modo ea iuſta dicimus, quæ felicitatem eiuſque partes ciuili ſocietati & efficiunt, & conſeruant. Quinetiam lex præcipit, & id, quod fortis viri opus eſt; vt non deſerere ordines, non fugere, non abijcere arma: & id, quod eſt temperantis: vt, non committere adulterium, non contumelioſe ſe gerere, & id, quod eſt manſueti, vt, non verberare, non maledicere. ſimili modo quoque ſecundum alias virtutes, & vitia, alia iubet, alia prohibet. ac recta quidem lex eſt, quæ recte; mala quæ tumultuarie poſita eſt.* Hæc ille. In quibus tamquam in ſpeculo, nobis datur inſpicere, a lege prouenire felicitatem, qua fruimur in hac vita: ſtatum nimirum Reipublicæ tranquillum. Plato autem ſcripſit, legumlatoris munus eſſe, publicæ pacis gratia, leges condere. Hac de cauſſa Lacedæmoniorum inſtitutum illud, leges ferendi omnes, vt ſtrenuiſſime a populis bella gererentur, reijciuntur iure quidem a ſapientibus, & præcipue ab Ariſtotele. Nam, ſi bella gerimus, eo cōſilio tractamus arma, vt tandem pace fruamur. Leges, potius pacis, non belli gratia ſunt promulgandæ. In communis boni gratia ſunt latæ, quoniam ad ea ſpectant, quæ ad omnes pertinent, & omnibus
1. de leg.

confe-

conferunt: vt nunc, Ariſtotele duce, narrauimus. Vel optimis quibuſque, vel principalibus, qui ſcilicet aut virtute, aut tali aliquo modo, huiuſmodi fuerint. Retro Dominium, ſeu Principatum in tres diſtinximus ſpecies: in Democratiam, Ariſtocratiam, & Regnum. Princeps, legem ferens, non in ſui commodum (niſi tyrannus eſſe velit) ſed in publicum bonum, illas ſancit. Adeo, vt lex promulgata totius Regni ſemper conſulat bono, faciatq. bonos ciues. Ferimur nos homunculi naturali appetitu in felicitatem, quam ſupra Bonum commune appellauimus, mentes illas, a corporibus ſolutas, noſtris cogitationibus æmulando. Hanc aſſequimur, & mentis indagine veritatem intuendo, & actione virtutis, quæ bonum facit habentem. Lex autem actus præcipit ſtudioſos. Turpis eſt pars illa, ſcripſit magnus Pater Auguſtinus, quæ ſuo non congruit toti. Iam vero, cum quilibet homo ſit pars ciuitatis, difficile eſt fingere hominem ſimpliciter bonum eſſe, niſi bono communi conueniat, atque cum illo habeat proportionem: vti totum bene nequit exiſtere, niſi partes ei reſpondeant. Durum eſt credere, quod Ciuitatis bonum commune bene ſe habeat, niſi Ciues bene ſe habeant. Dicet forte aliquis, hominem, bonum ciuem eſſe poſſe, non tamen bonum virum. Virtus, qua bonus dicitur ciuis, eſt, bene ſe habere in ijs, quæ ad Rempublicam attinent. Virtus viri, eſt, prudentiam habere: cui virtutes alias adnecti, alibi diximus: Vti virtus Principis eſt, bene præcipere, & boni ſubditi eſt, quantum ad eum attinet, parere. Cum itaque varia ſint obiecta virtutis, Ciuis ac priuati viri, inde conſequi non videtur, vt, qui eſt vir bonus, idem etiam bonus Ciuis ſit cenſendus. Qui hæc obiecerit, eum meminiſſe velim, Ciues inter ſe differre, nec vnius eſſe rationis. Si loquamur de præclaris proculdubio, qui bonus eſt ciuis, is quinetiam vir bonus exiſtit. His addamus, quæ habet Illuſtriſſimus, ac Reuerendiſſimus Caietanus. Illud autem eſt, quod, ſi quis bene conſiderauerit, is uiderit in boni uiri uirtute contineri in potentia proxima, vt logice, ac Phyſice loquar, virtutem boni ciuis. Vir probus talis eſt virtute morali vniuerſali, quæ paſſim perfecta virtus ſolet nuncupari. Quæ virtus perfecta, & abſoluta, ab Ariſtotele dicta fuit iuſtitia. Ciuis quoque hac vniuerſali virtute moralis, probus cenſetur. Atque, vti probus vir, moralium virtutum habitu eſt præditus, ita ciuis bonus is dicitur, qui iuſtitia, virtutes omnes complectente, eſt decoratus. Sunt idem prorſus re, Virtus perfecta, & Iuſtitia vniuerſa. (iuſtitia enim frequenter a mortali Philoſopho bifariam accipitur; vel pro virtutis parte; vel pro vniuerſa virtute. nunc de virtute, ſecunda accepta ſignificatione, hic eſt ſermo) Dicitur, Virtus, vt virum probum efficit. Dicitur Iuſtitia, vt ad

5.Conf.c 8. ad initium.

2. 2. q. 47 art. 11.

5.Mor.c.1.

alia refertur. Hæc autem ſunt in quadruplici differentia. Vel enim ſunt perſonæ, cum quibus nobis ſunt nogotia; vel res in quibus verſamur; vel animæ noſtræ facultates. Cum perſonis agendo, ius ſuum cũ tribuitur vnicuique, ſeruatur iuſtitia. quod etiam tum fit, cum nemo læditur, nullius opera, & verba offenduntur. Legibus cum obtẽperamus, omnium virtutum præcepta ſeruamus, vt quinto Moraliũ dicebat Ariſtoteles. Leges enim, humanæ vitæ ſunt regulæ; quibus obediendo Deo Optimo, & Maximo paremus, vt dicebat Plato. Cũ vero virtutum præcepta ſeruamus, tunc ſtudioſe viuimus, virtutibuſq. prædici ſumus. Verſamur autem in arduis, in voluptatibus, in ſumptibus, in donis, in pecunijs, in ira, in ijs cum id accipimus, quod iuſtũ eſt, damus ceteris, quod iuſtũ exiſtit, ſeruatur a nobis iuſtitia, licet magnanimi in honoribus magnifici in ſũptibus, fortes in aduerſis, tẽperati in voluptatibus, dicamur. In nos cõuerſi, ad animæ ſcilicet partes, iuſtitiã ſeruamus, quando illas ita cõponimus, vt ſuperiores dominentur inferioribus; inferiores, quæ ancillæ ſunt, proprijs contineantur officijs, ne ve tumultuaria ſeditione ſenſus menti bellum indicent. Quare Iuſtitia, omnes virtutes complectens, ab-

5.Mor.c.1. ſoluta dicitur virtus. Hãc Ariſtoteles, loco citato, iure merito laudibus extulit, dicens. *Et neque Heſperus, neque Lucifer eſt adeo admirabilis.* Veneris ſtellæ apparitio matutina, Lucifer vocatur, eo quod a[...] Solis ortum emergit. lucem afferre dicitur, quoniam aduenientem Solis lucem indicat, nouæq. lucis diurnæ eſt prænuntia. Heſperus hæc eadem dicitur, quando poſt Solis occaſum, emicare conſpicitur. Non ita fulget, dicebat ille, Veneris ſtella, ſiue Orientem Solem antecedat, ſiue Occidentem ſequatur, vt virtus hæc Iuſtitiæ.

Iuſtitia in ſe virtutes complectitur omnes,

Theognides. *Theophraſ.* *Phocylid.* *Mich. Eph.* *5.Mor. c.1.*

Cecinit quidã antiquus Poeta, ſiue Theognides ille fuerit, vt Theophraſtus refert in primo de moribus, ſiue Phocylides exciterit, vt eidem placuit, ſiue vterque, vt voluit Michael Epheſius. hoc nihil refert. ſufficit, vt dicamus, omnem virtutem a Iuſtitia contineri; hoc eſt, omne malum ab ea procul eſſe, vt idem Michael eſt interpretatus. Eadem igitur virtus, ſi funditus res conſideretur, probum facit virum; & bonum reddit Ciuem. Bonum quinetiam conſtituit Principem; quoniam Princeps eſt diligens legum cuſtos. At talis nequit eſſe, niſi virtutibus omnibus ſit præditus, cum leges a virtute proueniant, & in virtutis gratiam ferantur a Principe. Vna igitur, & eadem eſt virtus, & homini, & ciui & Principi probo congruens. Vna & eadem virtus, omnium iſtorum forma exiſtit. Verum, quid ego prudentiam ſilentio prætereo? Hæc virum, ciuem, & Principem bo-

num

num conſtituit. Illa & homo, & Ciuis homo, & Princeps, dicitur probus. Addatur poſtremo, virtutum ſcopum eſſe honeſtum, & communem vtilitatem, iccirco eandem eſſe Ciuis, virique perfectionem. Sed, vt epilogo tandem, quæ hactenus dicta ſunt, concludamus dicamus, a lege bonos effici, legemq. eſſe humanarum actionum normam, hancq. a Principe, poteſtate eidem a Deo data, ferri. Atqui, quoniam lex populos ligat; rerum ſeries expoſtulat, vt, quo nexu illos deuinciat, conſideremus vt, quanta ſit poteſtas Principum in re propoſita, conſpicuum fiat. Et, quod huic eſt conſentaneum, an lege ſanciendo, eidem ſubdatur Princeps. Verum, quoniam humana lex, eſt ſpecies legis; cognitio autem ſpeciei a generis pendet notitia; altius ordiendo, ne inſulſæ fiant repetitiones, vt ve a notioribus ſit diſputatio, & ex proprijs magis ſit ſermo, ab vniuerſalioribus, hoc eſt a genere, ſumam initium.

De Lege, in vniuerſum Legemq. rationem eſſe.

Caput I.

LEgem regulam eſſe, ad quam humani actus referuntur, veritate magiſtra, hactenus diximus. Sed, quoniam Rationis eſt, cuncta in finem cognitum ordinare, ordineq. dirigere; inde euenit, vt regula illa, paſſim Ratio a Doctoribus dicatur. Ordo ille, qui a ratione efformatur, humanos actus reſpiciendo, eſt lex, cum a legiſlatore populis promulgatur. Propter hæc Rationis etiam dictatus, ordo, ac ratio, nuncupatur. Eſt quidem Ratio, non quod ſit ipſamet anima, quæ vere eſt Ratio; ſed quoniam animæ rationalis eſt dictatus quidam, vt nunc diximus. Simile accidit rei propoſitæ, quod rebus arte factis, & ijs, quæ ab intellectu in ſpeculatiuis conſtituuntur, ſolet euenire. Duo in his, & illis, mente apprehendimus, in artefactis opus, & actio; in ſpeculatiuis operatio intellectus vtraque, (nec aliam poſuit Ariſtoteles, nec aliam, rem diligenter conſiderando, ponere debemus) eſt quin etiam id, quod ab intellectu factum eſt. Vti definitio, vel demóſtratio. Hæc eadem in ijs, quæ ab intellectu practico fiunt, nobis licet adinuenire. Duo ſunt, quorum alterum eſt operatio, alterum vero ipſamet res efformata. Operatio, eſt ratiocinium, quo vtimur ad concludendum, aliquid eſſe faciendum, vel omnino relinquendum. Res vero efformata, eſt ipſa met actio. Apta ſimilitudine, congruentiaq. valde ſimili, hæc reſpondent ijs, quæ in ſcientijs ſpeculatiuis, in

demon-

demonſtrationibus ve reperiuntur. Duo in ijs ſunt principia, ſeu præmiſſæ, & concluſiones. Præmiſſis demonſtrantur concluſiones. Principijs quæſtiones concludimus. In practicis operatio intellectus præmiſſarum ad inſtar ſe habet: actio autem concluſioni reſpondet. Practicus intellectus, reſpiciens pacem, & quietem publicam; cognoſcens quamplurimum perturbari furtis, homicidijs, adulterijs, alijs ve ſimilibus illicitis, ac inhoneſtis operationibus pacem publicam, vt tranquillitas ſeruetur, furta, homicidia & adulteria inhibenda fore côcludit. Hæc eſt lex, cum a poteſtate fungente fuerit pro-

Ca. de qua. mulgata populis, quæ ideo Ratio dicitur, quoniam vox hæc *Ratio*, teſte Simplicio, quem alibi citauimus, non tantum ſignificat hominis formam, aliorumq. corporum, verum humanæ formæ operationem. Ratio igitur de lege dicitur, quæ eſt animæ noſtræ operatio. Lex etiam appellatur Ratio, quoniam eſt quid Rationis, nimirum animæ noſtræ rationalis. Hoc placuit & Ariſtoteli, qui in libris

10. *Eth. c. vl.* Morum ſcripſit. At lex, cum ex prudentia quadam, ex mente perfecta oratio ſit, (tranſtulit Felicianus, ſed oppurtunius, Ratio. Græcus codex legit λόγος cogendi vim habet. Opus mentis eſſe affirmat

Quæſt. 9. Ariſtoteles ibi. Beatus quoque Thomas prima ſecundæ, de legibus diſputationem aggreſſurus, primo quærit, an lex ſit aliquid Rationis, & ibi, & in alio loco, concludens, Regulam eſſe a Ratione conditam, dictamenque, vt verbis eius vtar, rationis ordinantis in finē. Quod ſi affirmauero, Rationem eſſe, vt ratio ſignificat exemplar, proculdubio mendacium non proferam. Siquidem, cum regula ſit humanarum actionum, ad quam, tamquam ad filum, ipſæ referuntur, exemplar ſane dici poteſt, ac Ratio. His addatur, Quod, ſicut in ijs, quæ fiunt arte, in mente artificis præexiſtit forma, ac ſimulacrum rei, quæ fit. Pingat Excellentiſſimus Barocius in mente illius præeſt figuræ exemplar, ita in moralibus Princeps legem promulgando, primo in mente exemplar, & ſimulacrum habet legis. Ordinat populos moderatur ſubiectos, ſecundum ordinis rationem; ſeu formam, quæ in eius intellectu reperitur. Atqui, veluti Ratio rerum arte factarum, ſeu Idea, præiacens in mente artificis, Ars appellatur, ita etiam Ratio ordinis, quo Princeps regit populum, actus illius in finem optimum ordinando, Lex dicitur. His itaque intuitu patere arbitror, Legem eſſe Rationis dictatum, & ordinem. Hæc ſecum cogitans Plato, quattuor Legum genera fecit, ut ex Timæo, Phædro, & Gorgia colligere poſſumus: Lex diuina, Fatum, Naturæ, & Hominis. Vt Ordo, vel eſt in mente Diuina: vel in Fato, vel in Natura, vel in Homine. Prima, a Platone nomine Diuinæ prouidentiæ nonnumquam nominatur, eſtq. ordo ille, ſeu lex, in Dei intellectu exiſtēs, qua iuncta curat, diſponit ue pro vt vniuſcuiuſ-

que na-

que natura exigit. Secunda vero eſt Cæleſtis, quam Fatum appellat in intelligentijs, & ſideribus, a primo auctore illis indita, qua lege aſſidue mentes illæ, ab omni materiei concretione immunes, regula quadam certa, numquam a Scopo deficientes, perpetuis Lationibus mouent ætherea corpora, quorum Latione hæc inferiora alterantur, ac generantur. Tertia vero, eſt Naturæ, qua animabus prædita, ſibi ſimile generant (vt nonnullis viſum eſt, in Platonica doctrina exercitatis) elementa ſuis feruntur lationibus; reruq. inferiorum vires medijs certis in proprios tendunt fines. Poſtrema humana, ab eodem Prudentia appellata, eſt ea, a qua humanæ actiones modum accipiunt, & metro ac menſura perficiuntur. Platonis hanc ſententiam numquam multum approbaui. Primo (ut multa omittam, quæ a neotericis illi obijciuntur) diſtinguit Naturam a Fato, quæ ſola ratione diſtinguuntur, quod etiam Peripatetici adnotarunt Fatum illud immobile, ac inuariabile, quod Stoici conſtituunt; commentum eſt quoddam, ac fabulis Poetarum accommodatum. Hinc Virgilius:

Deſine fata Deum flecti ſperare precando. *Virg.*

Et alibi:

Manent immota tuorum *Ouid.*
Fata tibi.

Et ingenioſiſſimus Poeta:

Tu ſola inſuperabile Fatum
Nata mouere potes.

Adde, quod nec omnes Poetæ Fatum admittunt. Homerus mortalium querimonias irridet, de Fati immobilitate, carminibus illis: *Pri.odiſſ.*

Accuſant falſo ſuperos ſtultiq. queruntur
Mortales etenim noſtrorum cauſſa malorum
Nos ſumus. & ſua quæque vecordia lædit.

Auſert Stoicorum ſententia conſultationem, laudes, & contumelias. Noui, hanc propriam fuiſſe Chriſippi Doctrinam. Noui etiam, a Platone Fatum appellari Scitum ineuitabile. Ne quis mihi, obſecro, obijciat, a Platonicis Fatum illud ineuitabile,

Pruden-

Prudentiam appellari Diuinam. Siquidem, ſi Fatum, & Prudentia idem ſunt, in ijs, quæ ſemper eodem modo ſe habent; quomodo locum habebit prudentia? Quod ſi duo ſunt diuerſa, adhuc res redit ad idem. In nobis eſt velle, ac nolle; multa ſunt a noſtra voluntate dependentia. Eſt materiei indeterminatio, quæ & ipſa quoque, ſuo vtens iure, multorum contingentium eſt cauſſa. Indeterminatio illa, hanc ignorat neceſſitatem. Et ſi vniuerſalia aſpiciendo, neceſſarium vides, ſingularia intuendo, contingens apprehendis. Si cælum intuendo neceſſarium tibi fit obuiam; hæc inferiora conſiderando, contingens tibi occurrit. Et ideo Ptolemæus dicere ſolebat, quæ fiunt a Deo in Cæleſtia corpora, a Celeſtibus inter ſe neceſſario prouenire: at, quæ a Cæleſtibus fiunt in hæc inferiora, non ſemper neceſſario euenire. Scaturit mendis Platonis ſententia, de legibus diſſerentis. Pythagoræ, Socratis, Ariſtotelis, ac aliorum priſcæ ætatis virorum mendis non carent leges, & præcepta. Laborarunt ipſi, & multa, ſane docte, & ingenioſe, quæ ad animum noſtrum componendum attinent, poſteritatis memoriæ commendarunt. Verum, vt in illis quamplurima ſunt laudibus efferenda, ita etiam alia culpanda, ac omnino exeсranda reperies. Solis, et Lunæ cultus. Metempsychoſis, ut Græce dixerim, tranſitus ſcilicet animarum e corpore in corpus, quem Lucianus irridet, monſtrum horrendum ſapit, non legiſlatoris repertum. Socratis Genium, quem Deum appellari paſſus eſt, quam ob cauſſam ab Athenienſibus carceribus vinctus, morte condemnatus, mandauit Cebe diſcipulo gallum Apollini immolari, quoniam ſine quieuiſſet optimo, cultum, quo ſolus Deus ab homine eſt venerandus, Cacodæmoni exhibendum eſſe inſinuat. Quo nil turpius, nil iniuſtius poteſt excogitari. Ariſtoteles, vir magni ingenij, Socratis, Polydami, Charondæ, Lycurgi, Minois in legibus ferendis patefecit errores, mendaq. purgauit. Propriam tandem afferens ſententiam, morum recta inſtituta promittens, irreprehenſibilia documenta tradere arbitratus, Deorum pluralitatem concedit, illiſq. cultum exhibendum docet. Nullum corpore vitiatum nutriendum, ſed exponendum. Vbi filij ſuperabundant, abortum procurandum fore, perſuadet. Impia, dira, iniuſta, & abominanda, decreta. Quis, obſecro, Pythagoram Lumen moralis Philoſophiæ appellabit, qui, præter illam Metempſycoſim, quæ ſunt a Deo nobis data, in temporũ ſigna refert, & illa, tamquam Deos honoranda eſſe præcipit. Quis Platonem Diuinum dicet, qui, uxores, & filios, communes faciens, adulteria concedit, ex quibus incertitudo ſobolis propriorum bonorum iniuſta poſſeſſio, alienorum filiorum indebita educatio, proficiſcitur, vt omittam, quod, thoro violato maritali, Deus lædatur, & familia tota ruat, vbi multorum

patrum,

patrum & diuerſorum adſunt filij. Lubeat illud dicere, quod Sanctiſſimus Dei Propheta, & Rex Dauid cecinit: *Nox nocti indicat ſcientiam*. Errarunt ij a via legum. ideo monſtra ſcripſerunt. rationem, & regulam vitæ, tradere cupientes, a ratione diſceſſerunt. Lex eſt, vt diximus, quid ſanctum. Hoc latius explicemus, alio ſumpto principio.

Legum ſpecies, & a Diuina omnes pendere.

Caput III.

PHiloſophorum, quos memorauimus, reiectis opinionibus, ſcholaq. relicta, repetamus dicendo, Legem eſſe ordinem. Qui ordo, vt in Deo Optimo, & Maximo, in Natura, & in humana reperitur mēte, ita tres ſunt leges. Cum autem dico eſſe in aliquo, accipi volo, vt logici inquiunt formaliter, in illoq. eſſe, vt *In* ſignificat ſubiectum. quemadmodum in Socrate eſt virtus, in Labeone iuris prudētia fuit. in Deo ordo iſte eſt lex æterna; in Natura, Naturalis; in homine, humana, atque Diuina. Lex enim Diuina, eſt ratio in homine, qua proprias moderatur actiones dum ad æternam tendit Felicitatem. Diuina autem dicitur, nō quod ſit in Deo, ſed quia a Deo lata eſt modo Diuino, & quoniam hominem ducit in Deum. Harum prima eſt æterna. ordo nimirum exiſtens in Deo, quo cuncta reguntur. Eſt Deus Optimus rerum omnium opifex, illarumq. moderator, & Rector: vti ſua ſapientia omnia producit, ita eadem cuncta propria regit prudentia, atque ſapientia gubernat. Atque, vti Diuina ſapientia, cum rebus creatis collata, Exemplar, & Ars dicitur: ita, comparata cum rebus, vt mouentur in proprios fines, Lex appellatur æterna. Hæc igitur lex, eſt ratio Diuinæ ſapientiæ, vt ordinat actus omnes, ac rerum motus, cui ſubijciuntur quæcumque ſunt, Deum ipſum excipiendo. Quemadmodum enim humano regimini ea ſubduntur, quæ fieri poſſunt ab hominibus, non autem quæ ad naturam attinent, vt puta, quod humano corpori inſint brachia, tibiæ, ac pedes; ita legi æternæ non quæ ad naturam, eſſentiam ue Diuinam ſpectant, ſed ab illo quæ ſunt producta, ſiue interitui, ac ortui ſint obnoxia, ſiue corruptionis ſint expertia, ſiue naturalia, & hæc vel neceſſaria ſint, vel contingentia, humanæq. res ſubiectæ exiſtunt. *Ordinatione tua perſeuerat dies*, cecinit Sanctus Propheta: oſtendens, hac æterna lege corpora æthe- *Pſal. 118.*

rea perpetuis cieri motibus. A primo autem horum corporum motu tempus oriri, quo alias metimur motiones, & actiones, nos docuit Ariſtoteles. Præcipit legiſlator, hæc, & illa obſeruari. Præcepta mentibus populorum impreſſa, ſunt regula, ac metrum, quo mẽſuramus actiones, in noſtrumq. ordinamus finem, ad illum tendentes. Deus, rerum omnium productor, rebus totiq. Naturæ quid ei ſit agendum, præcipit. Quo mandato, ac lege, res operari dicuntur. Hinc illud Dauidis, *præceptum poſuit, & non præteribit*. Subduntur huic æternę legi naturalia, eo quod Diuina prouidentia mouentur. Subijcimur nos, ac ea, quæ ſunt noſtra huic legi ſunt ſubiecta. Sumus rationis compotes, quo principio ab inanimatis, brutis ve diſtamus. Sunt etiam in nobis elementa, ac partes, quas natura conſtruxit. Legi autem æternæ duplici modo res ſubijci, dicunt ſapientes. Vel quidem ea de cauſſa, quoniam lex illa æterna eſt principium, quo res in proprios feruntur fines; vel quoniam cognita, eſt regula, & menſura actionum. Vtrouis modo æternæ legis imperio ſubdũtur homines. Eſt in nobis primo, tamquam principium cognitum. ſiquidem, licet animi noſtri, dum, hac corporea detineantur mole, Diuinam eſſentiam, in qua lex iſta reperitur, nondum beati, haud poſſint inſpicere, nihilominus illam cognoſcunt, eiuſdemmet irradiatione; quidam autem magis, quidam autem minus vt ſplendor, & coruſcatio primę Veritatis huius noſtri intellectus illuminat oculos. Idem accidit mentis noſtræ viſui, quod corporeo contingit intuitui. Solem (quæ noſtra eſt oculorum imbecillitas) minime poſſumus intueri, at ſi conuertamus oculos in Solis radios, Solem dicimur aſpicere. Luminis fontem non cernimus, ſed irradiationem. Ita in mentis viſu. Eſſentiam Dei, in qua eſt lex æterna, mentis oculi nequeunt intueri: primæ autem Veritatis irradiationem percipiendo, legis æternæ participes efficimur, quæ Veritas exiſtit incommutabilis. Subijcimur ſecundo ea parte, quam cum brutis communem habemus æternæ legi. Illa pronitas, quam vnuſquiſque in ſe perſentit ad æternam legem, eiuſdem legis non mediocris eſt perſuaſio. Ferimur namque pro penſione quadam inenarrabili ad id, quod eſt huic æternæ legi conſentaneum. Ab hac prima lege, tamquam a fonte proprio, aliæ leges ducunt originem, atque deriuant. Etenim, cum lex ſit ratio, qua actiones in finem ordinantur; in ijs vero, quæ ſtatuto mouentur ordine, id, quod eſt ſecundum, a primo vitutem mouendi accipit, ceteræ leges, quæ ſunt principia mouentia a prima dependent. Mouet manus virgam, & a brachio accipit virtutem, brachium autem, ab anima, quæ eſt fons, & origo motus. Ad hæc, Rex populos regit, Præſides prouincijs præficit. Regunt Præſides ſubiectos, verum regimen illorum, ab eo, quod eſt in Principis mente, vi-

4. *Phyſ.*

tam

tam, uireſq. accipit. Aedificant (vt etiam ab artibus argumentum accipiatur) artifices inferiores. Architectus quoque laborat, dum conſtruitur domus; nam omnium actuum regula, eſt Architectus. Cum igitur lex, æterna ſit regendi ratio, in Summi Opificis mente exiſtens; ideo ab ea ceteræ deriuant. id quod voluit Pater Auguſtinus illis verbis: *In temporali lege nihil eſt iuſtum, quod a lege æterna* *De lib. art.*
in nos homines non deriuet. Naturæ lex non tantum rebus inanimatis *c.5 & 6.*
ſed animatis, ac mẽtibus noſtris eſt impreſſa; cuius præcepta ſũt illa. Bonum eſt expetendum. Malum fugiendum. Eſſe proprium, conſeruandum, & huic contrarijs obſiſtendum. Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Depoſitum reddendum eſt. ac ſimilia. Hæc, inquam, lex, qua res proprios motus, ac actiones metiuntur, ad Deum Optimũ reuertuntur, a quo proueniunt; ſimilitudinem ordinis in prima mẽte exiſtentis, oculis noſtræ mentis exhibet. Ab hac Naturæ lege prouenit Humana. Hinc Cicero dicere ſolebat, res a Natura profectas, *2. De inul.*
& a conſuetudine probatas, legum motus, & religio ſanxit. Legis anima, & ſpiritus eſt iuſtitia. Hoc docuit Pater Auguſtinus, dicens: *Pri. de lib.*
Non videtur eſſe lex, quæ iuſta non fuerit. Legis virtutem, & robur *ar.c.pri.*
Iuſtitia metitur. in rebus vero humanis iuſtum illud dicitur, quod rationis regula rectitudinem obtinet. at prima regula rarionis, eſt lex Naturæ, vt nunc enarrauimus. Quare, quæ lex ab homine lata fuerit, ſi Legis nomen debet obtinere, cum lege Naturæ conueniet. Quod ſi ab illa diſcrepabit, Legis nomen amittet. contrarijs enim miſta, diſtabit a ſuo ſeminario: a quo principio omnes exeunt leges. Si lex vetat furtum, homicidium, & adulterium; hæc prohibet, quoniam Naturæ lex inquit. Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Leges iſtæ nomen Legis ideo iure obtinent, quoniam a lege Naturæ originem trahunt, illius ve rectitudine exiſtunt rectæ. Si quis pro ſui tutela alterum læſerit, cum moderamine inculpatæ defenſionis, a legeq. humana ſit immunis, ne pœna puniatur: hæc lex iuſta dicitur, quia, Naturæ lege, vim vi, pro ſui, tutela, licet expellere, vbi nulla adſit culpa in actione, vnus enim quiſque omni cura, & diligentia proprium eſſe ſeruare debet. Si pœna capitis, humana lex, eum plectendum eſſe ſancit, qui alienum violauerit thornm, illud malum, quod lege naturæ decretum fuit, eſſe puniendum, aperit; & aperiendo, certis quibuſdam terminis concludit. Hæc ſecum reputans Sanctus Thomas, concluſit, humanam legem, duplici modo a lege Naturæ prouenire. Vel, vti concluſiones a præmiſſis; vel, vti de- *p. 2. q. 95*
terminationes quorundam vniuerſalium decretorum. His lectorem *ar. 2.*
inſtruens, quando lex humana inhibet non eſſe furandum; decretũ hoc continetur in illa Naturæ lege. *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis,* vti concluſio in ſuis præmiſſis, dicitur contineri. Cum etiam

iubet hominem gladio eſſe interficiendum, qui hominem occiderit; id determinat, quod lex Naturæ late generice, ac in vniuerſum percipiendo dixerat, *Malum eſſe puniendum.* Cum igitur lex Naturalis ab æterna; a naturali, humana proueniat, neceſſario concludendum eſt. omnem legem ab æterna proficiſci, aliarumq. hanc eſſe principium, & originem. His cognitis, quæ ſuperſunt, legum cauſſas nunc aſpiciamus.

Legum humanarum cauſſæ proximiores.

Caput IV.

AEterna, & Naturalis lex, humanæ ſanctionis ſunt quidem cauſſæ, atque principia; at præter hæc, hominis quoque requiritur Prudentia. in lege enim, non tantum facultatem, & robur, quam ordinem, & rectitudinem conſideramus. Hæc a Prudentia, illa vero a iuſto Principis mandato pēdet, nec non a conſuetudine. Cum itaque de Legum cauſſis ſit inſtitutus ſermo, nunc de Principe, a cuius prudentia lex, vt a ſua cauſſa, atque principio, proficiſcitur, eſt agendum. Dicamus igitur, legislatoris Scopum, ac finem, eſſe ciuium probitatém. quidquid prohibet, iubet, decernit, ſtatuitq. legislator; id lege ſancit, vt ciues probitate refulgeant. Probi fiunt ciues legibus, mouendo illos legislator ad præmia, & a criminibus arcendo. A lege ciues probitatem, a legislatore lex rectitudinem accipit. Summa itaque negotij in legislatore
De leg: 10. eſt collocata. Plato hanc ob rem, & eius diſcipulus Ariſtoteles, quāplurimum laborarūt, vt legis conditorem numeris omnibus abſolutum oſtenderent. Vtriuſque doctinam afferam; &, quis horum ſcite magis fuerit in re propoſita locutus, aliorū erit iudicium: quod prolatu, ni fallor, facillimum erit. Plato, ſtudioſe rem hanc pertractans, in Legum conditore hæc omnia deſiderabat. Diuinum optabat eſſe hominem; in ſubiectos Patris, ac Matris potius, quam Domini officio fungentem; Pictori ſimilem; proprio ingenio non credentem; a Deo auxilium expoſtulantem. Diuinum exoptabat eſſe hominem, nimirum, quod in Diuinis verſatus fuiſſet, vt alibi, de Legibus differens, ſcripſit idem auctor. Abſoluta legi debet ineſſe veritas,
12. De leg. ſummaq. auctoritas, vt a populis recipiatur, illiq. obediatur. Deus eſt Prima, & Summa Veritas, ſub Diuinis litteris, & quæ illis ſunt coniunctæ ſcripturis, latens. Ab ijs, veluti a præceptore, docendus eſt le-

eſt legiſlator, vt optimas ferat leges. Sanctas leges ſanxit ideo Moyſes, Deo & hominibus gratus, quoniam a Deo illas fuit edoctus. Hæc antiquiores meditando, leges in Deum retulerunt. Zoroaſter, Bactrianis, & Perſis leges ferens, in Oromaſim; Triſmegiſtus, Aegyptijs in Mercurium; Minos Cretenſibus, in Iouem; Charondas, Carthaginenſibus, in Saturnum; Lycurgus Lacedæmonijs, in Apollinem; Draco, & Solon, Athenienſibus, in Mineruam; Pompilius Romanis, in Aegeriam, Maumethus Turcis, in Gabrielem; Zamolxis Scythis, in Veſtam; Plato Magneſiis, & Siculis, in Iouem, & Apollinem. Non me latet, Deos illos falſos, in quos relatæ fuerunt leges, aliud quidpiam nobis inſinuare. Nimirum, quia lex ſapientiã, contemplationem, ſtabilitatem, poteſtatem Regiam, eloquentiam, iuſtitiam expoſcit: Mercurio aſcriptas fuiſſe ob eloquentiam; Soli, propter iuſtitiam; Saturno, ob ſtabilitatem, & contemplationem; Ioui, propter Regiam poteſtatem; Mineruæ, ob Sapientiam. Verum alijs hæc conſideranda relinquamus: & ad rem propoſitam redeamus, dicendo. Deo fuiſſe aſcriptas leges, veluti principio illarum, quoniam ſummam, atque perfectam debent continere veritatem. Oportet, legiſlatorẽ in ſtudijs ſacrarũ litterarũ operã dediſſe. Sit Diuinus, non tantum Diuino ſtudio eruditus, ſublimi, ac perſpicaci ingenio, prudentia eminentiſſima. verum morum, ac vitæ ſanctimonia ſit præditus. Turpe, ac monſtruoſum eſt, legem populis ſeruandam promulgare, & vitam penitus oppoſitam viuere. Aliter loqueris, & aliter viuis, dixit ille, obiurgando eum, qui ceteros virtutes docebat, ipſe vero in vitijs erat demerſus. Plato Minoem commendabat, qui ea mandabat facienda, quæ prius ipſe feciſſet. *Neque Minos*, inquit Plato, *improbi hominis inſtar, alia ipſe feciſſet, alia facienda mandaſſet*. Sit exemplar legiſlator, in quod ceteri aſpicientes, & legibus latis, vitam componere valeant. Paternum amorem in legiſlatore deſiderabat Plato: ſiquidem leges non tamquam minæ, ac terror, ſed potius gratia, & amor populis debent eſſe. Sic ſcripſit ille: *Legiſlatorem oportet de honeſto, bonoq. docere, qualia ſint, & quomodo ab ijs agenda, quæ felices futuri ſunt. Turpe enim eſt, quod Homerus, Tyrtæus, cæteriq. Poetæ probe de vita, ſtudijſq. hominum ſcripſerũt. turpe, inquam, Lycurgo, atque Soloni, & ceteris legum latoribus, minus id facere. Rectum igitur, ac iuſtum præ ceteris omnibus ſcriptis leges ipſæ præſeferre debent. Ceterum, ſcripta probari, ſi legibus conſentanea ſint; ſin diſſona, derideri. Sic igitur ciuitatis leges conſcribantur, vt Patris, Matriſq lator legum penitus gerat perſonam: ſcriptaq. magis prudẽtiæ, & humanitatis virtutem contineant, quam Domini, Tyranniq. imperium minitantis, tantumq. deſcribentis, & rationem nullam penitus aſſignantis.* Hæc Plato. Similem Pictori optabat legum conditorem, ſic lo-

9. De leg.

6. De leg.

ſic loquens: *An neſcis in hac re,* (loquitur de legum promulgatione) *quod in Pictorũ facultate contingere? illa quippe in pingendis animalibus terminũ nullum habere videtur, ſed ſemper inumbrando, deumbrando, vel quomodocumque id vocetur, exornare conatur. Nec vmquam ceſſat; ſemper enim ad pulchriora, & expreſſiora, incrementum habet. Si quis igitur pulcherrimum animal pingere voluerit, quod non ad peius, ſed ad melius, futuro tempore ſemper progrediatur, cum ſit mortalis, niſi aliquem artis ſucceſſorem reliquerit, qui ſi quid, vel tempore ex animali abditũ fuerit inſtaurare, vel per artis imbecillitatem ab artifice prætermiſſum apponere valeat, atque ita fulgentius, perfectiuſq. pictum animal reddere, profecto laborioſum opus illud breui tempore duraturum eſt. Talis, & legiſlatoris voluntas eſſe debet; vt principio quidem leges ſufficientes, ac exquiſitæ conſcribantur: deinde, procedente tẽpore, et rerum periculo facto agnoſcat, atque animaduertat neceſſarium eſſe, vt multa relinquat, quæ emendatione, interpretationeq. ſucceſſoris alicuius indigeant, ne peior quidem, ſed melior, ornatiorq. Reſpublica efficiatur. Quacumque igitur via poterit, tam re, quam verbis, alium ſiue maiorem, ſiue minorem docebit, quomodo conſeruandæ, corrigendæ ſint leges. Nec vmquam in ijs dicendis defatigabitur, donec ad finem produxerit.* Hæc ille. Quibus nos monuit, quod, cum noſtra prudentia non ſit adeo abſoluta, vt cunctis rebus poſſit conſulere, nec omnia vnico nobis contingant tempore; omnium enim rerum eſt viciſſitudo; & quælibet tempora proprios euentus habent. ideo ſimilem legiſlatorem Pictori fecit, cui quotidie multa inſurgunt reſtauranda. Pingat coloribus Pictor, & arte, multa animalia; illa efformabit, vel quæ vidit, vel quæ picta obſeruauit, vel quæ eius tulerit Regio. Atqui omnia haud nouit. multa ſunt ei incognita, quæ ſi afferantur. nouis egebit coloribus, & arte noua molietur, vt illa fingere valeat. Ad hæc, multa ex ijs, quæ pinxit, temporum lapſu, puluereq. ſordeſcunt, ac in aliqua parte abolentur. Alterius erit, ſi ipſe vita ceſſerit, corrupta inſtaurare. Mentis noſtræ imbecillitatis magnum eſt hoc teſtimonium. Vtatur omni arte Barocius, & Longus noſter; naturam hic, & ille æmulabitur; at numquam æquabit. Omni utatur prudentia legiſlator, vt homines bonos efficiat, propriæ prudentiæ credens; deficiet rebus populorum, ac populis proſpiciendo. Neceſſe erit, vt auxilium ei præſtet Deus, qui omnium legum eſt conditor; qui regula propria cuncta definit, omnia determinat norma. Hinc idem Plato monebat, Deum inuocandum in inſtituenda ciuitate, legibuſq. ferendis. Sic ſcripſit ille: *Deum in primis inuocemus, ad Ciuitatis conſtitutionem. Qui vtinam exaudiat, exaudiens propitius, & benignus, nobis adueniat, vna nobiſcum leges, & ciuitates exornaturus.* Nullum ſibi perſuaſit Plato, reperiri poſſe hominem, qui ſit adeo

pruden-

prudentia, ſcientia, experimento ve præditus, adeoq. perfectus; vt ex ſe, ad moderandam ciuitatem, valeat condere leges, niſi ſuffultus ſit Dei auxilio, eiuſq. numine afflatus. Inualidæ ſunt, ac nimis tenues animi humani vires, vt populos in proprium finem dirigant, qui, tamquam nauis, in vaſto mari, varijs fluctibus, & ventis agitata, portum ingredi nequit aut ſaltem ſumma cum difficultate poſtmultos labores exantlatos, aſſumere ei conceditur. Quod bruta, a brutis feliciter regantur, vti fieri nequit; ita etiam homines, ab homine ſine Deo feliciter regi, eſt de numero illorũ, quæ minime fieri poſſunt. Quare in Protagora, vt leges ad bene uiuendum neceſſarias eſſe fatetur; ita ſufficientem eſſe Promethei legem, aperte negat: his lectori indicando, leges quidem humanæ vitæ neceſſarias exiſtere, at quas humana condidit prudẽtia, minime ſufficere. Hæc Plato docte, pulchre, & ſcite commendauit ſcriptis, & memoriæ poſterorum. Atqui, vt præceptoris ſententiam audiuimus, ne pigeat, obſecro, diſcipuli ſenſa intellegere.

Ariſtotelis opinio, de legum conditoribus. Caput V.

ARiſtoteles, vir admirandi ingenij, in Academia qui longo tempore Platonem docentem audierat, hæc optime inſtructus, & præceptoris doctrinę haud ignarus ſecum reputans quæ hactenus dicta ſunt, optime fuiſſe expoſita: breui ſermone pauca quidem ſed prægnantia habuit verba. Dicebat ille. Si veritatem, ac rerum naturam ſequi velimus, nullius alterius, quam hominis ciuilis, munus erit, condere leges. Quod ſi Rhetores, & Sophiſtas ſpectemus qui, rerum ciuiliũ ignari, ciuiumq. aſſentatores, & applauſores ſe ciuiles eſſe exiſtimant, & prædicant; in eã deueniemus ſententiam, legũ promulgationem, ac Lationem, non eſſe ciuilis hominis. Quod quidem cum veritate conuenire, minime, eſt aſſerendum. Etenim, qui ciuiles non ſunt, hos quoque ad leges ferendas ineptos, & haud accommodatos eſſe, pro certo eſt habendum. Qui vero legum ſanctioni ſunt inepti, neque alios tales poſſunt efficere. Atqui Rhetores, & Sophiſtæ, cum ciuiles non ſint, iccirco alios numquam efficere poterunt idoneos ad leges ferendas. Hoc probabat argumentis, acceptis a facultatibus, & artibus. Gratia exempli: Qui aliquam callet artem, eandem alios docet, illaq. operatur. Pictor pingit, alios quoque artem pingendi inſtruit. Medetur medicus, alioſue curat: is non

tantum

tantum hoc fungitur munere, verum, artem propriam edocendo, alios quoque facit medicos. Atque, vt ſummatim dicamus, omnes, qui aliqua ſunt arte præditi, illa operantur, eandemq. ceteros docent. Quare neceſſe eſt, qui ciuilis eſſe debet, non tantum, vt rerum publicarum ſcientiam habeat, verum illas tractet, ac adminiſtret. &, qui Rempublicam gerit, res agat ciuiles; non quidem ea ratione, quoniam habeat ciuilem ſcientiam; ſed illas ſit expertus, in ijſdéq. fuerit optime verſatus. Ea autē ſunt ciuilia, quæ vere ſunt honeſta, vere vtilia, vere iuſta. Talia autē a virtute aguntur, ſuntq. eiuſdē actiones. Is, propter hæc, tum recte, tum eleganter, Rempublicam adminiſtrabit, qui ſcientiam rerum publicarum non tantum calluerit, verum earundem experientiam habuerit. Hæc duo requiruntur: quorum alterum ſi deſit, ac deſideretur, ineptus, minimeq. ad leges ferendas, & ad Rempublicam adminiſtrandam idoneus exiſtit. Diuerſum rei propoſitæ non accidit, quod ceteris artibus ſolet euenire, quarum finis non eſt ſola cognitio, ſed cum notitia eſt etiā opus, quod actione, & ratione perficitur. In ijs, vti vnum ab altero diſiunctum, artificem reddit imperfectum; medicus ſola præditus empiria, theoricæ inſcius, admodum eſt imperfectus. E contra theoricus practicæ ignarus mancus eſt, nec hunc perfectū dixerim; ita ars, & vſus abſolutum faciunt artificem. In ciuilibus quoque non tam eſt neceſſaria virtutum cognitio, quàm illarum vſus. Ciuiles magis ij redduntur, qui experientia, & ratione in rebus ciuilibus verſantur, quam qui ſolam ſequuntur rationem. Ad hæc, ciuiliores ſunt ij, qui longo tempore in ciuilibus, etiam ſine ratione, ſunt immorati, ac maiorem ex quotidiano, & diuturno vſu peritiam ſunt conſecuti illis, qui ratione inſtructi, breui tempore res gerendas ſunt experti. Præterea, ſi Muſicam, ſi alias ſpectemus artes, hoc veriſſimum eſſe, comperiemus. Muſica conſonantias cognoſcimus: at, quintam ab octaua, & quartam, quam alibi conſonantiam eſſe oſtēdimus, a quinta diſtinguere, munus non eſt cuiuſcumque, ſed illius, qui Muſicæ notitiam optime habuerit. Nouit medicus, quid ſit Sanitas, quibus medicamentis, quibus cibis, quali ue ratione victus cōparetur. Statuarius ſcit, quæ menſura, & lineamenta, quæ membrorum proportio requiratur, ad efficiendam elegantem, abſolutamq. ſtatuam, quid ve ei deſit, dijudicat. Idoneus eſt artifex ad proferendum iudicium in ijs, quæ ad propriam attinent artem. At artium imperitis ſatis erit, immo ſuperque, cum opera huiuſmodi non valeant condere, ſi aliquam apparentem deformitatem rei artefactæ, potuerint cognoſcere. Perinde, qui non ſunt ciuiles, ad leges ferendas minime ſunt apti; at forte ij iudicare poſſunt, quæ bene, ac male ſeſe habeant, non quæ optima inter bonos debeant haberi. Lex, pro-

prij latoris exiſtit imago, & eſt quodammodo ipſemet conditor, quatenus legem condit: vt pictor eſt opus ab eo elaboratum. Ita ciuilia opera ſunt hominis ciuilis imago, quatenus rerum ciuilium callet peritiam. Iam uero, quoniam leges operibus exiſtunt perſimiles, opera vero ciuilia, notitia, ſeu ſcientia ciuili, & experientia, recte efficiuntur; & uere ille eſt ciuilis, qui experimento, & notitia eſt præditus; is ad ferendas leges idoneus dicetur, non qui optimas cuiuſuis leges conſiderauerit diligenter, & collegerit; (quod vtique fieri poſſet abſque multa cognitione, & ſcientia) ſed qui experientia, et arte, ciuilem facultatem ſibi comparauerit. His omnibus perſpicuum eſſe poteſt, Ariſtotelem voluiſſe, legislatorem prudentiſſimum, ac omnibus virtutibus ornatum eſſe. Scopus enim, vt retrodiximus, legis conditoris nil aliud eſt, niſi ſubditorum perfectio abſoluta, cuius gratia ſancit leges, illaſq. promulgat. Lex uero, vt dictum fuit, ſit ipſemet legislator, ſeu expreſſa, ac viua illus imago; proculdubio virtutibus omnibus ille præditus eſſe debebit, qui legibus alios perficere conatur. His non contentus, alibi monebat, legislatori illam eſſe neceſſariam animaduerſionē, vt ferātur leges, quæ 4. Poli.
vnicuique regimini conueniant. Sic ſcripſit ille: *Leges etiā ſimul cum ijs conſiderādæ erunt, quæ ſunt optimæ, & quæ conueniunt vnicuiq. gubernationi. Sunt enim leges omnes ad Rempublicam accommodandæ, nō autem Reſpublica ad legem. Eſt namque Reſpublica inſtitutio ciuitatis circa magiſtratus, honoreſq. publicos, quemadmodum debeant impartiri, & in quo poteſtas, auctoritaſq. ſumma debeat conſiſtere, & qui ſit finis cuiuſque ſocietatis. leges autem earum variæ ſunt, per quas modus Reipublicæ gubernandæ ſignificatur, ſecundum quas debeant illi, qui ſunt in poteſtate, imperare, & prohibere tranſgreſſores. Ex quo patet, quod neceſſarium eſt, differentias, & numerum tenere ſingularum Rerumpublicarum, etiam ad legum poſitiones. Neque enim fieri poteſt, vt eædem leges vtiles ſint paucorum potentiæ, ac popularibus omnibus. Siquidem plures ſunt popularis poteſtas, neque una dumtaxat paucorum potentia.* Hæc ingenioſe, & docte Ariſtoteles de legum diuerſitate. Quæ forte didicit a Platone, qui de varietate legum hæc dixit: *Non enim* 6. De leg.
nos fugit, magnam. eſſe locorum differentiam, ad procreandos meliores, deterioreſq. homines, quibus diuerſæ, pro ut expedit leges ſunt ſanciendæ. quippe alij, varietate, & turbine ventorum, difficiles, & proterui ſunt, alij, propter aquas; alij, propter cibos, qui ex terra nō ſolum corporibus, ſed & animis vtiles, & inutiles oriuntur. Præcipue autem regionis loca differunt, in quibus inſpiratio quædam diuina eſt, & quæ Dæmones ſortiti ſunt qui propitij, vel contra ſuſcipiant habitantes, quibus pro humano ingenio conſideratis, mentis compos legis conditor, ſe ad diuerſas leges ferendas conuertet. Prius enim hæc conſideranda ſunt, o Cli-

nia, quam habitari facias regionem hanc. Hæc magnus ille Plato: & docte. Vſu enim comprobatur quotidie, diuerſos & victu, & temperatione a Gallia, Germania, Hiſpania, ac Italia produci homines, diuerſis quinetiam legibus populos iſtos gubernari. Non enim vnus, & idem eſt populorum vſus. non idem morum victus, & vitæ inſtitutum: nec omnes ſumus in eadem menſura. Ideo varie a legiſlatoribus ſunt ferendæ leges populis accommodatæ, quarum, vt idem Plato ſcripſit, aliæ ad bonorum virorum doctrinam poſitæ, vt per eas intelligant homines quo pacto amice, ac laudabiliter inter ſe verſentur. Aliæ ad compeſcendam illorum pertinaciam, qui indomiti natura ſunt, ſpretaq. omni diſciplina, nulla ratione mouentur, quin in omnem ruant improbitatem. His legiſlator, neceſſitate coactus, leges imponit. Ipſe namque nullum vellet vmquam vſũ, neceſſitatemq. legum fore. His Plato lectorem docens, leges a conditore, populis, loco, & tempori accommodatas, eſſe promulgandas. Iam vero, quoniam de Legum ortu hucuſque diximus, nunc de illarũ proprietatibus fit diſputatio. Sic enim conſpicuum fiet, quo nexu homines vinciant, quæ ve ſit Principis poteſtas in populos legibus regendis.

De Legis condicionibus. Et primo, quod ſit iuſta, honeſta, & vtilis.

Caput VI.

HActenus de origine Legum: nunc de illarum condicionibus eſt agendum. Has facillime quis agnoſcet, ſi quæ ex Platone, & Ariſtotele adduximus, memoria retinebit. Aeternæ legis ſimulacrum legem Naturæ diximus, hanc vero in humana, miro quodam modo, vti cauſſam in effectu ſplendeſcere iam oſtendimus: atque ab his limpidiſſimis fontibus, necnon ab humana prudentia, tamquã riuulos, emanare leges humanas, ad quas, veluti ad filum, humanæ referuntur actiones, vt boni donentur præmijs, mali pœna plectantur, probra, criminaq. arceantur, merces, & negotia, exerceantur, populis, quorum vtilitatis gratia feruntur ſint accommmodatæ. Nunc, his inhærendo, dicamus, Legum condiciones eſſe, quod proſpiciant populorum ſaluti; religioni, & diſciplinæ congruant; poſſibiles ſint; vtiles, & honeſtæ. Hæc ſecum meditando Iſidorus, de Etymologijs ſcribens, cuius viri doctrinam amplexus eſt Sanctus Thomas,

Lib. 1. c. 3. & 22.

Thomas, prima ſecundæ, dicebat: Lex erit omne, quod diſciplinæ q. 95. ar. 3.
conueniat, quod ſaluti proficiat. Erit lex honeſta, poſſibilis, ſecundum naturam, ſecundum conſuetudinem, patriæ, loco, temporiq. conueniens, neceſſaria, vtilis, manifeſta quoque, ne aliquid per obſcuritatem in captione contineat, nullo priuato commodo, ſed pro cōmuni vtilitate ciuium ſcripta. Has condiciones Beatus Thomas, vt nunc diximus, egregie, & docte, explicans; præaccipit nonnulla, tamquam firma, & inconcuſſa. Horum primum eſt, quæcumque ſunt in gratiam alicuius finis, ab eodem neceſſitatem, & formam accipiunt. Naturæ opera id nos docent; &, quæ fiunt ab arte, ipſa quoque huic veritati perhibent teſtimonium Dentes (gratia exempli) anteriores, ſunt acutæ figuræ, ad inſtar ligonum. Molares vero, cubum imitantur. Tales ſunt a Natura efformati, vt proprio fini eſſent accommodati, cuius gratia illos conſtruxit ſagax mater nunc dicta. Anteriores, vt cibos ſcinderet; molares vero, vt contunderet. Illos, in acutum figuram, hos in cubicam his de cauſis produxit. Pedes in cubum fecit, vt baſes eſſent, quibus tibiæ, tamquam columnæ, inniterentur, ad totam corporis molem ſuſtinendam. Oculos effinxit, in figuram ſphæricam, quoniam, vt Optici aiunt, facti ſunt ad viſionem; altitudinem montis, & rerum viſibilium magnitudinem non aſſequerentur, niſi eſſent rotundi. Quippe, niſi pupilla eſſet figuræ ſphæricæ, cuius merito oculi immutantur, non perciperet niſi æquale ſibi, cum viſus efficitur per lineas rectas, in oculum incidentes perpendiculariter; & concurrentes in oculi centrum. quod ſi eſſent plani ſuperficie, non attingerent viſibilia, atque ingererent ſe, niſi ex æquali ſuperficie. Quapropter decuit eſſe ſphæricæ figuræ, vt lineæ a re viſa recte, ac ad perpendiculum caderent in pupillam. Vel, vt Naturales aiunt, quoniam varijs motibus mouetur oculus, debuit eſſe ſphæricus, vt motu in gyrum moueri poſſet, & quia habet centri rationem. Siquidem lineæ a rebus viſibilibus prouenientes, ad perpendiculum in illum cadunt, tamquam in centrum. Pythagorici, quos Plato ſecutus eſt, de Elementis diſſerentes, Terræ cubum octo angulorum & ſex laterum, ad inſtar teſſeræ, aſcripſerunt, cogitantes eius ſtabilitatē & ineptitudinem ad motum. Igni vero pyramidalem figuram, ob facillimum motum eius ad ſuprema; quemadmodum aereñi in octedrum, ideſt in figuram ex octo baſibus, & ſex angulis ſolidis, & planis viginti quattuor; ob eius inſtabilitatem; & quoniam ignem ſequitur aſcenſu. Aquam in Icoſedrum (figura, quę habet baſes viginti, & angulos duodecim) ob eius facilitatem ad fluxum, ac mobilitatem, efformarunt. Ad arte facta deſcendamus. finis ſerræ eſt, ligna ſecare. ideo talis debet eſſe figuræ, vt hoc poſſit fungi officio.

tur & aliquando iniuſta ab hominibus poteſt appellari. Plato in Minoe nullam aliam nouit legem Regiam, niſi quæ eſſet recta. Ceteras vero nec nomine Legis dignas fecit. Edicta, Mandata, Iuſſaq. Principum, ſi quis eas dixerit, optime loquetur. Vtilis, & neceſſaria. Quoniam vitia ab animis arcet, & ſaluti proſpicit hominum. Duplici conſtamus natura, dupliciq. portione ſumus compactiMēte, & Senſu, Quarum partium alteram cum puriſſimis Spritibus; alteram cum Brutis communem habemus. Hinc duplex appetitus; quorum vno verum bonum, altero apparens bonum appetimus. Maximum certamen, perpetuaq. fere eſt pugna inter illos, & ſæpe inferior, vincit ſuperiorem. Bona approbamus, deteriora ſequentes, in hoc brutis miſerabiliores. Cum itaque duplici parte conſtemus; ſuprema cognoſcentes, vitium monſtrum eſſe, & Harpyam, cuncta maculantem, illud deteſtamur, commendamuſq. Principem legem promulgantem, qua vitia relegantur. Non me latet, vſu aliquando contrarium euenire. Etenim, ſi contingat, aut nos, aut caros in crimen labi, at lege ſint emendanda delicta; quod prius ad Siderа laudibus extulimus rationem ſequentes; mox animi perturbatione, affectuq. inordinato vituperamus; maledictis, & conuicijs damnamus. vt tunc cæco iudicio, & caligantibus mentis oculis, verum aſpicientes, non animaduertimus, vitium ſuapte natura eſſe abominabile, & tamquam peſtem euitandum. Legis conditor, ſoli vtilitati proſpiciens, neſcius animi affectuum, parui pedens prauorum querimonias, legem ſancit. Similis eſt Chirugico, vulneribus medenti, quæ diuturno tempore obcalluerunt. Aegrotantis clamori, & rugitui aures obturando, ferro ingniq. ſaluti conſulit, nullumq. miſerationi dat locum, dūmodo corpus languens ſanitati reſtituat. Perinde legum conditori non eſt curæ, an lex mœrorem, & triſtitiam; an lætitiam, & gaudium, huic, & illi, ſit allatura. An ve prauis ſit odioſa. Sat ſibi eſſe dijudicat, quod publicæ proſpiciatur vtilitati, communi conſulatur Reipublicæ bono. Hoc ſcopo feruntur leges. Hinc factum eſt, vt hominum cogitationibus a legiſlatoribus lex fuerit nulla impoſita. (loquor de humana: lex enim Dei etiam cogitationibus imponit modum: quoniam ipſe ſolus cordium eſt ſcrutator, & iudex, qui, introſpiciens, honore afficit, ac præmia largitur; punit & caſtigat; vt interiora animi noſtri ſecreta, eſſe perſpicit) cum enim non ſint geſta, quæ damnum afferant Reipublicæ; aut exemplum, quod ceteri imitando, mala committant lex non eſt lata, cuius ſcopus eſt, hæc prohibere. Promulgantur quippe leges, non vt minima quædam inhibeantur, ſed vt mala arceantur. Hinc illud iuris peritorum: *De minimis non curat prætor.* Antiquiores, talia præceptoribus, ſenioribus, dignitateq. fulgentibus

tibus, corrigenda, emendanda ve reliquerunt. Quorum eſſet cura, legibus animos cohibere, illa ve ſtatuere, quibus omiſſis, homines in monſtra verterentur. Quo modo autem Populis, Loco, & Tempori leges ſint accommodandæ, nunc dicamus.

Loco, tempori, ac populis Leges accommodandæ, an ve immutandæ ſint.

Caput VII.

Legem, populi diſciplinã eſſe, nullus eſt qui ambigat. Diſciplinam autem addiſcenti debere conuenire, omnes fatentur. Prima rudimenta pueris traduntur; adoleſcentes vero docentur ſcientias. Hoc eſt præceptoris munus præcipuum, vt explorata diſcipuli capacitate, eundem inſtruat, quæ accommodata ſunt aptitudini illius. Hæc eſt cauſſa, quare lex poſſibilis dicatur, taliſq; debeat eſſe, vt Iſidorus dicebat. Non ſunt eadem imponenda pueris, viriſq. perfectis. Nec poteſt homo ciuilis, viuens in hominum conuẽtu, alijs morem non gerere. Quare primo eſt inquirenda, & exacte exploranda facultas, ſeu, vt dicitur, poſſibilitas, ſubditorum, anteaquam populis lex promulgetur. Quod ſi ſecus fiat, lex, immutata propria natura, tranſit in violentiam. Atque, vti debet ipſa hominibus imperare, vim potius infert, quam mandata proponat obſeruanda virtutis amore. Non negarim, quod lex, & ipſa propria vi vtatur. At diſtat valde a violentia, vis huiuſmodi legum. Hæc in aliorum vergit commodum, illa in damnum, & in perniciem. Præterea, nimia illa legum durities, nonnumquam bonis, ac malis eſt perniciosa. Quis enim adeo eſt perfectus, adeo ve compoſitus, vt aliquando terminos non prætereat? vbi nimia aſperitas legibus eſt inſita. Hæc cogitando, Solon, Draconis leges Athenienſibus promulgatas, abrogandas, & abolendas fore ſtatuit. Crimina quantumuis minima capite punientes leges, ſcripſit Draco, non atramento ſed ſanguine, Epicuri ſententiam ſecutus, Omnia peccata æqualia eſſe, dicentis. Poſtremo, rigiditas illa legislatoris intolerabilis, horum duorum malorum eſt cauſſa; ſuperuacaneæ multitudinis; & vituperandæ abrogationis. Cum leges aſperrimæ ferri nequeant a populis, neceſſe eſt, vt aboleantur. Id vero an culpabile ſit, dicant ceteri. Vnum hoc ſcio, cuiuſuis legis abrogationem alijs afferre quandam imbecillitatem. Spem namque pa-

rit in animis ſubditorum, vt ceteræ tandem, noua cauſſa adueniente, ſint & ipſæ abolendæ. Hinc illorum contemptus, ac mors, hinc morum corruptio. Luxuries vero illa, ac numerus ſuperuacaneus legum, confuſionis horroris, & deſperationis, ſolet eſſe cauſſa. Vbi enim animus perſentit, ſe varijs, ac propemodum innumeris mandatis detineri, confunditur; magiſq. ineptus, ad obſeruationem illorum redditur, quam inflammetur. Magis ſpem abijcit, quam concipiat legis obſeruandæ, & Principi parendi. Non negarim, fieri nõ poſſe; vt omni vacent ſeueritate leges, at *Μηδὲν ἄγαν*, præ foribus in templi columnis ſcripſit Apollo.

Et Pythagoras:

Dimidium plus toto.

Aurea mediocritas,

Dixit Poeta quidam. Populis igitur ſunt leges accommodandæ, non autem Populi legibus. Quemadmodum calceamenta pedibus non pedes calceamentis; caligæ tibijs, non tibiæ caligis; aliaq. dorſi veſtimenta, & indumenta, corpori, & partibus corporis; non corpus veſtimentis, eſt adaptandum. Atque non ſolum populis populorumq. naturæ; verum & temporibus, & locis. Vnaquæque Regio (vt retro adnotauimus) peculiari temperatione producit incolas. Quod ſi mores corporis temperaturam ſequuntur, nullum eſſe debet dubium, quin vni populo aliæ leges & aliæ alteri, ſint accommodandæ. Adhæc, cum ob actiones humanas promulgentur leges, quæ temporum varietate ſunt diuerſæ, nouis emergentibus, nouum eſt adhibendum remedium. Hui, dicet aliquis, qui obſecro, fieri poteſt, vt Lex immutetur, cum ſit imago legis æternæ, ac Naturæ, quæ nullam patiuntur mutationem, nullam admittunt varietatem? Quæſtionem hanc excitauit Ariſtoteles, de Politicis rebus ſcribens, vbi de Mileſiorum, ac Hippodami Republica loquitur. A Beato etiam Thoma, quem nil latuit, qui nihil intentatũ reliquit eadem docte cognita fuit. Ariſtoteles loco adducto, trutina ingenij problema hoc examinare contendit: verum, vt vnuſquiſque lectione conſequi poteſt, quo modo quærentibus ſatisfaciat, dubitationemq. dilucidet, haud facile intelligitur. Siquidem, cum hinc inde argumẽta adduxiſſet, & Platonis ſententiam improbaſſet, dubium inſolutum relinquendo ad Lacedæmoniorum Rempublicam ſermonem conuertit. Cenſuit Plato, leges patrias immutandas fore, vbi meliorem ſtatum Reſpublica eſt adeptura. Sæpe vſu accidit, vt, niſi mutentur leges, ob diuerſos rerũ euentus, Reſpublica varijs afficiatur incommodis. Præter hęc, ſicut arti, vt puta medicinæ, ac gymnaſticæ, alijs

cæ, alijs ve prodeſt, vt ab iuſtitutis patrijs mutetur, ita ciuili diſciplinæ proderit, mutationem ſuſcipere. Adhæc, antiquæ leges barbariem,& aſperitatem quandam ſolent redolere. Armati ſiquidem ferro incedebant Græci, vxores inuicem emebant. Apud Cumas lex erat de cæde, ſi accuſator multos teſtes inducat, ex proprijs agnatis; reum eſſe cædis, contra quem probatur. Cum igitur omnes quærant bonum non patrium, dicendum eſt, priſcos illos ſiue ex terra fuerint geniti vt fabulæ dicunt, ſiue ex corruptione aliqua ſeruati, fuiſſe ignaros, ac imperitos; vanumq. eſſe, perſiſtere in illorum opinionibus. Nouiſſime, leges ſcriptæ nullam accipiunt meliorem condicionem ab immutabilitate. id contingit ciuili diſciplinæ, quod alijs artibus paſſim videmus euenire, quoniam actiones artis circa ſingularia verſantur. Medicus non medetur homini, ſed Alcibiadi, & Themiſtocli, at ſingula exacte ſcriptis comprehendere, humanis viribus eſt impoſſibile. Singulariũ ſunt optime temperamenta cõiectanda, mox adhibenda medicamenta: atque, ſi ſecundum præcepta ſcripta in vniuerſum, & generice operetur, nulla habita ægrotantis particulari ratione, errabit. Ita ſane, cum lex ciuilis circa actus ſingularium verſetur, & ipſa, niſi mutetur, vt tempus expoſtulat, proculdubio erit inutilis. E regione, dicebat Ariſtoteles, mala videtur legum immutatio. Ratio eſt, quoniam, cum minima vtilitas oriatur ex mutatione, ſatius eſt, errata Legumdatorum, & Magiſtratuũ tolerare, quam leges mutandi aſſuetudinem, cum talis mutatio ſit, ſi aſpiciatur, omnino euitanda. Conferat aliquis paucam illam vtilitatem, ex legum mutatione ortam, & damnum proueniens ab aſſuefactione mutationis earundem; & videbit, vtilitatem a damno ſuperari. Cum ex mutatione aſſuefactio non parendi ſuperioribus ſcaturiat. Inſuper, mendax eſt, exemplum ab artibus acceptũ. Quoniam non eadem eſt ratio, ſi ars immutetur, & lex. Non eſt ſimile profecto, vtramq. mutare. Lex enim nullam habet vim, vt ei obediatur, niſi ex conſuetudine. Conſuetudo autem non fit niſi longo temporis vſu. Quare, mutando facillime leges ex præſentibus, in nouas futuras, vis legis infirma redditur. Hæc cum adduxiſſet Ariſtoteles, dubium inſolutum relinquens, ad Lacedæmonum Rempublicam ſermonem tranſtulit. Sanctus Thomas non ſic certe, rẽ hanc aggreſſus, ſe geſſit. Inquit vir Beatus, legem humanam poſſe mutari, ſi cum ratione hominis comparetur, & cum populis, quibus promulgatur. Si partem noſtram intellectiuam aſpiciamus, videbimus illum a rudi, ac imperfecta cognitione, ad abſolutam, ac perfectam tendentem. Naturæ is eſt ordo, vt ab imperfecto, ad perfectum progreſſio fiat. Id in ſcientijs licet adinuenire. Aemula eſt ars naturæ. Priſci Philoſophantes, de rebus naturalibus, ac diuinis diſſerentes,

imper-

imperfecta ſcriptis commendarunt. Ariſtoteles, & Plato, qui illorũ ingenijs noua excogitarunt, propter quæ magnam conſecuti licet fuerint laudem, maiorem tamen ſemper ſibi compararunt honorem, aut ſaltem non minorem quæ veteres ſcriptis aſſignaſſent, præpoliendo,& perfectiora reddendo. Hac condicione prædita ſunt ciuilia præcepta. Qui primo ſanxerunt leges, populiſq. promulgarunt, præcepta imperfecta, deficientia, ac indigentia decreuerunt. At viri, qui ſecuti ſunt illos, immutando, & addendo, diſciplinam ciuilem abſolutam reddere conati ſunt. Quare, ſi partem noſtram ratiocinantem, a qua lex prouenit, ſpectemus legem mutabilem eſſe comperiemus. Ad hæc, ſi populos etiam conſiderabimus, cum condicio illorum, varietatis ſit maxime capax, vt diuerſimode videbimus expedire, vt communi bono conſulatur, lex immutanda erit. Pater Auguſtinus, de libero arbitrio diſſerens, exemplo rem declarabat; quod eſt tale. Si populus ſit bene moderatus,& grauis, communiſq. vtilitatis diligētiſſimus cuſtos, recte lex fertur, qua tali populo liceat ſibi creare Magiſtratus, per quos Reſpublica adminiſtretur. Porro, ſi paulatim idem populus deprauatus, habeat venale ſuffragium, & regimen, flagitioſis, ſceleratiſq. cōmittant, recte adimitur populo talis poteſtas dandi honores, & ad paucorum bonorum redit arbitrium. At, ſi legem conſideremus, vt eſt imago Aeternæ, vtq. naturalis legis ſimulacrum, mutari nequit. legi namque hominum, ſi recte conſideretur ineſt naturalis lex, atque æterna, quarum vna quæuis immutabilis exiſtit. Hanc ob rem Doctor Sanctus, loquens de legis Naturæ immutabilitate, ſcripſit hæc. *Ad primum ergo, dicendum, quod naturalis lex eſt participatio quædam legis æternæ, vt ſupra dictum eſt* (referens hæc ad quæſtionem nonageſimam tertiam, & articulum tertium illius quæſtionis) *& ideo immobilis perſeuerat. quod habet ex immobilitate, & perfectione Diuinæ rationis inſtituentis Naturam, ſed ratio humana, mutabilis, & imperfecta; & ideo eius lex mutabilis eſt. & præterea lex naturalis continet quædam vniuerſalia præcepta, quæ ſemper manent: lex vero poſita ab homine, continet præcepta quædam particularia, ſecundum diuerſos caſus, qui emergunt.* Perinde, ac ſi dixiſſet: Si lex, ab homine lata, conſideretur ratione eius fundamenti, cui innititur: nimirum legis æternæ, ac Naturæ, vtique inuariabilis exiſtit. At ſi conſideretur ratione humanorum geſtorum, & actionum; ſuſcipit variationē. Hoc eſt intrinſecum legi, vt communi bono conſulatur, cum fertur a legiſlatore. Natura lege ſua id paſſim docet: Alteri ne feceris, quod tibi fieri reſpuis. Nemo lędēdus. Propriũ eſſe ſeruandũ eſt. Et ſimilibus pręceptis nos imbuendo naturalis lex, bono communi proſpicit. Hoc eſt, quod immutabile in omni Regione, & apud omnes Populos, in hu-

1. *Cap.6. ad initium.*

Pri.2.q.92. ar. prim. in res. ad p.

mana lege dicitur reperiri. Hoc eſt, quòd nullam cognoſcit varietatem, vbicumque exiſtat lex. At gratia cõmunis vtilitatis, vtq. Loco, Tẽpori, & Populis accommodatur, variationem ſuſcipit etiam huius gratia. Atqui, non a quouis eſt immutanda, nec quauis de cauſa: ſed vrgenti neceſſitate, & ab eo, qui Reipublicæ clauum tenet, ſedetq. in puppi. Hoc latenter nos docuit Plato, dicens, Legem hãc eſſe optimam, vt iuuenes non perpendant, an leges recte, vel perperam, ſint inſtitutæ. Et alibi aiebat: Cuſtodes legum in loco ſanctiſſimo debere congregari. Addens, numquam mutandam eſſe legem, niſi omnium adſit conſenſus. Exemplum autem ab artibus acceptũ, quod Plato adduxit, & Ariſtoteles reiecit, eo quod nimis eſſet diſſimile, & rei propoſitæ incommodum, non eſt tam facile negligendũ. Similia dicuntur illa, quæ in pluribus conueniunt, in quibuſdam autem diſſident. eadem, quæ in omnibus conueniunt, vt etiam idẽ met Ariſtoteles ſcripſit in libris Diuinorum. Atqui, veluti gladius, nec in cuſpide, nec in manubrio, nec in parte illa obtuſa, quæ Coſta vulgo dicitur, ſed in acie incidit; ita ſane ſimilitudo, & exemplum, in quibuſdam dumtaxat, rei propoſitæ quadrat, non autem in omnibus. In hoc ſita eſt virtus huius ſimilitudinis, a magno Platone allatæ. Quod, quemadmodum artes proprijs ſubijciuntur legibus, quæ mutandæ ſunt, pro varietate rerum, quibus accommodantur, quarum recta ratio inſerta eſt artificis animo, vti legum ciuilium animo viri prudentis; ita leges mutari poterunt, tempore, & loco, expoſtulantibus.

Pri. de leg.

6. De leg.

Lib. 5.

Quæ, quanta ue Legum uis in obſtringendos Populis a Principe latarum.

Caput VIII.

POpulos a Principum legibus obedientiæ ſubdi, nullus eſt, qui in dubium reuocet. At, qualis ſit, ac quanta huiuſmodi obligatio, vt videre videor, non eſt facile iudicare. Multa ſunt vincula, varijq. nexus, quibus a lege deuincimur. Corporea pœna, ſiue in proprio corpore, ſiue in rebus, legis nexu aſtringimur. Adhæc, in foro conſcientiæ, vel mortali, vel veniali culpa, quinetiam obligamur. Iam vero, cum multiplex ſit obligationis nexus, quo lege obſtringuntur ſubditi, latus hic ſeſe offert diſſerendi

campus

campus, quæ nam ſit obligatio, qua deuinciuntur homines Principum legibus. Cum autem de Principum legibus eſt diſputatio, non Spirituales, ſed temporales Domini ſunt accipiendi. Siquidem ſcopus, & argumentum noſtrum eſt de Principum poteſtate, ſeu de iuribus Principatuum temporalium, a qua poteſtate leges paſſim emanant. De ijs igitur diſſerendo, decernendum eſt, qua pœna legum trãſgreſſores harum ſint puniendi, vt vis legum appareat; & quod huic eſt conſentaneum, Principis poteſtas in populos quanta ſit, omnibus fiat conſpicuum, dum leges promulgant ſubditis. Pœna vt hinc ordiamur, vel eſt corporea; quæ nimirum ad corpus attinet, veluti membrorum mutilatio, exilium, atque ipſius met vitæ amiſſio, nec non pecuniæ effuſio: vel eſt ſpiritualis, ad animum attinens, quæ conſcientiam, forumq. illius reſpicit. Cum itaque ad ſummum duę ſint pœnarum ſpecies, ambiget aliquis, num omnibus his, an potius altera ipſarum; & ſi altera, quæ nam ſit, qua Principum leges ſubditi obſtringantur. Et certe, ſi loquamur de corporeis pœnis, quas nunc memorauimus, dicendum erit, omni hæſitatione poſtpoſita, Principum leges ijs mulctis ſubijcere populos. Cum enim Princeps conſulat communi bono, paci, ac tranquillitati Reipublicæ, idq. ſit munus a Deo ipſi demandatum, poteſtaſq. illius corpora ſubiectorum reſpiciat, eo modo, quem retro explicauimus, poterit procuIdubio huius finis gratia homines proprijs legibus hiſce pœnis obligare, vt eoſdem morti obijcere, ac tradere. Verum dubitatio, quæ ſummum ingeſſit ſcribentibus laborem, & quæ adhuc non mediocre faceſſit negotium, eſt, an hæ leges ſubditorũ, deuinciant animas, atque, vt dicitur, obligent in foro cõſcientiæ, & ſi hoc efficiunt, an tranſgreſſores culpa mortali, an veniali, dicantur peccare. Hæc duo ſequuntur primum. hoc igitur aggrediamur.

An Principum temporalium leges (vt dicitur) obligent in foro conſcientiæ. Sancti Thomæ, & Soti opinio adducitur.

Caput IX.

SAnctus Thomas, prima Secundæ, in vniuerſum, ac generice, de lege humana diſputans ab illa ſubditos in foro conſcientiæ obligari, aſſeruit, appendice, ac limitatione hac adiecta, Vbi lex fuerit iuſta, quæ a Principe promul-

gatur. Vt autem Beati Doctoris mens intelligatur, meminiſſe oportet, iuſtas appellari leges, vel ratione finis, vel ratione formæ, vel ratione agentis. Ratione finis quidem, ſi lata fuerit communis boni gratia, ac publicæ vtilitatis, non particularis. Etenim, veluti illa iuſta dici debet, ita hæc tyrannica eſt appellanda. Hoc diſcrimine differt Princeps a Tyranno, quod ille, leges promulgat in publicam vtilitatem; hic vero, in proprium commodum eas condit. Ratione autem formæ, quando nimirum imponuntur a lege onera ſubiectis communis boni gratia, ſeruata proportionis æqualitate. Eſt lex, regula, vt ſupra diximus: & iccirco eam debet ſeruare proportionem in onerandis ciuibus, quam ſeruat in honorandis. Proportio ſumitur a gradu, & ſtatu, quem illi obtinent in Republica. Eſt homo, id ipſum, quod eſt, & quod habet aliquid multitudinis, vti pars totius exiſtit. Natura, vt ſeruet totum, parti infert detrimentum. Vt corpus ſeruetur, damnum facit pars. Ad hæc, quemadmodum partes diuerſa obeunt munera, quædam digniora, quædam minus digna, vt a natura ſunt conſtructa, ita in Republica proportione ciues honoribus ſunt honeſtandi, & oneribus ſecundum facultatis onerandi. Poſtremo, ratione agentis iuſta dicitur lex, ſi facultatem, ac poteſtatem eius latoris non excedat. Ceterum, quoniam rectum,
Tex.85. vt dicebat Ariſtoteles, primo de Anima commentario, index eſt ſui, & obliqui; ideo, vti has iuſtas leges appellamus, ita illas iniuſtas dicemus, quæ communi bono non erunt congruentes, aut ratione agentis, aut ratione finis, aut ratione formæ. Ferat legem Princeps in propriam gloriam, & commoditatem, propria ductus cupiditate, lex illa iniuſta erit. Quod ſi etiam limites propriæ facultatis, ac poteſtatis tranſilierit, iniuſtitię nota erat culpabilis. Quin etiam ſi iuſtitia Geometrica in oneribus imponendis populis nulla ſeruabitur proportio, iniuſta erit lex, immo Legis nomen non merebitur. Siquidem, vt Pater Auguſtinus aiebat, Lex non videtur, quæ iuſta non fuerit. His itaque Sancti Thomæ aperta ſententia fit, quod, ſi lex iniuſta fuerit, in foro conſcientiæ ſubditos non conſtringet; at ſi iuſta fuerit, vtique illos deuinciet. Id vero habet a lege
Pro.9 æterna. Quod Salomon nobis indicauit illis verbis; *Per me Reges*
P.lib. q. 6. ar.4. *regnant & legum conditores iuſta decernunt*. Hanc doctrinam amplexus Sotus, de Iuſt. & Iure, (ſi forte ſe ipſum recte audit) a legibus ciuilibus, ne dum Pontificijs, homines obligari uenialis, & mortalis peccati nexu, aſſeuerat. Vbi concluſit, humanas leges in foro conſcientiæ populos obligare; & Lutheri peſtiferam reieciſſet ſententiam, ad Eccleſiæ poteſtatem in legibus ferendis attinentem. Videns eam, quam eo vſque habuerat diſputationem, ad eas præcipue attinere ordinationes, quæ poteſtate emanant ſpirituali. Statim in

dubium reuocat, an idem ſit ſentiendum de lege ciuili. Argumenta adducit, quibus probare poſſe videtur, haſce conſtitutiones non poſſe homines peccati vinculo deuincire. Propriam demum explicando ſententiam, ait: *Veruntamen, his nihil obſtantibus, concluſio, quæ ſecundum mentem Sancti Thomæ primo loco aſſerta eſt, ſuam etiam inconcuſſam retinet veritatem: in ciuilibus quippe, quæ ad culpam obligant, & de genere ſuo ad mortalem.* Quibus verbis idem profert iudicium Doctor iſte de legibus, a ſpirituali poteſtate, & temporali prouenientibus, ratione obligandi; & perinde, eidem pœnæ a lege ciuili, & ſpirituali homines ſubdi, aſſeuerat. Quam ſententiam pluribus rationibus roborare contendit. Quarum prima eſt hæc. (breuibus argumenta adducam, quæ Doctor ille verborum nimia quadam prolixitate ſcripſit) Supponamus primo, quod duæ ſint Reſpublicæ, Eccleſiaſtica, & Ciuilis; Et in vtraque neceſſariam reperiri poteſtatem ſe ipſas gubernandi, & leges condendi, vt locorum, & temporum varietas requirit; licet diuerſimode a Deo vna, & altera deuenerit. Supponamus ſecundo, ciuilem Rempublicam eſſe Dei familiam. His iactis fundamentis, ſic erigit ædificium rationis. Reſpublica ciuilis habet poteſtatem leges condendi: igitur a Deo. Si a Deo, ergo, qui has leges cuſtodierit, dignus præmio erit habendus. Qui vero violauerit, igitur erit puniendus. Hoc autem, addit ille, eſt, obligare in conſcientia. Ad hæc, facere contra legem Principis, eſt malum mortale: igitur eſt peccatum contra Deum. Antecedens notum eſt: quoniam, ſi lex iuſta eſt, regula rationis exiſtit. Etenim lineam rationis tranſgredi, peccatum eſt: quoniam eſt obliquitas. Conſequentia eſt conſpicua: quoniam, quidquid mali in moribus exiſtit, peccatum eſt, vt egregie Sanctus Thomas, diſſerendo, nos docuit. Deinde, lex humana, vt dictum eſt, a Naturæ lege prouenit, quæ conſtituit id, quod eſt generale, in particulari ſpecie virtutis, vt genus pacis, ad hoc, quod eſt armis nocturnis non vti: ergo leges humanæ obligant in foro conſcientiæ. Nouiſſime, de lege ciuili peculiarius loquens, ſic arguit: Licet finis proximus Principis ſit quietus Reipublicæ ſtatus, nihilominus ſupremus, eſt ſempiterna felicitas, ad quam temporalis ille finis tendit: ergo poteſt ſuis legibus, per virtutem ſibi cælitus donatam, in illo ſupremo foro obligare. Vt vero vnuſquiſque valeat cognoſcere, quando lex obliget culpæ, ait. Omnis lex, quæ fertur abſolute; hoc eſt, quæ contrarium non implicat, obligat vel culpæ veniali, vel mortali, ſecundum operis qualitatem. Ratio eſt, inquit ille, quoniam lex cum obedientia coniuncta eſt: [illegible] ſiquidem

ſiquidem præceptum affert obedientiæ: quæ obedientia, eſt virtus. inobedientia vero, peccatum. Quo fit, vt, quicumque legem ferre voluerint, ſiue ſæculares Principes, ſiue Eccleſiaſtici Præpoſiti, quæ ad culpam non obligent, id debeant exploratum facere. Hæc fuit Soti ſententia loco nunc adducto.

Contraria adducitur opinio.

Caput X.

ALiter nonnullis viſum eſt, qui huic oppoſitam, omninoq. aduerſantem habuerunt ſententiam; aſſerentibus, a legibus ſæcularium Principum peccati vinculo populos minime deuinci. Quam poſitionem rationibus fulcire conati ſunt. Harum prima hæc fuit. Obligare populos in foro conſcientiæ, eſt potentiæ ſpiritualis: igitur Principis ſæcularis leges, non poterunt euiuſmodi obligationem in ſubditis parere. Antecedens probatur. Quoniam, obligare in illo foro, eſt animam vulnerare; animabus vulnera inferre, non eſt poteſtatis ſæcularis ſed ſpiritualis. Conſequentia probatur. Quia leges Principum temporalium, a poteſtate, qua fulgent, proueniunt: talis autē, non ad animas, ſed ad corpora potius ſubiectorū pertinet. Inſuper, finis proximus ciuilis poteſtatis, eſt tēporaneus Reipublicæ ſtatus. igitur Princeps non poterit infligere æternas pœnas. Conſequentia euidentiſſima eſt. ſiquidem pœna æterna ad ſtatus æterni Principis, ac poteſtatem eius attinet. Antecedens nullo probationis miniſterio eſt indigens. Præter hæc. Ciuilis poteſtas non eſt tanti roboris, vt poſſit peccata dimittere: igitur non poterit homines peccato obligare. Probatur hoc: Quoniam eius eſt tollere cuius eſt condere. Ad hæc, Poteſtas, quæ in conſcientia reum culpæ nequit punire pœna æterna, non poteſt ſub reatu talis culpæ obligare: at poteſtas ciuilis in foro conſcientiæ nullam poteſt imponere pœnam, ſicut ſpiritualis, quæ illas decernit in ſacramento pœnas, quas ſi hic non patieris, dabis in altero ſæculo: igitur non poterit obligare ad æternas afflictiones, æternaq. ſupplicia. Nouiſſime, obligatio ad pœnam, aut eſt in Principis arbitrio legem ferentis, aut præter ſuam voluntatem, & ſequitur naturam legis. Si primum concedatur, ſequitur, quod lex numquam obſtringet vinculo culpæ: quia nulla eſt lex, talem circumſtantiam exprimens. Si ſecundum admittatur, ſequitur, vt nullā poſſit legem Princeps condere

dere

dere, quæ non obliget ſub reatu culpæ. Hoc autē falſum eſſe, conſtat experimento. His rationibus perſuaſerunt ſibi, qui huius fuerunt ſententiæ, leges ciuiles peccati, vinculo homines non deuincire.

Auctoris ſententia.

Caput XI.

MAteriam hanc difficultatibus refertam eſſe, ac innumeris propemodum ſcatere dubitationibus, ſemper exiſtimaui. Atque, vti primæ claſſis rationes dignas eſſe, ita ſecundi ordinis minime contemptibiles ſemper credidi. Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Caietanus, ſecunda ſecundæ, quærens, quæ nam virtus obligandi ciuilibus legibus inſit, vbi copioſe de hac re diſſeruit; his verbis diſputationi impoſuit finem: *Et omnino certitudo huius quæſtionis, quo ad ius commune, definitionem auctoritatiuam Apoſtolicæ Sedis exigere videtur*. Martinus ab Azipilcueta in Man. agens de obedientia, hanc diſputationem his verbis eſt orſus: *Eſt tamen quæſtio, quam in hoc loco optauerunt, vt definiretur a Sacro Sancto Concilio Tridentino. Quod & optarunt alij, & hoc deſideratum fuiſſe ab Henrico & c.* Atqui, ſi hoc a tantis viris fuit deſideratum, non eſt negandum, quæſtionem hanc eſſe plurimi ponderis. Caute igitur eſt tractanda, & mature, vt fieri poteſt, explicanda. Primo igitur dicamus, a lege Principis Sæcularis, homines ſubditos ditioni eiuſdem, in foro conſcientiæ ligari, quoniam æternæ ſunt ſimulacrum, ac imago. Hoc placuit Beato Thomæ prima ſecundæ, loco, quem ſupra retulimus: vbi hæc ſcripſit, dere propoſita diſſerens: *ſiquidem iuſtæ ſint, habent uim obligandi in foro conſcientiæ, a lege æterna, a qua deriuant. iuxta illud Prouerbiorum: Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.* Quæ res a Caſtrenſi prolixiori ſermone docte, & eleganter fuit demonſtrata Verum quoniam, quæ obligant in foro conſcientiæ, ſunt in duplici differentia: (vel enim obligant, vt dicunt Theologi, ad veniale; vel ad mortale) Oritur propter hæc dubitatio, nec exigua, an obligent ad mortale (hoc opus, hic labor) an ad ueniale. Primo igitur, omiſſa veniali culpa, cum hæc non faciat nobis negotium, loquendo de mortali dicamus, quod, ſi intentio legiſlatoris fuit ab hoc ſcopo diſtans, & noluerit ſanctione ſua ſubditos ligari mortalis peccati nexu, vtique illa lex ad mortale peccatum ſubditos non obligabit. Id facillime probatur: Legiſlator

q. 186. ar. 9

Nauar. Cap. 23.

q. 96. art. 4.

Cap. 8.

poteſt

poteſt pœnam addere, poterit etiam illam imminuere, atque, vt po teſt legem condere, poteſt etiam abrogare legem. Si ergo eius ani mi intetio fuit, ſubditos a lege lata non obligari ſub pœna peccati mortalis, vtique lex illa ſubditos non deuinciet tali nexu. Adhæc, actus noſtri vim, ac robur obtinent a voluntate noſtra; lex eſt actus rationis humanæ: (loquor de lege pure humana, & de ijs, quæ vigorem habent ſolum ex humana lege) igitur a voluntate legiſlatoris, robur, & efficaciam obtinebit. Verum, obijciet forte aliquis, quod, ſi hæc eſſent vera, ſequeretur, quotieſcumque Princeps, & legiſlator vellet obligare ſubditos peccati mortalis pœna, illos aſtringeret hac pœna. Contrariũ nihilominus videmus. In rebus minimis lex non obligat ſic ſubditos. Furari decem aureos, peccatum eſt mortale: at in re minima furtum erit veniale. Peccatum quod eſt mortale (periurio excepto) ex paruitate redditur veniale. Reſpondeo huic rationi, Voluntatem legiſlatoris bifariam poſſe eſſe; vel rationalẽ, vel temerariam. Quando dicitur, quod legiſlator poteſt imminuere pœnã, legemq. habere efficaciã ab eius voluntate; intelligimus, id eſſe, ſi loquamur de voluntate rationali, non autẽ de volũtate temeraria. Addatur his, non omnẽ legẽ ſtatuentẽ aliquid ſub præcepto, obli gare ad peccatũ mortale, quãdo ſimpliciter ſic loquitur lex. *Præcipi*
Art. 9. *mus: Mandamus*. Hanc doctrinã habet Caietanus pluribus in locis. 2. 2. q. 186. Tomo pri. opuſc. 25. & in Sũmula in verbo Præceptum. Hęc
6. Mor. vt fiat explorata, ab eodem mutuando obſeruationes, illam dilucidemus. Notat Caietanus verbo *Præcipere*, ex vi ſuæ ſignificationis, inſitam non eſſe vim obligandi ad peccatum mortale præciſe. Probatur hoc pluribus rationibus. Ariſtoteles in libris, qui ad mores pertinent, nos docet, *Præcipere* eſſe actum Prudentiæ: hunc autem actum eſſe communem operibus bonis, æque oppoſitis venialibus, & mortalibus culpis; nullus eſt, qui ambigat. Adhæc, præceptum diſtinguitur contra conſilium: at contra conſilium non tantum diſtinguuntur ea opera, quæ tenemur facere ſub mortali; verum & illa, quæ ſunt facienda ſub veniali. Præterea, lex Diuina, & Naturalis, multa præcipiunt, quæ ſolum obligant ſub pœna Venialis; vt præceptũ de non mentiendo, etiam abſque damno alicuius. Præcepit Dominus curatis a lepra, vt rem ſilentio inuoluerent. Nihilominus geſtum illud SALVATORIS noſtri IESV celebrantes, ac prædicantes, mortali culpa non peccabant. Beatus quoque Thomas de præceptis
2. 2. q. 44. Caritatis diſſerit, de Prudentia, de Iuſtitia, de Fortitudine, de Tem-
q. 56. quaſ. perantia. Præcepti nomine ea complectitur, quæ veniali peccato
122. 146. obligant homines. Pater Auguſtinus in Regula Canonicis Regula-
170. ribus, quorum ego omnium Lateranenſium Dei gratia infimus ſum, ſcripta, ad initium ait: *Hæc ſunt, quæ, vt obſeruetis, præcipimus in mo-*

naſterio

naſterio conſtituti. Attamen omnia, quæ ibi ſubduntur, licet ſint ſub præcepto, non obligant viuentes ſub illa ad peccatum mortale. Quare, cum leges dicunt, Præcipimus, Mandamus, Obligamus, Iubemus, Inhibemus, Prohibemus, Interdicimus, Vetamus, ſi ſunt iudicandæ iuxta vim vocabulorum, non ſunt interpretandæ, quod obligent ad mortale peccatum. Quinetiã leges, quæ ſtatuunt aliquid, per verbum imperatiuum, nimirum, Faciant, Eant. & c. eadem interpretatione ſunt accipiendæ. Verba namque illa grammatice, non iudiciarie, denotant imperium. Vnum hic ſilentio non eſt prætereundum, quod nomen illud *Mandatum* cadit, ac deficit a præcepto, vt obſeruat Pater Hieronymus, Verum redeamus ad argumentum noſtrum propoſitum quod lex vtens modo imperatiuo ex vi verborum non obligat ad peccatum mortale. Non me later, Abbatem oppoſitum ſenſiſſe in c. Veſtra de cohab. cleri. & mu. Exiſtimauit ille, quidquid in legibus ponitur per verbum imperatiuum, illud æquipollere præcepto obliganti ad mortale. Verum hæc nnllum nobis afferunt incommodum, nec ijs, quæ hactenus ſunt dicta, poſſunt eſſe impedimento. Etenim non magis obligant leges, quæ vtuntur modo indicatiuo, quam quæ vtantur modo imperatiuo: cum hic, & illic eadem ſit vis verbi, ac vocis. Grammatice, vt dictum fuit, non iudiciarie, denotat imperium verbum. *Fac Vade &c.* Scholaſtici dicerẽt, leges non magis obligare continentes præceptum in actu ſignato, quam illæ quæ continent præceptũ in actu exercito ſolummodo: at illæ non obligant ad mortale peccatũ ex vi præcepti: ergo neque iſtæ. Addamus his, quod lex, præcipiens verbis illis *Teneantur*, non magis obligat, quam per verbum Præcipimus; immo minus: quemadmodum in illa Conſtitutione Clementina *Exiit de Paradiſo* poteſt vnuſquiſque videre. Quod etiam dicendum eſt, dum lex imperat illis verbis *Teneantur neceſſario:* ſeu, *Non poſſunt*: vt ex Caietano colligitur. In iure tenemur, ac poſſumus illa facere, quæ iure poſſumus. Quod ſi hæc verba non obligant hoc nexu, multo minus, quæ ſunt hortatoria. Hoc & Beatus Thomas 2. 2.q. 186.ar.9.lectorem docuit, & ex ijs, quæ hucuſque diximus, ſequitur optime. Et confirmari etiam poſſunt hæc omnia, duplici medio. Primo, cum hæc ſint generalia verba, Præcipere, Mandare, Iubere, Inhibere, Teneri, Non poſſe, quæ tum mortali, tum veniali crimini poſſunt accommodari, iccirco in dubio potius de culpa, & pœna veniali, quam de mortali ſunt interpretanda. Hoc iuris Pontificij & Cæſarei decretis optime quadrat. De Reg. Iu. c. in Pœn. & interpretatione, ac l. ſi Præſes, ff. de Pœnis docemur, leges, quæ de maiori, & minori pœna poſſunt intelligi, de minori ſemper fore interpretendas. Secundo, ab vſu legiſlatorum iuris Cano- *§. Item Credo.*

nici, eorum, quæ ad animum attinent. quando eorum eſt intentio, obligare ad peccatum mortale, non vtuntur ſimplici voce *Præcepti*, ſed addere ſoliti ſunt. In virtute ſanctæ obedientiæ, ac alio ſimili addito: vt omnibus pateat, præceptum eſſe obligans ad mortale peccatum. Verum ambiget forte aliquis, quomodo iſta ſint vera: quoniam peccatum mortale eſt contra præceptum: at peccatum veniale eſt præter præceptum: vt dicunt Theologi. Si ergo lex præcipit, & qui legi opponitur, proculdubio erit ille contra præceptum, & ex conſequenti contra Caritatem. Inſuper, in Clementina, Exiui de Paradiſo, relata a Caietano loco adducto ſuperius ſecunda ſec. Summus Pontifex declarat, quod, vbi Beatus ille vir Sanctus Franciſcus in Regula fratribus ſuis, venerandi, ac ſemper laudati illius ordinis ſcripta, illa vtitur voce, *Præcipio*, obligat numquam non ſub pœna mortalis peccati, verbo illo *Præcipio*. Vtrique rationi reſpondeo, Caet. Duce, ac magiſtro in Summula, in verbo Præceptum. Et primæ dico, maiorem illam habere hunc ſenſum. Peccatum mortale, eſt contra præceptum, ideſt contra finem præcepti, qui finis eſt Caritas. finis præcepti, & legis, eſt Caritas, vt dixit Apoſtolus. Hoc ſenſu maiore intellecta, minor erit nullius momenti. Veniale peccatum non eſt contra Caritatem, ſed cum ea etiam reperitur. at peccatum mortale eſt contra Caritatem, quoniam illam deſtruit. Secundæ reſpondetur, quod, cum hoc nomen *Præceptum* ſit quodam commune; ſi per Antonomaſiam accipiatur, ſignificat præceptum obligans ad peccatum mortale, non autem late ſumptum, atque ſimpliciter. His itaque firma ſint, quæ ſupra adduximus, de verbis legum loquentes. Præter ea, dicamus, quod, quibuſcumque verbis lex promulgata ſit, & ſcripta, vbi approbata conſuetudo eã interpretatur, eo modo obligat, quo conſuetudo intelligit obligare. Si ad peccatũ veniale, ad veniale; ſi ad mortale, ad mortale deuincit. Et ſi recipiatur ad nullum ad nullũ obligabit. Concluſio hæc fuit Auguſtini epiſtola 86. ad Caſulanum. Patris Hieronymi epiſtola ad Lucinum. diſtin. 11. cap. Intus. diſtin. 12. cap. in illa. Beatus quoque Thomas p. 2. q. 97. ar. 3. demonſtrat, conſuetudinem habere vim interpretandi, ſtatuendi, & abolendi leges. Dicamus inſuper, quod, vbi lex humana Principis ſæcularis verſatur circa materiam, quę legem Diuinam, aut æternam habet præcedentem, proculdubio obligat ad mortale peccatum. Ad exactam huius diſputationis determinationem quęret aliquis, duo adhuc diluc idanda: quorum alterum eſt. An, cum a Principe irrogatur pœna aliqua lege ab ipſo condita, illa lege obliget ſubditos ad peccatum mortale. Secundum, An Principum leges obligent cum diſcrimine vitæ. Primum accipio, quod maioris eſt difficultatis, & maiorem ingerit nobis laborem. Duas adinuenio

ſenio in hac materia oppoſitas, ac ex diametro aduerſas opiniones, Martini doctoris Nauarri, & cuiuſdam alterius doctiſſimi Patris, admodum reuerendi, excultiſſimiq. Theologi. Vnam, & alteram referam libenter. Nauarrus in ſuo Manuali, in quæſtione huic materiæ dicata, fuit huius ſententiæ, donec a Sede Apoſtolica aliter fuerit determinatum, ac declaratum. Leges ſæculares quæ pœnam continent, ad peccatum mortale minime obligare. Id vero pluribus, nec forte ingratis medijs contendit probare. Primo arguit: Lex pœnalis ſemper eſt interpretanda mitiori ſenſu, ac interpretatione. cap. in Pœnis, de Reg. iuris lib. 6. & l. ſi Præſes, & l. interpretatione ff. de pœn. Præterea, qui de duobus propoſitis alterum affirmat, alterũ negare videtur. l. cum Prætor, ff. de Iud. & c. Nonne, de Præſumpt. Si ergo legislator poteſt obligare ad pœnam æternam, ac temporalem; obligando ad temporalem, non obligabit ad æternam. Axioma eſt apud Iuris peritos. Incluſionem vnius, eſſe alterius excluſionem. Porro, ſi eſt in legislatore, obligare ſubiectos, temporali, ac æternæ pœnæ; profecto, illam infligendo, hanc omnino excludit, vt dixit Matthæus Matthes. vir doctiſſimus notab. 78. Præter hæc, antiqua conſuetudo ita videtur interpretata (de ſæcularibus legibus loquimur, nam de Pontificijs, alius eſt ſermo inquit Nauarrus, & recte. in Summo Pontifice habente claues, non eſt dnbium, quod non ſit facultas obligandi ad peccatum mortale. hoc eſt veriſſimum, & apertiſſimum.) nam de transgreſſione talium legum non conſueuit fieri ſcrupulum conſcientiæ, neque doctis, neque indoctis, neque pœnitentibus, neque Confeſſarijs, neque alijs cuiuſuis condicionis, ordinis, vel ſexus hominum, niſi cum per eas etiam lex Diuina, Naturalis, Reuelata, aut Canonica infringeretur. Gentiles inſuper legum latores de pœna æterna nil curarunt: & pauciſſimi Chriſtiani leges ferentes reperirentur, qui aſſererent, dum pœnas imponunt temporales, illorum fuiſſe intentionem, ſubditos quoque ad æternam obligare, ad quam Diuina, vel Naturalis non obligat. Adducit in ſui patrocinium quinetiam Doctorum ſententiam. Venerabilis Pater Alfonſus de Caſtro, de legibus agẽs, prolixiori ſermone demonſtrat, legem pure pœnalem, hoc eſt legem, quæ conſtituit pœnam abſque aliqua prohibitione, ad aliquam non obligare culpam æternam quatenus eſt talis: vt dixerunt Henr. & Angelus in Summa in verbo Inobedientia. Hinc numero ſeptimo ſupra quinquageſimum infert, quod, etiam ſi leges contineant pœnam amiſſionis magnorum bonorum, & etiam famæ, & alicuius membri, immo etiam vitæ, in ijs quinetiam idem iudicium eſt ferendum. Dicet forte aliquis, eum, qui periculum magnæ iacturæ ſubit, aut famæ, mortaliter peccare.

Cap. 23. *Lib. 1. c. 9.* *Quolib. 3. q. 22. §. 1.*

Inſuper, obijcere ſe periculo probabili amiſſionis membri, aut vitæ ſaltem eſſe peccatum mortale. Poſtremo, legem eſſe iniuſtam tales pœnas imponentem, niſi eſſet actus, qui non exiſteret mortale peccatum. Reſpondet Doctor iſte omnibus his obiectionibus. Primæ, negando eſſe peccatum mortale, ſubire periculum magnæ iacturæ bonorum, aut famæ; vbi non adeſt alia circunſtantia, quæ mortale efficiat: idq. probatum fuiſſe ab illo in rep. c. inter verba. Secūdæ vero, præaccepta diſtinctione, ſic occurrit. Aliud eſt, dicere, aliquem peccare, eo quod temere ſe tali periculo obijcit: id enim eſt quartum Decalogi violare: aliud eſt dicere eum peccare, eo quod facit contra legem, quæ talem pœnam ſtatuit. Siquidem tanta cautione poteſt hanc legem violare, vt non incurrat probabile periculum pœnæ ab ea conſtitutæ. Tertiæ inſtantiæ ſatisfacit, negando, inde ſequi, quod talis lex iniuſta eſſet. Quoniam ad legis iuſtitiam ſatis eſt, vt præſumatur mortalis in foro exteriori, licet tale non ſit in interiori. Et, quia non eſſet iniuſta lex, in qua eius lator exprimeret, ſe nolle, vt illa ſui transgreſſorem ad mortale, ſine cōtemptu eiuſdem, ac ſcandalo obliget: Sed velle, vt qui ſine cauſſa iuſta eam tranſgredietur, præſumatur per contemptum id facere, & ob id pœnam illam incurrere per dicta S. Thomæ, & Caietani 2.2.q.186.ar.9. Concludit tandem numero quinquageſimo octauo his verbis: *Et credimus, quod conſuetudo communis, non ſolum plebeiorum, & indoctorum, ſed etiam nobilium, & doctorum, habet, non reputari peccata mortalia in foro interiori, tranſgreſſiones legum pure humanarum aliquam pœnam temporariam continentiam, in foro exteriori, niſi ſint tales, quæ præſupponant peccatum mortale, vel tranſgreſſiones aliarum legum Diuinarum, Naturalium, aut Supernaturalium.* Hæc Doctor Nauarrus. E regione, alia eſt opinio, aſſerens, quotieſcūque legislator omnem pœnam ſtatuit, quam ponere poteſt, aut verba ſuprema: talem legem obligare ad peccatum mortale. Quando legislator ciuilis pœnam capitalem ſtatuit delinquentibus, & Pater pœnam ponit in paternis legibus amiſſionis hereditatis. Huius rei fundamentum, ac ratio ea eſt, quoniam legislatoris mens eſt, obligare ſubditos ſupremo modo, quo poteſt: at ſupremo modo obligare illos, eſt ad peccatum mortale: igitur lex ſæcularis pœnalis obligabit ad peccatum mortale. Addens, quod, ſi rationes aduerſæ partis concluderent, nimirum, quando legislator duas poteſt ſtatuere pœnas, vnam ponendo, & includendo, aliam excludit; pœnaliſq. lex ſemper mitiori intelligentia, & ſecundum minorem pœnam eſt accipienda: ſequeretur, legem ciuilem nec ad veniale peccatum obligare. Ad hæc, leges Eccleſiaſticæ præcipientes aliquid ſub pœna temporali, numquam obligarent ad peccatum mortale:

hoc

hoc autem Nauarrus negauit. Vt vero propriam explicet ſententiam, nonnulla præmittit, deinde concluſiones ponit, illaſq. roborat, & rationi nunc adductæ Nauarri ſatisfacit. Obſeruat, diſcrimen eſſe inter poteſtatem Eccleſiaſticam, & Sæcularem. Poteſtas Eccleſiaſtica habet claues (vt ſupra tetigimus) ligandi, ſoluendi, à Deo Optimo, & Maximo conceſſas: at Poteſtas ſæcularis his clauibus caret. Ex ijs ſequitur, poteſtatem Eccleſiaſticam ſæpe in ſuis legibus vti, quibus formaliter ſignificat, ſe velle obligare ad peccatũ mortale. In legibus Pontificijs ſæpe leguntur talia verba: *Sub indignatione Omnipotentis Dei: Sub pœna excommunicationis ferendæ, vel latæ: Sub interminatione Diuini furoris & Iudicij*. Talia verba manifeſte denotant, leges illas obligare ad peccatum mortale, quod meretur indignationem Dei, & Excommunicationem, furoremq. Diuinæ vltionis. Poteſtas vero Sæcularis hiſce verbis numquam vtitur, quibus formaliter ſignificetur obligatio ad peccatum mortale: & iccirco numquam (per ſe loquendo) profert talia verba, dum leges conſtituit; nimirũ, Sub indignatione omnipotentis Dei. His ita con ſtitutis, ait: Quotieſcumque lex aliud ſtatuit ſub pœna, quæ non cõſueuit infligi, niſi pro grauibus delictis mortalibus, obligat ad peccatum mortale. Vt, cum in legibus Eccleſiaſticis imponitur pœna degradationis, priuationiſq. Eccleſiaſticæ ſepulturæ, Et in ciuilibus, cũ apponitur pœna perpetui exilij, aut perpetuæ infamiæ in ſe, aut in poſteritate, aut confiſcationis bonorũ omniũ. Leges autẽ, quæ præcipiunt ſub pœna irregularitatis, aut ſuſpenſionis, ſi de ſacris loquamur, aut ſub pœna amiſſionis armorum, cũ iubent, ne arma ferãtur, ac ſimilibus pœnis, non obligant ad mortale peccatũ. Ad hæc, leges, quę ſtatuerent aliquid pertinens ad Iuſtitiã, communiter loquendo, obligant ad peccatũ mortale. Quemadmodũ lex, ſtatuens iuſtũ pretiũ alicuius rei: non enim poteſt venditor carius vendere, & ſi id fecerit, peccatũ mortale cõmittit. Inſuper, leges præcipiẽtes, vt ſoluantur iuſta vectigalia. Ratio omniũ horũ eſt, quoniã, qui contrà has leges faciunt, iniuſtitiam committunt, quæ ex ſuo genere peccatum eſt mortale. Rationibus autẽ a Nauarro adductis ſatisfacit. Reſpondit primæ, negãdo illã ſequelã; quia legislator non exprimit, igitur nõ obligat. Quoniã, ſi vera eſſet hæc illatio, aliquãdo ad nullã culpã etiã obligaret. Quod ſi quis dixerit vna cũ Propheta, bis nõ cõſurgere tribulationẽ. Reſpõdet oraculũ Propheticũ, hoc ſẽſu eſſe accipiendũ. Quando, ſcilicet, quis plene ſatisfecit pro peccato. Data nãq. vna ſatisfactione pro peccato apud Deũ, nõ iterum punit Deus peccatũ; At, quãdo quis perfecte nõ ſatisfecit per pœnã in hoc mũdo alia remanet pœna in futuro: iuxta illud Prophetæ. *Et duplici cõtritione cõtere eos*. Et, ſi quis dixerit, neceſſe eſſe, a legislatore, vt lex pœnalis fe

ratur,

tur, & obliget; reſpondet, ijs quæ dicta ſunt, manifeſtum eſſe, quod non ſit hoc neceſſarium. Sufficit, quod pro graui referatur lex. Quomodo autem, cum vtitur verbis præceptorijs, ſeu imperatiuis, obliget, vel non obliget, oſtenſum fuit a nobis. Hæc fuit huius Doctoris ſententia. Quæ quomodo inconcuſſis vtatur fundamentis; an ve oppugnet Nauarri, Caſtrenſis ac aliorum ſententiam, aliorum ſit iudicium. Sufficiant ſententiæ adductæ: ſatis ſit quod diximus. Ad ſecundum me conuerto. quod paucis abſoluo. Diſtinguo malum lege vetitum in duas ſpecies. Eſt malum, quod ſui natura eſt tale. vti furtum, adulterium, homicidium, ac huiuſmodi alia mala. Eſt etiã malum, quod ideo eſt malum, quoniam lege eſt vetitum. Sic duplex eſt prohibens. Si loquamur de lege prohibente malum, primo modo acceptum; vtique dicendum erit, quod obliget, cum diſcrimine vitæ. Satius enim eſt, vitam perdere, quam, mala huiuſmodi perpetrare. At, ſi loquamur de legibus reſpicientibus malum ſecundo modo acceptum, dicendum erit, quod lex illa prohibens tale malum, non obliget cum diſcrimine vitæ. Leges huiuſmodi ſemper benigne, & mite a doctoribus interpretantur. Rem hanc Adrianus late proſequitur in 4.q.3.de Clauibus. Hæc autem caſte ſunt intelligenda nimirum, ſi periculum illud non immineat, neque incutiatur in contemptum Religionis noſtræ, aut Fidei. quæ legibus Eccleſiaſticis ſunt adaptanda. Quod ſi loquamur de ciuilibus legibus, Caiet. idem

q.69.ar.4 eſſe dicendum aſſeuerat. Quam concluſionem his confirmat rationibus. Primo arguit: Quilibet homo non tantum ſecundum id, quod habet, ſed hoc ipſum, quod eſt multitudinis, ſicut quædam pars exiſtit totius: igitur lex humana, ſicut quælibet alia lex, reſpicit commune bonum, poteſtatem habet ſupra id, quod eſt quilibet homo, ac per hoc ſuper vitam ipſius, & per hoc poteſt diſponere, & ordinare de expoſitione vitæ cuiuſque, pro communi bono, pro quo ſit omnis lex. Quæ ratio fuit ſancti Thomæ in eodem loco. Adhæc, Lex humana obligat ad mortale peccatum: quandoquidẽ multæ ſunt Principum leges capitales. Igitur eſt conſtitutiua alicuius actus in hoc, quod ſit peccatum mortale. igitur ad ſui obſeruationem obligat ad mortem. Conſequentia eſt manifeſta: Quoniam anima eſt pretioſior corpore, longeq. præſtantior. Adeo, vt æque ſit dicere, Humana lex non obligat ad peccatum mortale, & non obligat ad vitã

De ijs.q.vi. me.ca.ſi. pro ſui obſeruatione. Confirmat hæc teſtimonio Innocentij iij. loquentis de excommunicatione; qui ait. Metum ab excommunicatione non excuſare, quoniam potius debet mori homo, quam peccare mortaliter. Quæ opinio arriſit Soto. Licet doctor iſte moderaminis illam iudicarit indigentem, vt re vera exiſtit. Non eſt idem (dicit Sotus) obligare ad vitam, & obligare ad mortale, vt in legibus

bus Eccleſiaſticis eſt conſpicuum. Late igitur nimis locutus eſt Caietanus. Auctoritas vero Innocentij adducta, ab omnibus communi ſententia interpretatur, de excommunicationibus in ſacris, & de ſcandalo. Lex illa eſt in materia iuris poſitiui, ſcilicet de incurſu in excommunicationem, eo quod cum excommunicato quis participauerit. Ad rem igitur redeundo, dicamus. Legem Principis poſſe obligare cum periculo vitæ, vt ſupra fuit dictum. Verum, quoniam ad initium argumenta quædam ſunt allata, quibus probabatur, leges humanas Principum ſæcularium, nullo modo obligare ad peccatum mortale, illis nunc eſt ſatisfaciendum alterius ſcholæ argumentis intactis relictis, quæ noſtræ fauent opinioni. Primum argumentum illud erat, Obligare ad culpam, cum animas vulneret, videtur eſſe Spiritualis Poteſtatis: at Princeps ſæcularis caret poteſtate hac ſpirituali: igitur non poterit obligare ad peccatum, ad culpãq. mortalem. Reſpondetur huic rationi, non tantum eſſe ſpiritualis poteſtatis, verum etiam ſæcularis, quatenus ea tractat, quæ ſunt ſecundum æternam legem, & Naturæ, & verſatur circa ea, quæ reſpiciunt mala, quæ de ſuo genere ſunt mala, ac publicum bonum eo modo, quem ſupra diximus. Adde; quod, ſi vſum reſpiciamus quo lex interpretatur, poterit quinetiã poteſtatẽ hanc obligare ad mortale. Erat ſecunda ratio. Peccata nõ poteſt remittere. igitur non poteſt obligare ad peccatum. Neganda eſt hæc conſequentia. Non eſt eadem ratio de peccato remittendo, & pœna irroganda. Conuerſa erit vera: conuertens vero falſa. Addatur, quod Princeps, vt inſtrumentum Dei, poteſt tali nexu legum ſubiectos ligare. Erat altera ratio. Finis proximus ciuilis poteſtatis, eſt temporalis Reipub. ſtatus. igitur ciuilis poteſtas non obligabit pœna mortalis peccati. Negatur conſequentia. nec facile eſt admittendum antecedens. Etenim, licet finis proximus Principis ſæcularis, ſit temporaneus Reipublicæ ſtatus; inde tamen non ſequitur, quin leges condendo Princeps, ad inſtar, & imaginem æternæ legis, non poſſit nexu arctiſſimo ſubditos obligare. Vt quietus ſit Reipublicæ ſtatus, vt ue populis felicitate fruantur, multa ſunt, quæ requirunt ordinem reſpondentem primo ordini in mente diuina exiſtenti. Et ſæpe legiſlator verſatur circa materiam grauem, habentem annexam huiuſmodi obligationem. Ad vltimum reſpondendo, dicimus, antecedens eſſe falſum. Quod enim non poteſt punire poteſt tamen ligare: quia lex prouenit a Principis poteſtate, tamquam a principio, determinante Dei optimi & Maximi determinationem. Cui laus ſemper, & Gloria.

An Princeps proprijs legibus ſit ſubiectus.

Caput XII.

Virtute legis,& qualitate inſpecta erga ſubditos,a qua notitia quanta etiam ſit poteſtas Principis quantum ve ius Principatus in populos ſanctionum & et decretorū promulgatione fuit exploratum: nunc in quæſtionem reuocabit aliquis. Num ius iſtud leges condendi, in eoſdem Principes proprias vires poſſit exercere. Et alijs verbis quæri ſolet: An lex lata ſit tanti ambitus, vt non tantum ſubditos, verum & legiſlatores Principes, ſibi ipſi ſubijciat. Et certe, ſi quis pro conſtanti habeat, legem obligare in foro conſcientiæ is concludet, affirmando, Principem propriæ legi ſubiectum eſſe. Ad hæc, Iſidorus, cuius verba referuntur, c. iuſtum, dixit, Principem ſecundum legem ab eo latam viuere, cum iuſtitia conuenire. Hæc ſunt eius verba: *Iuſtum eſt, Principem legibus obtemperare ſuis. tunc enim iura ſua ab omnibus cuſtodienda exiſtimet, quando & ipſe illis reuerentiam præbet*. Et Innocentius, huius nominis Tertius, Chriſti Vicarius, legem ferendo, dixit, illum debere eo iure vti quod in alios ſtatuit, præceptorem morum non indiligentem ſecutus, qui dixit, *Patere legem quam tu ipſe tuleris*. Hæc ſunt huius magni Patris verba: *Cum igitur, quod quiſque iuris in alterum ſtatuit, & Sapientis dicat auctoritas, Patere legem, quam tu ipſe tuleris, & c. de conſtitu.& legib. lib. 4.Imperatores ipſi aiunt. digna vox eſt maieſtatis regnantis, legibus alligatum Principem ſe profiteri*. Confirmare poſſumus hæc, verbis Saluatoris, dicentis, redarguendo illos, qui leges promulgant, & illis ſubiecti eſſe nolunt: *Imponunt onera grauia, & ipſi nec digito volunt ea mouere. dicunt, & non faciunt*. E regione, non deſunt teſtimonia affirmantia, Principem legibus eſſe ſolutum. Dauid Rex, proprij delicti ſe ipſum accuſando, dixit: *Tibi ſoli peccaui*, Deū cum alloqueretur. Quæ verba perpendens Gloſſa, hæc habet. *Rex hominem non habet, qui ſua facta iudicet*. Prouer. Auctor, hæc & ipſe ſcripſit: *Sicut diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini*. Quorum verborum ſenſus proprius eſt ille: Quod, quemadmodum ſubiectorum corda ſunt in manu Domini, mediantibus legibus Principum, quibus reguntur; ita Principum corda ſunt in manu Domini immediate. Atque, vti magnum ipſe ſolus poteſt vertere flumē, huc & illuc; ita Regem populis imperantem in hanc, & illam flectere

Diſtin. 9.

De Conſti. c. cum omnes.

Matth. 23.

Pſal. 50.

Cap. 21.

ctere partem. Ad hæc, Si eius eſt tollere, cuius & condere, & videmus vſu contingere, quod Principes a propria lege nonnullos eximant, ob id multo magis ipſi erunt immunes, ac liberi. Inſuper, Lex duo in ſe continet, duoq. in illa intelligimus: regulam actionum, & vim, qua cogit homines ad obediendum. At nec primo, nec ſecundo modo poteſt Principem adſtringere, vt ei ſubiaceat: ſiquidem, vt dirigit, ac præcipit, id obtinet a Principis voluntate, vim a poteſtate: qua poteſtate ablata, lex, non eſt lex, niſi æquiuoce dicta, vt Ariſtotelis, & Platonis leges appellare conſueuimus. at nullus propria auctoritate deuincitur voluntateq. liberi ſumus. Præterea; quænam eſt cauſſa, ob quam Princeps debeat legi ſubiacere. Aut enim eſt eiuſdemmet voluntas, aut multitudo, aut Deus. Non eſt voluntas Principis. Quoniam, populis præcipiendo hæc, propriam non amittit libertatem, aut conditione, aut uoto, aut iuramento, alioue nexu: Neque etiam multitudine. Quoniam hæc, cum ſit ſubdita, non poteſt Principem legi obligare, aut cogere. Neque etiam Deus. Siquidem ibi nulla immediata apparet operatio Dei, qua Princeps propriæ legi ſubditus dici queat. Vndique cum ſint rationes, veritas nunc eſt determinanda.

Propoſiti problematis ueritas explicatur. Caput XIII.

PRimæ; & ſecundæ claſſis, quæ ſunt argumenta allata, ſi quæ legis ſunt principia, naturamq. ac eſſentiam illius, aliquis conſiderabit, veritatem continere, affirmabit. Eſt Lex humanarum actionum norma, qua recto ordine homines operantur. A primo autem ordine, in mente Diuina exiſtente, Naturæ ordo, & qui in Principis mente reperitur vim, robur, & eſſe obtinet. Quemadmodum a primo ente communicatum eſt eſſe, alijs clarius alijs autem obſcurius, ita a primo illo ordine; ceteris ordinibus communicatum eſt eſſe: vt ſupra cumulate, ni fallor, fuit demonſtratum. hoc autem ordine noſtros actus, veluti norma, & perpendiculo, menſurando iuſta viuere dicimur. Ceterum quoniam, non tantum Lex, vt diximus, dirigit, & metitur actiones noſtras verum etiam punit. hinc fit, vt duplicem habeat uim; altera quarum obſtringimur in foro conſcientiæ, altera vero qua pœna affligimur legis tranſgreſſo. Has Theologis ſic placuit appellare. Primam, vim directiuam; ſecundam vero, vim coactiuam. His vocibus Sanctus

Thomas eas nominauit pri.ſec.cuius hæc ſunt verba, reſpondens tertio argumento: *Ad tertium, dicendum, quod Princeps dicitur eſſe ſolutus a lege, quantum ad vim coactiuam legis. nullus enim proprie co-*
q.69.ar. 5. *gitur a ſe ipſo: lex autem non habet vim coactiuam, niſi ex Principis poteſtate. Sic igitur Princeps dicitur eſſe ſolutus a lege, quia nullus in ipſum poteſt iudicium condemnationis ferre, ſi contra legem agat. Vnde ſuper illud Pſalmi quinquageſimi, Tibi ſoli peccaui, & c. dicit Gloſſa. Quia Rex non habet hominem, qui ſua facta diiudicet. ſed, quantum ad vim directiuam legis, Princeps ſubditur legi, ſecundum quod dicitur ex. de Conſtitutionibus. c. cum omnes. quod quiſq. eodē vti debet iure eodē quod ipſe ſtatuit. Et ſapientis dicit auctoritas. Patere legem quā tu ipſe tuleris. Improperatur enim is a Domino, qui aliis onera grauia imponit, & ipſe nec digito vult amouere, vt dicitur Matthæi vigeſimo tertio. Vnde, quantum ad Dei iudicium, Princeps non eſt ſolutus a lege, quantum ad vim directiuam eius, ſed debet voluntarius implere legem.* Hunc locum pertractans Illuſtriſſimus Caietanus, ingenioſe (vt hominis eſt mos,) dicta quædam S. Thomæ conciliando, quæ pugnare videntur, inquit. *Cum duplex ſit vis legis, altera, quæ directiua dicitur altera vero coactiua, qua homo hominem puniendo diiudicat: Prima habet in Principe locum; Secunda minime quia ſupra ſe non habet hominem.* Ex ijs omnibus duo colligere poſſumus: quorum alterum eſt, duplicem eſſe (vt dicebamus) legis facultatem. Alteram dirigentem; alteram punientem. Secundum vero ſit: Principem legibus proprijs ſubditum eſſe, ſi vim conſideremus dirigentem; a lege vero immunem eſſe ſi vim punientem aſpiciamus. Legis hæc facultas a Regis poteſtate ortum ducit at, qui puniendus, eſt a maiori eſt coercēdus. Cum autem maior non detur poteſtas, ſi Principem, & populum conſideremus ideo Princeps a vi legis punientis exiſtit immunis. Hac eadem ratione Princeps a Chriſti Vicario emendatur, cum in illo apex, & ſumma vtriuſque dignitatis eminenter reperiatur. Vi autem legis, qua modus imponitur actionibus noſtris, ſubiicitur Princeps, quoniam lex æterna ſupereminet, a qua illa auctoritas, vti a proprio fonte, deriuat. Solutus igitur, & immunis eſt Princeps a vi puniente legis, Subiectus eſt vi dirigenti. Verum, quis mihi forte obiiciet, legem non habere vim dirigendi, niſi a Principis poteſtate, igitur, ratione vis huius, non poterit ligare Principem. Reſpondet Caietanus loco nunc adducto. Quod, licet vis huiuſmodi legis, quæ directiua dicitur, habeat eſſe a poteſtate Principis, ab illaq. dependeat, nihilominus operatio huius directiuæ non tantum dependet a Principes volūtate quam ab æterna lege. Perinde, ac ſi dixiſſet, quod, licet a voluntate, Principis lex pendeat, cum in eius facultate ſit condere legem; nihilominus, quoniam, vbi lata eſt, populiſq. promul-

promulgata, quia eſt æternæ legis imago, ab illaue vim habet obligandi, ideo Principem quoque ſui ambitu complectitur, ſibiq. ſubijcit. Quæ doctrina proprijs limitationibus eſt caſtiganda; nimirum, tunc Principem legi ſubijci, vbi lex communes reſpicit actus, non autem quorundam dumtaxat. Verbi gratia, ſi feratur lex, & populorum reſpiciat actus, ipſe quoque ſubditur legi. At, ſi ad milites attineat, ei non erit ſubiectus, niſi forte & ipſe miles erit. Adde, & ſit ſecunda limitatio, quod proportio ſeruetur, vti Principi conuenit. Iniuſtum eſt, vt eadem menſura menſuret Principem, & ſubditum lex. *Nil æqualitate inæqualius*, vt ſcripſit Plinius. Seruandus eſt modus, vt ſubdatur legi Princeps. Hæc cum ita ſe habeant, veritatiq. ſint conſentanea, vera quoque erunt, quæ a nobis initio diſputationis huius ſunt dicta; ſcilicet, ordinis vtriuſque argumenta, ſoliditatis, & veritatis propriam habere partem. Quæ enim perſuadent Principem legi non eſſe ſubiectum, vera ſunt, ſi vim legis accipiamus, quæ punit reos, & pœnis corrigit transgreſſores. Quæ vero demonſtrāt, a vi legis non eſſe immunem, illo ſenſu vera ſunt, ſi vim ſpectemus legis, quæ noſtros moderatur actus. Verum, ne videar conniuere, aut laborem ſubterfugere, vna ſupereſt ex illis ratio, quæ in lectorum mētibus ſcrupulum parere poteſt, ac partum mutrire, & alere. Si enim, vt dictum eſt, poteſt Princeps alios eximere a lege; qui, obſecro, fieri poterit, vt etiam ſe ipſum nequeat ab ea ſoluere. Et, ſi eius eſt tollere, cuius & condere, Princeps, proprio iure vtens, poterit & & legem tollere, & vim eius abolere. Huic dubitationi, quæ diu torſit ſcriptores, a nonnullis ita ſatisfieri ſolet: Principem ſubijci humanæ legi abſolute, vt vim obtinet legis; at non ſubdi legi, vbi eius excipitur perſona. Atque, ſicut, anteaquam legem conderet, poterat excipere Principem, ita poſt legem conditam, poteſt & ſe, & ſubiectum facere immunem. Quare, ſi aufert a ſe legem, illi non ſubditur. Si aufert, inquā, ab illa ſe ipſum, eximit ſe ipſum. Doctrina hæc numquam mihi arriſit. Quia, ſi poteſt ſe abſoluere, & liberare a legis obligatione, vis ergo legis nō obſtringet Principem, quo ad Deū. Argumenta quinetiam adducta non erunt deſtructa, nimirum, Patere legem, quam tu ipſe tuleris. Imponunt onera grauia, & importabilia, quæ ipſi nec digito volunt ea mouere. Ad hæc, Si lex condita, ab æterna robur habet obligandi, qui nam fieri, obſecro, poteſt vt ſe ipſum eximere valeat? Alij duplicem Legis ſtatum conſtituunt: vel, cum lex eſt abrogata; vel, cum omnino non eſt ſublata. Si accipiatur lex ſecundo modo, certe Principem conſtrigit obligatione ad ſui obſeruationem. At, ſi tollatur omnino, non obligabit. Ideo dicunt, quod, cum deſiderat ſe ab ea eximere, ab eo omnino eſt lex tollenda. Qui dicendi modus non caret reprehenſione. Com-

munis eſt opinio, & vſus frequenter nos docet, Principes, aliquos, gratia, & beneficijs honeſtando, a legibus proprijs abſoluere. quod ſi hos immunes faciunt, multo ſane magis ſe ipſos liberare ab huiuſmodi nexu poterunt. Idq. tanto magis, quanto quod deterioris non ſunt condicioris. Aliter mihi occurrit dicendum, & reſponſio ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt, colligitur. Ex Principe & populo vnum conſtituitur corpus, cuius caput eſt Princeps, ciuis vero membra, & partes. Hæ in publicum bonum debent conſpirare, operationes ve dirigere. Lex autem, norma, & perpendiculum exiſtit, quo humanæ operationes fiunt recte. Ex ijs prouenit illud, quod, cum Princeps aut ſe, aut alium eximit a lege, licet reus non ſit præceptis legis latæ, eſt tamen reus legis naturalis qua pars toti ſimilis eſſe debet. Hactenus igitur de Legis vi, & Principum poteſtate legibus concluſa. Nunc demum agendum eſt de modo, quo Princeps iure ſuo poſſit vti, quæ ve poteſtati Principis adiuncta ſint. Primo tamen quedam ad iuris Principatus attinentia obſeruantes, quæ ex dictis conſentanee prodeunt.

LIBER OCTAVVS

De condicionibus quæ poteſtati iuriq. Principatus, conueniunt.

Caput I.

PEricles, vir magnis geſtis clarus, a Scriptoribus commendatus, cum ad Rempublicã accedere animo deliberaſſet, corporis motus, ne dum animi cogitationes ab illo immutatas fuiſſe, refert Plutarchus. Dedit operam, ſtudioſeq. curauit vt gradu compoſito incederet; ſermone blando vteretur; vultum præferret adductum; manum intra pallium contineret; vna, ac eadem via ad forum, & curiam proficiſceretur; Veneri, prandiorumq. apparatibus ſalutem dixit; ſtatutis horis ſe populo videndum præbebat, ne nimia ſui copia illum afficeret tædio. Cum vero in puppi ſederet, clauumq. teneret, quoties chlamydem ſumebat, his verbis ſeipſum alloquebatur: *Aduerte, Pericle, animum liberis imperas. Græcis imperas. Athenienſibus imperas*. Nouerat ille, quid hominis politici interſit. Quod eius ſit officium, ac partes, ſumma vigilantia, prudentia, ac diligentia, Reſpublicas eſſe tractandas; iccirco ad

co ad eas minime eſſe accedendum, quaſi otij fallendi gratia, veluti ijs contingit, quibus cum nihil ſit boni domi, ad forum frequenter ſe conferunt, in eoq. verſantur, licet nullum ſit eis ibi negotium tractandum. Nouerat, eum, qui ceteris imperat, in eminentiſſima ſede eſſe locatum, & grauem ſuſtinere perſonam, ac in illum, tamquã in ſpeculum, ab omnibus ora, & oculos intendi, vt vita componatur, ac, quid eis deſit, fiat exploratum. Quare, vti imperij cura negligens, ei non conuenit Imperium; ita neceſſe eſt, vt moribus adeo ſit conſtus, ne macula, quantumuis minima, candorem puritatis, ac probitatis eius poſſit denigrare. Illius quippe nõ tantum publica geſta, & dicta, verum prandium, cena, actio, quantulacumque ſit, & quæuis exiſtat, ſiue ſeria, ſiue iocoſa diligentiſſime obſeruatur, ratioq. illius expoſcitur. Atque, ſicut in facie lentigo, atque veruca minutiſſima magis odioſa exiſtit, & oculis aſpicientium ingratior, quam magna cicatrix, ac deformitas in alia corporis parte; ita profecto exigua, minimaq. Principum errata maiora videntur, magis ve lædunt intuentium animos, quam maxima abiectorum, infimorumq. peccata. Illi ſiquidem, cum alios regant, & actionibus humanis modum imponant legibus, æquum eſt, vt omni culpa, & vitio careant, ne regula, quæ ſui rectitudine, humanos actus debet metiri, obliquitate, & tortuoſitate, illorum euadat menſura. Scipioni Romano quidnam incongruum, quid ve incompoſitum, a populo obijci poterat? Nihil certe. Attamen populus Romanus ſomnum illius inſectabatur, & illud tamquam probrum, & vitium in tanto viro culpabile prædicabat. Pompeium Magnum vituperabat, quod digito (hoc ab inimicis eius fuerat obſeruatum) caput ſcalperet. Alcibiadi, in Republica Athenienſi Duci inuictiſſimo, fructus, quos ex laboribus, geſtiſue ſuis capere debebat, luxus abſtulit. Summopere cauendũ eſt, ne aliquo crimine ſit damnabilis. Vigilandum eſt ei, vt vna, & altera vita ſit illuſtris. vt ſanguine & officio, omnibus præcellat. Tres ſunt viuendi rationes: quarum vna Actiua, altera Contemplatiua, tertia Voluptuoſa dicitur. Poſtrema hæc, diſſoluta, voluptatũ ancilla, brutaliſq. hominibus incongrua, omnino eſt fugienda. Contemplatiua, & Actiua, amanda, & amplectenda. Hæ hominibus ſummopere conueniunt, non diſſiunctim, ac ſeorſum; ſed coniunctim. Quemadmodum in pugna læua tuemur corpus, dextera inimicum ferimus, & pellimus; ita in hominis vita, ac præcipue in Principe, actio, & ſcientia eſt neceſſaria; vt, perfectus exiſtens, perfecte cognoſcere, & operari valeat. Hoc docuit & Plutarchus, qui de liberis

De lib. in. inſtituendis ſic loquitur: *Eſt itaque pro viribus, vt, quantum permittut tempora, & Rempublicam capeſſas, & Philoſophiæ te dedas*. Ita Architas Tarentinus, ita Dion Syracuſius, ſic Thebanus Epaminondas.

Periches

Pericles operam dedit Zenoni Eleati in arte illa dicendi, & arguendi; & Anaxagoræ Clazomenio in Philoſophia diſcenda. qui Anaxagoras tunc dicebatur MENS. Aut excellenti, ſingulariq. ingenio & prudentia in contemplando, in naturaq. rerum cognoſcenda. Aut, quia rerum principia non in neceſsitatem, aut Fortunam; ſed in mentem ſecretam, puram ab omni miſtione, miſtis tribuens particulas quaſdam æquales, vt inquit Plutarchus: demum ad Rempublicam adminiſtrandam ſe contulit. Cleomenes, Sphæri illius Boriſthenitis, primus qui fuit inter diſcipulos Zenonis Citiei adoleſcens, in Philoſophia fuit diſcipulus. Magnus Alexander, Ariſtotelis fuit auditor. Qui, cum in lucem eſſet editus, Philippum patrem lætitia quidem affecit. at non tantum ortus eius, ſed quod temporibus eſſet natus, quibus viuebat Ariſtoteles, a quo docendus erat Alexander, gaudium ingens Regi patri attulit. Alcibiades, Socratem habuit præceptorem. Antigonus, Macedoniæ Rex, non ignarus, quantum adiumenti doctrina poſſet afferre regimini, fama Zenonis permotus, ſedulo litteris, nuncijs, & pollicitationibus curauit, vt ad ſe veniret, ibiq. maneret. Pyrrhus, ſtrenuus Epirotorum Rex, qui, bella cum Romanis gerens, numquam inglorius, non tantum ſtudijs ſcientiarum ſe dedit, verum libros compoſuit. Iulius Cæſar, primus Imperator, nulli ſecundus in militia, pari animi ardore, armis, & ſcientijs fuit intentus. Vnus, & alter Cato, quantum in ſciẽtijs claruerint, omnibus eſt exploratum. Maioris, qui Cenſorinus eſt appellatus, ſcripta, doctrinam teſtantur. Alter vero, Antipatris philoſophi extitit diſcipulus. Dionyſius, Siciliæ tyrannus, Platonis fuit auditor. Octauianus Auguſtus, horas peculiares ſtudio dicauit. Mithridates, in bello, quod geſſit contra Romanos, annis quadraginta philoſophorum, & doctorum copiam ſecum ſemper habuit. Quincti Fabij Maximi, M. Bruti, Traiani, Hadriani, Marci Antonini doctrinam, & eloquentiam quis non nouit? Titus Veſpaſianus litterarum ſtudijs inſtantiſſime deditus fuit. Quare, ſi antiquorum monumentis, ſi illorum geſtis fides eſt adhibenda, Principis ius cum ſcientia coniunctum erit. Iam vero cum contemplatrix, ab actiua ſeparata arida ſit, actiua vero ſine ſpeculatrice, ſit impolita, atque cæcutiens, hæc & illa Principi debet ineſſe, cum rerum tractet habenas, legibus corrigat mores, & humanos actus norma, ac regula moderetur. His addebat Plutarchus eloquentiam, artemq. dicendi. Cum cordium noſtrorum arces id habeant a natura, quod inexpugnabiles minime exiſtunt, nec monſtruoſis machinis ſunt expugnãdæ, ſed oratione vincuntur, & arte dicendi ſuperantur, capiuntur, euertuntur. Antiquiores, veritatem, & arcana fabulis inuoluentes, ſcite, & ingenioſe admodum, voce humana, & verbis ciuitates fuiſſe ædifica-

ſe ædificatas, bruta manſueuiſſe, cecinerunt. Nos ijs docentes etiá efferatos animos oratione mites fuiſſe factos. Sapientia, cum nouerit, quibus remedijs ſint partes infirmæ curandæ, legibus & moribus vitas aliorum inſtruet, atque præpoliet; oratione, vbi erit opus, & occaſio expoſtulabit, vinculis amoris, & gratiæ magis, quam timore animos ſibi ſubijciet. Atque, quemadmodum, vt nunc diximus, actiua ſine ſpeculatiua vita cæcutit; ita dicendi ars, ſine morum probitate, nullum habet robur. Qui moribus eſt deprauatus, & vitijs vitam enutrit; ſi honeſta, & iuſta loquitur, perinde eſt, ac ſi ex vaſe putrido, liquorem pretioſum effluere cernas. Lacedæmone populus reiecit ſententiam, quam Demoſthenes quidam homo libidinoſus, habuerat, & iuſſit Ephori ſorte vni ex ſenioribus ducto, vt eãdem illam diceret orationem, veluti ex vaſe putrido in odorosum transfuſa, ab auditoribus æquo animo, & libenter reciperetur. Adiutrix eſt eloquentia, morũ probitas opifex. Princeps igitur debebit habere mentẽ gubernatricẽ & hortatricẽ eloquentiã, ne vocis alienæ indigens, ei quod legimus de Iphicrate, contingat: qui, cũ Ariſtophontis facundiæ torrente obrueretur, dixit: *Aduerſæ partes biſtrio eſt præſtantior, fabula autem mea longe melior*. Quodue Athenis accidiſſe ſcriptum reperimus, cuidam Architecto. Cum quæreretur ab Athenienſibus, duorum Architectorum quis nam eſſet conducendus, ad opus quoddam publicum conſtruendum. Vnus ex ijs, qui diſertus erat, publice orationem, quam meditatus fuerat, ad populum habuit, qua mirifice auditorum animos permouit. Alter vero, qui arte, quam profitebatur, erat longe præſtantior, in dicendo autem longe inferior, primo in medium progreſſus, propriæ penuriæ haud neſcius, hæc tantum protulit verba: *Athenienſes, Sicut iſte, ſic ego efficiam.* Principem igitur decet eloquentia, qua animos alliciat vtendo poteſtate: mores optimi ei neceſſario conueniunt, vt ad honeſtos actus illos excitet: Sapientia congruit, vt cuncta iuſte moderetur, ac feliciter tractet. Sapientia Principem docebit cultũ Dei, & Religionem, diuinituſq. tributam fuiſſe regendi poteſtatem, & arma tractandi; vt iuſte pugnando, primo Dei honorem tueatur, ac
Pol. 3. c. 11. incrementum ſuſcipiat. Ariſtoteles, vbi de ſpeciebus Regiæ poteſtatis diſſerit, Heroum temporibus Reges dominos fuiſſe cærimoniarũ ad Deum attinentium teſtatur, illis verbis *Regiæ ergo poteſtatis tot ſunt ſpecies, quattuor videlicet. Vna qualis erat temporibus Heroum, volentium ſcilicet. & in quibuſdam determinatis rebus. Dux enim belli & iudex controuerſiarum erat Rex, & dominus cerimoniarum erga Deos.* Cũ enim magna offerre Deo ſacrificia, vt dicebat idem Ariſtoteles, Regium quoddam ſit, ideo miniſterium cultus, quo magis Deus honoraretur, in Principe ſtatuit antiquitas. Verum, hæc miſſa faciendo,

videamus

videamus, quid Dominus, proprio ore ſanctiſſimo, dixerit: De Principe loquens, hæc protulit. *Poſtquam autem ſederit in ſolio Regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomiũ legis huius, in volumine accipiens exemplar a Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetq. illud cunctis omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodiat verba, & cerimonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. Ne eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos: neque declinet in partem dexteram, vel ſiniſtram, vt longo tempore regnet ipſe, & filij eius ſuper Iſrael.* Regni perdurationem a cultu pendere, his verbis docet Dominus. Ab eodem rectam gubernandi viam proficiſci, munuſue Regis eſſe, vt Dei honor in dies ſplendeſcat, maioreſq. ſuſcipiat vires. Ab hoc Dominium prouenire, docuit Diuus Pater Auguſtinus, ad Marcellum ſcribens. Nec huius rei deſunt teſtimonia, qui ſcilicet, cupiditate dominandi excitati Regium Diadema affectarunt, hos Religionis ſpecie aliena innaſiſſe Regna, & dominio potitos fuiſſe. Perſarum, Turcarumq. Regnum id nos docent. Hæc a falſa Religione habuerunt initium. Romani, quorum Monarchiam mundus eſt admiratus, ſumma religione, licet Deos falſos venerarentur, illuſtres extitere. Statim ac Vrbs condita fuit, religio apud eos habuit initium, eoq. progreſſa eſt, vt præcipuam ſemper exiſtimarint ipſi cauſſam, ob quam a Dijs Regnum ipſis elargiretur. Iccirco Deos venerari ſacrificijs paſſim iubebant, templaq. ædificabant. Ab ijs non diſcedens Ariſtoteles, Principem hortabatur ad religionem, ea ductus ratione, quod, tute magis, ſi religioſus eſſet, Regno potiretur, populoſq. ſubiectos regeret. Siquidem populi, quibus eſt religioſus Princeps, ſcientes, Deo caros eſſe amicos ſuos, ſpecialiue protectione ab eodem defendi, haud temere deficient ab illo, qui regnat, & libenter preceptis eius obtemperabunt; ſibimetipſis perſuadentes, a proprio Principe legibus minime anguſtiari aut fraudibus decipi. Ad hæc, ſi poteſtate a Deo tradita regnant Principes religio autem ſit medium vnicum ad Dei gratiam, & auxilium obtinendum, neceſſariam eſſe religionem, vnus quiſque dicet, ſi Regnum debet exordium habere, diuq. perdurare. Collabuntur Regna, vbi deficit religio. Reges deficiunt, vbi hæc non adſit. Salomonis Principatus id nos docet. Floruit elegantia corporis. Nitidus fuit Diuitijs. Populorum numero potens. Sapientia, quam a Deo popoſcerat, admirandus. Amore mulierum alienigenarum captus, ad idola colenda aditum patefecit. Ob id, Regnum in partes diuiſum eſt. Ob id, magnæ opes, Regniq. robur tenue factum eſt. Quod cultus Dei attulit, id idolum abſtulit. Quod religione datum fuit Domui Dauid, id religionis contemptu fuit negatum. Sacræ hiſtoriæ, profanæq. ſimilibus paſſim ſunt refertæ monumentis. Mors

Iuliani Apoſtatæ; Dionyſij expulſio; miſerrimus Pompeij interitus; infelix rerum euentus Hannibalis; contemptui Dei a ſcriptoribus attribuitur, veritate id docente Meminerit Princeps Dei cultũ extollat religionem; pugnet pro Dei honore; & Regnum augebitur, ſolium Regium extolletur; victor, & triumphator ſemper erit. poteſtas itaque ſit adiuncta prudentiæ, eloquentiæ, ſapientiæ, præcipue autem Diuino cultui. An vero ſeueritati, an benignitati, debeat adiungi. an ve populi, an diuitum gratiam Princeps ſibi concilia re debeat præceptis Principatus, nunc eſt explicandum.

An Iura Principatus ſint cum ſeueritate an cum benignitate iungenda.

Caput II.

Vita morum populi, eſt lex; legis vero anima, eſt Principis ſeueritas. quoniam, vbi latæ legis violator, pœnas ſuæ temeritatis non dederit, Principis clementia; ceteri, ſpem veniæ concipientes, temerarij fiunt ad mores corrumpendos, ad ſcelera perpetranda lege neglecta, Principiſq. ſpreto mandato. Quod ſi, e regione, ſeuere puniantur delinquentes, nullusue detur veniæ locus a Principe, optimi mores proprio fulgent ſplendore, legis virtute ac robore perdurante. Hæc forte Menander ſecum cogitans, dicere ſolebat, Seueritatem Ciuitati eſſe ſaluberrimam, & populis. Hæc namque ſpem clementiæ nobis denegat, a qua noſtrarum actionum comite, magna videmus oriri damna, varios, ac propemodum innumeros errores. Principi præterea Seueritatem conuenire, eiq. neceſſariam eſſe, aſſeuerare poſſumus; tum, quoniam ab hac timor ſubditis incutitur, qui timor cuſtos eſt virtutum, & Principis tutela; tum etiam, quoniam imperanti accedit honor, & dignitas. Neque populis hæc debet eſſe inuiſa. Cum enim lex promulgata ſit vniuerſalis; talis autem omnes complectitur, atque nemini parcit; at, nemini parcere, eſt, vti ſeueritate, porro cum iuſte lata ſit lex, transgreſſores puniendo, Iuſtitiæ opus exercet. Hac de cauſſa nonnulli benignitatem, & manſuetudinem culpant in Principe nam illa & maieſtatem humilem fieri, & dignitatem diminui Principis facilitate, aiunt. E regione, benignitatem magis ei conuenire dicemus, ſi conſiderabimus, ſeueritatem populorum voluntati eſſe contrariam, odiumq.

in animis

in animis generare, genitum nutrire, & alere in Principem, eiusue dominium. Infelix eſt ille populus, qui veniam impetrandi a Principe, omnem abiecerit ſpem. Quis eſt, obſecro, qui non erret? quis, quæſo, qui non labatur? Quod ſi animo deſtitutus fuerit Principem flectendi, aut ab illo deficere quodammodo cogitur, aut ſaltem odium inextinguibile animo amaro concipere, quo perpetuo tempore Principem oderit. Ad hæc, vſu ſolet accidere, vt proceres, ac ſapientes errent aliquando in rebus gerendis, negotijsq. tractandis. Si Princeps legis rigorem non laxat, & vtatur clementia, inde duo ſequentur abſurda. Eadem pœna infimos, maioreſq. puniri, atque alios puniendo, ſibimetipſi damnum inferre amittendo viros, quibus ſummo cũ honore ad maiora vti conſueuerat. Præterea, in ijs, quæ habent ſymbolum, facilis eſt tranſitus, dicebat Ariſtoteles, de generatione elementorũ differens. Ex aere faciliſsime aqua, ex igni aer, ex aere ignis, ex igni terra generatur: at ex ignis & aquæ mutua actione, & paſſione, quod tertium generetur elementum, fit difficillime. Seueritas cum immanitate quandam habet ſimilitudinem, & ideo ab illa ad hanc facilis eſt tranſitus; vt ab amore, ad amorem ſine labore vehimur. Seuerus errata punit, quoniam iuſtitiæ eſt cuſtos & amicus; Immanis, caſtigat ſimulata iuſtitia, ſeu potius iniuſtitia adductus. Immanitate autem, qua Deus, & proximus offenditur, nil turpius. Solebat Ariſtoteles immanitatem nomine feritatis, & inhumanitatis appellare; vitiumq. beſtiarum ferocium eſſe dicebat. Idq. nec immerito. Cum enim nos homines, omnium animalium nobiliſſimi, ſimilitudinem Dei in nobis gerentes, cogitationibus noſtris omnium Factorem æmulemur, qui benigniſſimus, & clementiſſimus eſt; immo ipſa met clementia, ac benignitas; ad officia, & beneficia conferenda nati, immanitatem exercendo, a noſtra degeneramus natura; illam exuimus, beſtiarum naturam induimus, propriæ originis ſemina obliti, homines, veluti ſiluarum feras, quauis de cauſſa necando. Quis, obſecro, Herodem non vituperabit cæde infantium Innocentium abominabilem? quis Phalarim non deteſtabitur, gratis homines occidentem, Tauro illo, a Perille inuento, acerbiſſima morte homines in eo clauſos, perire iubentem, ne voce humana morientium (qui Tauro circum ſæpti æneo, moriebantur, ob accerbiſſimos, & immaniſſimos cruciatus, mugitum bouis emittebãt) ad pietatem audientes flecterentur? Quis Maximini Imperatoris, cadaueribus viuos homines alligari iubentis, vt a mortuis viui occiderentur; Tulliæ, Tarquinij filiæ, vt regnaret, patrem occidi mandantis, & equis currus, cui inſedebat, renitentibus equis, ac inuito auriga, rotis cadauer illud paternum contũdentis, non abhorrebit immanitatẽ?

Quis non exſecrabitur Aſtiagem, Medorum Regem, qui Arpago familiari, filij carnes coctas in cena appoſuit, quibus miſellus ille pater, tamquã epulis iucundis paſtus eſt, deinde caput, manus, & pedes; vt agnoſceret, quibus cibis ſtomachus eſſet onuſtus? Quis patietur Tiberium, non permittentem diem ſine alicuius nece. Pœnas ſtatuentem ijs, qui defunctos lacrymarent, volentemq. puellas ſtuprari ante necem, quas gratis occidi mandarat? Quis non oderit Neronem, Matrem qui necauit. Romæ incendio lætatus eſt deſiderauit cæli caſum, cum adhuc viueret? Quis non oderit Caligulam, optantem populi Romani vnicum eſſe caput, vt vnico ictu omnes ſimul perirent; & quos morte damnarat, paulatim pœnas ſubire ſtatuentem, vt ſupplicij perduratione, mors eſſet acerbior. Ponat, obſecro, aliquis ſibi ob mentis oculos hæc ſpectra; & quam ſit deteſtanda immanitas, ſtatim videbit. Seneca aiebat, quod illos appellaret crudeles, qui in delictis puniendis moderati non eſſent. Magnũ alit monſtrum Princeps, ac iudex ille, qui a iuſtitia tranſit ad immanitẽ. Voces illæ; quæ circumferũtur, pro nimia ſeueritate Principis, aut iudicis tutanda, ſcilicet nõ facti, ſed inobedientiæ rationẽ habendam eſſe, quid proſint, vnuſquiſque faciliime iudicabit. Habet hoc peculiare vitium, vt pallio virtutis veſtitum, intuendum oculis populi ſe præbeat. Ob id Loquacitatem nomine Eloquentiæ nominamus; Prodigalitatem appellamus Liberalitatem; Ambitionẽ vero Magnanimitatem dicere ſolemus. Ita ſane Immanitatem in puniendo habitu Iuſtitiæ induimus. Iuſtitia ius facit in rebus; & ſumma iuſtitia eſt ſumma iniquitas. Modus eſt, dicebat Seneca, in delictis puniendis, maioremq. aſſequitur Princeps laudem iuſtitiæ quid auferendo, & pietati condonando: quam ſi pietati detrahat, & addat iuſtitiæ. Cum igitur deteriores fiant homines indulgentia, & Principis imminuatur exiſtimatio: ſeueritas vero odibilem illum faciat, illumue paulatim impellat in immanitatem, Deum imitando, iudicabit iuſte, duce miſericordia. Sic cecinit Dauid: Miſericordiã, & iudicium cantabo tibi, Domine. Iudicium miſericordia eſt temperandum, & miſericordia iudicio eſt admiſcenda. Optimum eſt, ac dignum, Principem vti clementia, & affabilitate, dummodo, cum tẽpus, & occaſio expoſtulat, benignitate relicta, vtatur ſeueritate. Plutarchus illuſtri exemplo nobis rem propoſitam dilucidauit. Tale eſt exemplum. Solem, primi Mobilis vi gratiſſima, & dulciſsima raptũ, eidem obſequium præſtare, obſeruarunt Mathematici. Dum autem paret primo Cælo, quodammodo ei aduerſatur ſimul; ea tamen lege, atque, vt dixerim, arte, ac modeſtia, quod nec illi omnino aſſentire, nec penitus aduerſari videatur. Nouerat ipſe, viribus ſuperioribus Cæli parendum eſſe, Et, e contra, rerum harum inferiorum

natu-

naturam, alio motu huic adu erſanti indigere, & ſine ipſo non poſſe conſiſtere. ideo iter a latere cœpit paulatim ab illo deflectẽs. Et hac ratione nouam adinuenit motus ſpeciem, atque temperamentum, quo vnice, obediret primo Mobili; & conſuleret rerũ ordini, ac ſaluti Nec ſecus in Principe benignitas, & ſeueritas ſe habere debent. Modus ille regendi, a ſeueritate, & duritia productus, voluntati populorum opponitur. Blanda, & facilis indulgentia, vulgi voluntati accommodata, damnum, & iacturam ciuitatibus attulit. At, ſi vna altori miſta fuerit, res ſane feliciter eueniet. Nec enim licentia fiunt deteriores homines. Nec, ſeueritate nimia gubernantis, ſpe deſtituti veniæ, a Principe deficiunt, illumue odio proſequuntur. Cum viderint ſubditi, vbi occaſio expoſtulat, clementiam in ſeueritatem mutari, & ſeueritatem in clementiam, Principis regimen amabunt. laudibus extollent. Gratus hoc modo erit, populo; gratus Patricijs, omnibus carus; vt omnium eſt Princeps. Populo ſpreto, non debet Princeps nobilium dumtaxat gratiæ intentus eſſe. Nec; e contra, contemptis nobilibus, populum amplecti. Quandoquidem, vti a nobilibus magnæ ſolent oriri diſceſſiones, tumultuſq; excitari, ita, a populo facillime eadem euenire, non eſt dubiũ. Beſtiæ multa capita habenti, per ſimilem fecit plebem Orator ille celeberrimus. Vulgus incertum eſſe, cecinit Poeta. Quod illud certo nos docent; hinc, & inde pericula imminere. Iuſtitia Geometrica vtendum erit, vt eo gradu gratiæ populum, vulgum, nobileſue caros ſibi eſſe oſtendat, ne alicui fiat in amando iniuria. Hæc ſi a Principe facta fuerint, tutam is tum demum aget vitam. Seueritatem nimiam, indulgentiæ facilitatem nociuam, tamquam atrociſſimam Scyllam, & voraciſſimam Carybdim euitabit. Odium vel maiorum vel nobilium, veluti peſtiferum morbum effugiet. Mart.

Principatus Ius in honorem, & gratiam populorum eſſe: & quomodo.

Caput III.

QVemadmodũ ſeueritas cum clementia miſcẽda eſt, vt populis ius Principatus ſit gratũ, ita, auaritia depulſa, quæ Principis ſplendorẽ tenebris ignominiæ obtenebrat, & magnitudinis gloriã imminuit, maieſtatẽ infirmat; liberalitas eſt amplectẽda. Quæ virtus diui

tiarum

tiarum ſplendore, lumen magnitudini, maieſtati ornamentum, gloriæ culmen, & populis lætitiam affert. Cum enim nos homines, rerum cognitione, & beneficentia, ad Dei condicionem prope accedere dicamur; tanto magis conuenit Principi liberalitas, quanto magis Deo eſt proximior, eminentia, regendiq. facultate. Habet id virtus hæc pretioſa, quod animos conciliat, immo deuincit, non tantum operando, ſed poſtquã etiã ab opere ceſſauerimus. Siquidẽ, cum liberalis huius ſit naturæ, & inſtituti, vt proprio cõmodo alienũ anteponat, hinc omnes ſpẽ concipiũt, ad ipſum, tamquã ad ſacrã Anchoram, & ad præſidiũ numquam defecturum, confugiendi. Liberali viro autem non eſt timendium, donando pauperem eſſe futurũ. menſuram ſiquidem cenſus non excedit. Vuida remanet hæc virtus donis, quoniam donando liberalis non adimit uim benefaciendi. Prodigalitas eſt illa, quæ cæcutiens, limites, ac menſuram non agnoſcendo, nec tempus, aut merita conſiderando, clamitoſos reddit prodigos. Studioſos, & benemeritos, donis Princeps cumulet. Sic benefaciendo, numquam fiet pauper; proprium nomen commendabit immortalitati; & gloriam alienæ virtutis augebit. In illo tanta ſit huius virtutis latitudo, quanti ambitus eſt illius auctoritas, & maieſtas. Hæc porro cum præſentes, & abſentes, ſubiectos, nobiles, & ignobiles, ciues, & agricolas, dominos, & ſeruos complectatur; his omnibus Principis liberalitas debet eſſe proficua. Omnibus illis debet prodeſſe, qui virtutum ope, egregia moliuntur. Dedit Dominus Regibus, & Principibus diuitias, non tantum vt illorum maieſtas eo fulgeret, quod decet, lumine, ac ſplendore; verum, vt ſtudia, & virtutes, illorum ope poſſent ſuſcipere incrementum.

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones. Mart.

Cecinit ille Poeta. Leonis Decimi, Summi Pontificis, erga litteratos & ſtudioſos liberalitate, quænam ars bona ſplendore non enituit, tempore, quo Pontificatum geſſit. Pauli Tertij magnificentia, quænam artium ſtudia ab omnibus non licuerunt? Gregorij Tertij decimi beneficentia quos honores non ſunt conſecuti, quas diuitias non ſunt adepti Cæſarei ac Pontificij iuris & omnium bonarum artium profeſſores? Iam vero, in hac re ego illos conuenio Scriptores, a Principibus liberalitatẽ ſegregantes, ſiquidẽ hanc qui adimit virtutem, ac relegat a regnante, profectò dignitatem aufert ab eo cauſſam, quæ Principem conſtituit. Duo ſunt, in quibus Principis excellentia collocari videtur. Præmia ſcilicet largiri, atque Reos punire. Hoc vero cum inuitus faciat; (immane quod iam eſt, ac ferinum, haurire voluptatem ex pœnis inflictis) ſupereſt, vt, liberalitate utendo, gra-

tia, & beneficijs, alios cumulet. Titus ille Veſpaſianus, vir omnium virtutum genere mirandus, adeo vt deliciæ humani generis diceretur; qui in dicendi facundia diſertiſſimus, in bellis gerendis prudentiſſimus, & inuictus; in omnibus actionibus moderatiſſimus extitit, vt hiſtoriarum ſcriptores referunt; qui cauſſas Latine egit; poemata, ac tragœdias Græce compoſuit; quem in oppugnatione Hieroſolymorum ſub patre militantem duodecim propugnatores duodecim ſagittarum ictibus confixiſſe, teſtatur Eutropius; qui Romæ tantæ fuit clementiæ, tantaq. animi humanitate uſus eſt Imperio, vt neminem punierit, coniuratis contra ſe pepercerit, eoſquę in ea familiaritate, qua prius fuerat uſus, habuit. facilitatis, & liberalitatis tantæ fuit, vt quadam die, cum ſero eſſet, recordatus, nihil cuiquam præſtitiſſe, uenerando, ac cæleſti dicto, conuerſus ad domeſticos, dixit: *Diem amiſimus, amici*. Cum vero ab amicis reprehenderetur, nulli quidquā ab eo negari, reſpōdit. *Nullus triſtis ab Imperatore diſcedere debet*, Nouerat magnus iſte Imperator, duas eſſe cauſſas, quibus Principatus cōſtituitur, vt diximus, Punire delinquentes; & gratia, beneficijs ſubiectos, & ceteros cumulare. Prima relicta, quæ humanitati aduerſatur; ſecundam eſt amplexus. Alexander Macedo, non tantum populis victis, prouincijs captis, quam liberalitate erga ſuos, a Scriptoribus eſt commendatus. Is adeo muneribus caros munificentiſſime locupletauit, vt moriente eo, omnes Regno aſpirarint. Neque ijs contentus, magnam capiebat voluptatem, cum in conſpectu eius familiares haberentur Reges. Id optime teſtatur, quod Ephæſtioni, eius amico, contigit. Cum enim ad Darij Regis matrem, quam tunc captiuam tenebat, proficiſceretur, inter omnes, qui Regem antecedebant, unus erat Ephæſtio purpureis veſtimentis ornatus. In illum cum Regina Perſarum captiua oculos conieciſſet, Regem Alexandrum eſſe ſibi perſuadens, illico ei obuiam ſe fecit, ad pedesq. procidens, nomine Regis ſalutauit. Factum iſtud Alexandro nuntiatum, tantum abeſt, quod ei moleſtiam attulerit, vt potius affecerit lætitia. Siquidem gaudio Rex ille exiliens, reſpondit nuntianti, Iucundiſſimum ſibi accidere, cum amici eius, Reges haberentur, & tamquam Reges ſalutarētur. Ageſilaus, quibuſdam interrogantibus, inter animi qualitates ad Regiam maieſtatem attinentes, quibus beatiorem exiſtimaret ſe eſſe, reſpondit: His feliciorem ſe arbitrari, a nemine in beneficijs conferendis fuiſſe ſuperatum, neque animi magnitudine victum. Conſiderabat Ageſilaus, victum inferiorem eſſe victore; Regiæ autem maieſtati conuenire, nulla ratione alijs eſſe inferiorem, in omnibus quidem, & præcipue in ijs, quæ facillime poteſt operari. Iccirco, a nemine vinci liberalitate, aut gratiarum, & beneficiorum col-

In vi.

latione

latione, paſſus eſt. Regium eſt etiam, non rogatum benigne facere. Licet enim, vtrouis modo, ſponte, & rogatus, apud alios beneficia ponere, ſit modus liberalitatis; nihilo minus magis certe refulget Regia maieſtas, cum non rogati beneficia facimus. Vbi locus eſt precibus, nulla relinquitur ſedes motui animi, quo quis liberalis cēſetur, & quodammodo virtus hæc eneruatur, ac vires amittit. An vero iuſtitiæ integritas ſeruetur, vbi niſi rogatus, confert beneficium, non facile video. quoniam, ſic benefaciendo Princeps, laborantes pro ſe non videtur agnouiſſe. Addamus, obligationis bonam partem in gratia, & beneficio affecto euaneſcere. Etenim, qui precibus accipit beneficia, potius id acceptum refert propriæ diligentiæ in poſtulando, quam Principis liberalitati in largiendo. Qua in re ſumma laude Archelaus habitus eſt. Qui, in conuiuio a quodam rogatus, vt poculum aureum, quo vtebatur ad bibendum, dono daretur ſibi, illico Euripidi, nihil prorſus dicenti, poculum donauit. Interroganti autem petitori, cur ſibi negatum fuiſſet vas aureum, & alij non petenti elargitum: Reſpondit. Illum fuiſſe dignum petendi, & non obtinendi: Euripidem vero obtinendi, & non petendi. His innuendo, illa vere eſſe beneficia Regia, quæ præces non antecedunt. Beneficia ſunt conferenda, munera ſunt largienda, preces audiendæ. Gratiæ igitur ſunt a Principe conferendæ, at non omnes. Munera ſunt largienda, ſed non omnia. Sunt gratiæ, quæ minime congruunt, licet, qui rogat, merere videatur. Meritum cum iuſtitia, & capacitate naturæ illius, cui benigne fit, a Principe eſt compenſandum. Non negarim, Gratitudinem eſſe iuſtitiæ effectum. dicerem tamen, a iuſtitia hoc requiri, vt gratia illis condonetur, quorum natura gratiarum eſt capax. Prohibuit Plato iuuentuti inſtituendæ concentū Lydium. ac Phrygium. Primum, quia animi mærorem, & luctum excitet. Alterum, quod ad laſciuiam, & voluptates pariat propenſionem. Sic munera, quæ laſciuiam, & libidinem alunt, ſunt deneganda. Prauis poſtulationibus ſicuti nullus dandus eſt locus, ita reijcienda ſunt inconuenientes; docenduſq. eſt poſtulans, quod illius virtute ſunt indignæ. Catulus Cenſor, Catonem, cum quo ſumma intercedebat neceſſitas, interpellans, pro quodam, quem ipſe quæſtor vocabat in diſcrimen, reiectus fuit, illis verbis: *Turpe eſt, te, cuius ſunt partes emendare nos iuuenes, ab apparitoribus noſtris ſummoueri.* Liberalitate igitur miſceatur Principis ius gratijs & beneficijs alios ditet, vt id præſtet, quod decet eius maieſtatem, & amplitudinem. Mēſura, & modus, vt dictum eſt, ſeruetur.

Plutarch.

Prin-

Principis iuris comitem debere eſſe Continentiam. iuraq. Principatus terminis, & legibus caſtitatis ſubijcit.

Caput IV.

QVamplurimæ ſunt virtutes, quæ cum Principis poteſtatæ iunguntur, ne iuris dominij eueniat abuſus. multa ſunt, quæ omnino ſunt euitanda mala, vt poteſtas propria ſede conſiſtat. at omnium malorum, quæ Principi poſſunt euenire, a quibus calamitatis miſeriæ, ac ignominiæ culmen, Dominij amiſſio prouenit, illud maximum ſemper eſſe iudicaui, cum in eam deuenerit ipſe ſententiam, vt proprio fiſus iuri, cuncta proprio ſubijciat arbitratui, & omnia ſibi licere exiſtimet. Statim enim, ac in eam deuenerit cogitationem, eiq. aſſenſerit, prauæ fit voluntatis, & pro lege proprium conſtituit placitum. Sed iniuſte. Principis voluntas haud in omnibus pro lege eſt habenda, ſed in ijs dumtaxat, quæ vere, & iuſte velle debet. Leges enim eo feruntur conſilio, vt populi ſequentes virtutem, vitam degant ciuilem, non autem vt ferentis, ac promulgantis, ſatisfiat appetitioni. Quemadmodum ſutor corium non adaptat propriæ voluntati, ſed ſecundum menſurã alieni pedis illi formam elargitur. Quod ſi contrarium accidat, omnia ſuſdeque ferat dominans, nihil eſt iniuſtum, quod ſibi non licere arroget. Vi omnia ſibi ſubijciat, ac inter multa, quæ violenter, & iniuſte perpetret, vnum omnium aſperrimum, ac omnino itolerabile malum ab omnibus ſemper habitũ, quo ſcilicet mulierũ honeſtati inſidias tendat, & vim inferat, ſibi ve licitum exiſtimet. Ea de cauſſa ſubiectos afficit contumelia, & tædio, vt nullum ſibi tranquillitatis, pacis, & obedientiæ relinquat locum. Peruerſæ voluntatis ſignum eſt apertiſſimum. Alia ſiquidem, quæ vi, ac iniuria fieri ſolet, ſpecie ſaltem communis boni, malum honeſtando, facta fuiſſe dicere poſſumus læſi alacri animo, vel ſaltem inuicta patientia iacturam tolerant, hanc autem vnam iniuriam æquo animo patienter ferre nequeunt. Tantum ſemper exiſtimarunt, tantiq. fecerunt mulierum honeſtatem homines, vt ab hac familiarum gloriam, & decus, pendere pro conſtanti habuerint. Cuius rei non mediocris eſt perſuaſio, quod tum a profanis, tum a ſacris ſcriptoribus accipi-

mus. Raptus Helenæ belli memorandi, Troianorum ruinæ, Hectoriſq. mortis extitit cauſſa,& populi illius calamitatis. Dina, vi rapta, quos tumultus excitarit quas neces pepererit, nullus eſt, qui ambigat. Vis Lucretiæ illata, quod malum attulerit, hiſtorici docent. Iniuria communis hæc ſemper credita fuit, licet vnus, vel alter a Principe fuerit læſus. Hinc ab omnibus commune odium in eũdem concipitur, animiq. prompti fiunt ad vindictam Quam obrem Dionyſius,qui in ceteris nulli pepercit, violentiæ, ac tyrannidi nullum negauit locum; cum vidiſſet, a proprio filio Syracuſanæ mulieri vim fuiſſe illatam, eum ſic increpauit:*Similia me agentem vidiſti?* Cui reſpondenti, *Tu filius Regis non fuiſti, ego autem a Rege genitus ſum*, ſubiunxit: *Neque tu, hoc viuendi inſtitutum ſequendo filios tuos Reges relinques*. Spiritu afflatus Diuino, hæc prædixit. Siquidem, paucis actis diebus, poſt Dionyſii mortem expulſus filius eius, nec ipſe, nec filij nepotes Dionyſii,Regno potiti ſunt. Anacharſis, licet Scytha, inter barbaros natus, quale, quidue hoc eſſet, ſecum mente reputans, ſtatuis,ac imaginibus illius inſcripſit, *Linguę,Ventri, Pudendis temperandum*. Zenonem Cittiæum omitto, Xenocratem, Socratem, ac multos alios ſapientes ſæculi, qui in hac virtute nituerunt: dicam dumtaxat,ſi ijs, qui populos non regebant,legibus inſtituendos, moribus præpoliendos non ſuſceperant, curæ fuit continentia, quanto magis Principi debet eſſe cordi, qui non tantum præceptis,ac legibus,curare debet, vt ſubiecti bene,beateq. viuant, verum ſumma ope niti eum decet, vt virtute propria animos alliciat,amorem conciliet, odium euitet? Demoſthenes, ſummum,ac vnicum præſidium aduerſus Tyrannum, eſſe exiſtimauit Diffidentiam quæ in animo Principis reperitur,dum,ciuibus proprijs nulla ratione ſe credere poſſe, nouerit. Optimus eſt ventus auraq. ſecunda Virtus, ad amoris portum, & gratiæ populorum aditum, dicebat Plutarchus, & docte. Amor ille verus eſt, quem parit virtus. Is firmiſſimus eſt, ac, propriæ baſi ſolidiſſimæ innitens, nuſquam collabitur. Perſæ hanc ob cauſſam,non tantum oculis tulerunt Cyrum, verum inde multos poſt annos, in amore perſeuerando, illos amarunt, qui naſum habuiſſent curuum, taleſq. pulcherimos exiſtimarunt, eo quod Cyrus naſo erat adunco. Menander, qui iuſte Bactris imperauit, & ſtudioſe imperando vixit, cum functus eſſet vita, ei cunctæ ciuitates iuſta fecerunt, certaruntque, vt æquis partibus cinerum combuſti corporis a funeralibus digrederentur: atque omnes pariter monumenta ei erexerunt. E regione, Agragantini, ab atrociſſima tyrannide Phalaridis liberati, a qua diu oppreſſi fuerãt, lege ſtatuerunt, ne quis pallium ferret glaucum, quoniam Tyranni, illius immaniſſimi ſpiculatores, glaucis ſubligaculis fuiſſent vſi.

Plutar.

Dionyſij

Dionyſii liberos Siculi interfecerunt conſtupratos, in contumeliā, atque vindictam; deinde cineres cadauerum combuſtorum ex naui in mare proijecerūt. Doctus in hac ſchola fuit Alexander Magnus, vere Rex, cui non tantum (præter alias animi dotes) continentiam ſeruare arriſit, verum, vt a ſuis militibus diligenter cuſtodiretur, fuit curæ. Cum Caſſander Pythonem, Euij tibicinis amaſium, vellet oſculari, idq. ægre ferentem Euium ſenſiſſet Alexander, iratus exilijt in Caſſandrum, clamans: *Ita ne per nos, ne amare quidē licebit.* Non ſatis eſſe iudicauit, ſe ipſum præſtare continentem, niſi & ſimiles ſui præfectos reddidiſſet. Quando, bone Deus, paſſus fuiſſet per vim conſtuprari filiam, aut honeſti ciuis vxorem, qui tibicini ſuos amores, etiam ab oſculo, voluit eſſe inuiolatos? Memorandum eſt illud a Scriptoribus celebratum, quod ei contigit. Victo Dario, prælioq. fractis Perſis, vxor, & mater Perſarum Regis refugæ, ipſæ quoque captiuæ fuerunt. Quæ vxor tantæ erat pulchritudinis, vt in tota Aſia nulla eſſet mulier, quæ cum illa poſſet forma, & ſpecie comparari. Puella erat, gratia, elegantia, venuſtate, moribus, ac pulchritudine omnibus admirabilis. Iuuenis erat Alexander, nullū habebat, cui ſuarum operationum redditurus eſſet rationem; nihilominus adeo fuit continens, adeo a luxu, & laſciuia alienus, vt nec illas videre ſit paſſus vt multi referunt. Optime nouerat, in comparabilis formæ eſſe iuuenculam. Fama ad Regem peruenerat, quæ in tota Aſia vagabatur: attamen Leonatum, eius familiarem, miſit ad Reginam, eam conſolandi gratia, atque, vt mente voluit abſtinere, ita nec oculis continentiam propriam voluit denigrare. Scipio Aphricanus, cum vi armorum Carthaginem intraſſet, inter omnes captiuos, qui in prœlio, & ciuitatis depopulatione fuerunt capti, puella quædam mira pulchritudine, moribus elegantibus Scipioni adducta fuit. Hanc Scipio remiſit intactam, & pondus auri, quod pater eius pro filiæ redemptione miſerat, pro dotibus ei dono dedit. Intellexerant Principes iſti, nil populis gratius Principis continentia; nil ingratius eiuſdem incontinentia; nil optabilius mulierum pudicitia, & honeſtate, nil durius, nil moleſtius, illarum impudicitia. Qua in re mihi recte viſi ſunt ſenſiſſe, qui dixerunt, Pudicitiam virorum, ac fæminarum eſſe præcipuum vitæ fundamentum. eius nāque præſidio puerilis ætatis inſignia munita exiſtunt, flos iuuentæ ſincerus permanet; illaq. cuſtode, matronæ ſplendeſcunt honoribus. *Val. Max.* Propter hæc, ab antiquis e medio ſublatas fuiſſe feminas, inhoneſtatis gratia, legimus, vt honor, qui impudicitia læſus fuerat, ſuo cādori reſtitueretur. Virginius Romanus, licet infimo genere natus, filiam, cui Appius Claudius Decemuir, poteſtatis iuribus fretus, ſtuprum expetebat, in forum deductam occidit; maluitque, filiæ eſſe

interfectorē quā corruptæ patrem; Pontius Aufidianus, eques Romanus, cum filiam opera cuiuſdam pædagogi caſtitatem amiſiſſe comperijt, ſceleſtum hunc ſeruum & herilis honoris proditorem, ſupplicijs affectum eſſe non contentus, propriam etiam interemit filiam. Maluit caro pignori exequias celebrare, quam nuptias macula inhoneſtatis deturpatas facere. Publius Atilius, hoſce imitatus, filiā, quæ ſtupri crimine ſe coinquinauerat, interfecit. a primordijs mūdi naſcentis, uſque ad noſtra hæc tempora, inualuit ſemper apud omnes huiſmodi opinio, vt familiæ decus, & ornamentum, in muliebri ſexu eſſet collocatum. Mirum profecto ac fere increbibile, Theſaurum tam pretioſum, honorem nimirum, cuſtodiæ debili, exiguiſq. viribus fuiſſe ab hominibus commiſſum. Rogabit forte aliquis, vnde eueniat, cur tam ægre ferat homo iniuriam, quæ, ob læſam vxoris pudicitiam, ei infertur? Huic quæſtioni ſic ego reſponderem, meliorem ab alijs ſemper expectando reſponſionem. Quod, cum homo ducat uxorem, generandæ prolis gratia, qua perpetuitatem aſſequatur in ſpecie, quam in indiuiduo ei denegauit Natura, vt dicebat Ariſtoteles, de anima diſputans; ſi mulier, fide neglecta alium cognoſcat virum, nulla certitudo prolis habetur; &, quod optat vir aſſequi, muliere media, attingere nequit, & quod iniquam eſt, maritus alienos paſcit filios, alit, & heredes propriorum bonorum inſtituit. Ad hæc, peccato primorum parentū mulieri hæc pœna inflicta fuit, vt viri dominio eſſet ſubiecta: quod ſi alienum, & extraneum virum admittat mulier, dominium illud, a Deo viro collatum, labefectari, & peſſundari videtur. Præter hæc, producendo virum, & feminam, ſacræ generationis Scriptor inquit, *Maſculum, & feminam fecit eos.* non autem, maſculum, & feminas; aut maſculos, & feminam: vt indicaret, maſculum propria vxore, & mulierem proprio marito debere eſſe contentam. Porro, cum mulier alieno viri amplexu delectatur, id, quod a Deo homini datum eſt ab eo aufert. Lex hæc in poſteros perpetua ſucceſſione pertranſijt. Hinc fit, vt magna nos affici iniuria arbitremur, cum pudicitia læditur vxoris, & filiarum. Ea propter, populos in Principis necem conſpiraſſe legimus, ab illoq. defeciſſe, ob mulierum violatam pudicitiam. Adſit continentia, & Deus honorabitur, lex ſancti matrimonij inuiolata perſeuerabit, & tutum erit Imperium Principis.

Iura

Iura Principatus alieno egere conſilio.
Caput V.

QVi Principatum habet, ceteriſq. dominatur graue o-
nus, atque quodammodo intolerabile ſuſtinet. ete-
nim principatus non tantum ceteris muneribus in
ciuitate exiſtentibus ſupereminet, ſed ius habet om
nium, & omnia complectitur, ac continet, adeo vt
nihil reperias, quod ſtatuere, & ordinare nequeat. Iam vero, cum
omnia ad eum ſpectent, & nihil ſit, quod eius fugiat auctoritatem,
ipſe vero ſit ſolus, hinc euenit, vt aliena egeat prudentia, aliorumq.
conſilio. Xenophon ab vnico nec omnia videri, nec audiri, poſſe *Xenophon.*
aiebat; ſed pauca admodum. Pauca, dixit ille, vnus videt, vnus au-
dit: multi tamen debent eſſe Regis oculi & multæ aures, quibus,
audiendo, videndo, & intelligendo, cuncta ſtatuere, & omnibus cõ-
ſulere valeat. Plutarchus, vir in morali philoſophia nulli ſecundus; *Plut. in præ*
Traiano ſcribens eum hortabatur, in negotijs ſocios adhibere. Cum *poli.*
enim princeps, grauia pertractet, debet certe proprios conſulere hu
meros, quid ferre valeant, quidue recuſent vt dixit ille Poeta. & pro *Horat.*
comperto habere id, quod Comicus dixit, Homo ſum, & nihil hu- *Terent.*
mani a me alienum puto. Nimirum, quoniam habet eſſe imper-
fectum; & deficiens, (ſic enim noſtra patitur natura) poſſe aut
negotij magnitudine, aut rerum imperitia, aut animi affectu,
aut circumſtantiæ rei ignoratione, aut alia de cauſſa, errare.
Ideo, ſi res contentioſa, ac laborioſa ſit, ex amicis optimos
eligere debet, aut ex optimis placidiſſimos ad negotia. hi nam-
que & illum ſubleuant, ſi prudentia ſint præditi, æmulationis neſcia,
&, vt res feliciter tranſigantur, efficiunt. Ad hæc, natura, vt dixit
Ariſtoteles, non facit gladium Delphicum: nec omnia poſſumus
omnes. quidam ſunt, qui in magnis ſuccumbunt, in minimis egre-
gie ſe gerunt; alij, e contra, in minimis videntur mentis inopes, in
magnis autem nihil illis eſt difficile: tamquam hos ad magna, illos
vero ad minora tractanda natura genuerit: veluti hunc ad cantum,
illum ad ſaltum; hunc ad bellandum, illum ad orandum; hunc ad
medicinam, illum ad iuris peritiam produxit. Principis eſt ergo,
iudicij examine præuio, homines eligere, eiſq. munera, vt natura il-
lorum patitur, imponere. His quæ, diximus ſimilia, ita Plutarcus
ſcripſit ad Traianum: *Quando res eſt tranſigenda magna, & conducibi-
lis, coniuncta tamen cum magna contentione, & labore; hic enitere, vt*

ex ami-

ex amicis tuis legantur optimi, aut ex optimis placidiſſimi. Hi enim quā minimum refragabuntur tibi,& quam maxime te ſublenabunt, ſi prudentia citra æmulationem præditi ſint. Attamen,perſpecto ingenio tuo,debes, quam ad rem minus altero ſis appoſitus, eos, qui plus illis valeant præ tui ſimilibus, coaptare. Ita Diomedes ad ſpeculandum adiunxit ſibi præteritis viris fortibus ſolertem. Hoc modo enim negotia in æquilibrio ſtant,neque exiſtit mutua æmulatio inter eos,qui, diuerſis ſubnixi virtutibus, & facultatibus, laudem quærunt. Ita adbibe in cauſſa agenda adiutorem & legationis ſocium, ſi facundia deficiaris: diſertum ſicut Epaminondam Pelopidas. Si non ſis communis, & habilis ad agendum cum populo,ſed faſtuoſus, vt Callicratidas feſtiuum, & blandum: Si debili, & torpido corpore,Laboris patientem & robuſtum; vt Nicias Lamachum. Sic fuit admirabilis Geriones, cui multa crura, manus, & oculi erant, quæ anima vna cuncta regebat. Hæc ille; omnia hæc concludens Gerionis fabula, cui triplex fuiſſe corpus, ſex manus, totidemq. tibias, & oculos,capita tria finxit antiquitas. Quemadmodum igitur vaſta hæc moles unico principio regebatur, vnica anima pedes, manus, oculos, aliaſue partes corporis mouente, quæ partes eiuſdem ſunt inſtrumenta, ad varia operanda, quibus ve diuerſa obit anima munera; ita ſane vnus eſt Princeps pluribus miniſtris cuncta operans. atque, veluti pedes ambulant, non autem vident;oculi vident, non autem audiunt; aures audiunt, non autem odorant; nares olfaciunt, ſed non loquuntur; lingua loquitur, non concoquit cibum; ſtomachus concoquit, ex cibo Chylum faciens, epar ſanguinem; cor ſpiritus generat;vnica anima hæc omnia mouente, audiente, vidente, odorante,ambulante,loquente,concoquente,ſanguinē ex chylo generante, ſpiritus producente, vt omittam innumera opera, quæ manibus, arte duce, ac magiſtra, operatur homo. Ita Princeps omnia facit diuerſis vtendo, &,vti cor, vitæ fons,licet omnibus membris elargiatur vitam, nihilominus illorum non fungitur officijs, ita Princeps,licet multos inſtituat miſtros,nihilominus munera illorum obire eum dedecet. Liuius Principem illum qui proprio capite cuncta agit,omniaq.tractat,magis haud immunem eſſe a nota ſuperbiæ indicat, quam prudentem. Tacitus quoque ſcripſit, a Principe aſſumi debere alios in partem curarum:pro certo habens, magna negotia, magnis egere adiutoribus. Hæc forte cogitans ille vir magnus, magiſtratui reſpondens, dixit: Vrbis Principem, neque conſulem, neq. Aedilem, neque Prætorem eſſe. Perinde, ac ſi dixiſſet. Quod maioribus intentus, debet conari, vt, quanto liberior eſt ei facultas operandi, quidquid ei libuerit, tanto magis id ſolum debere velle,quod eſt honeſtum. Et,licet in ſe omnia ſiut munera,in illoq. cuncta ſint poſita, vt res fæliciter agantur; & in commodum populorum

46.Lib. *1.An.*

lorum; pluribus negotijs plures, & vni negotio, multos præficere. Sic enim, vt ſcripſit Ariſtoteles, vnus alium obſeruabit, vnuſq. aliũ æmulabitur, & hac ratione negotia optime euenient, prudentia ſin gulari tractabuntur, & maturius abſoluentur. Atque vbi numerus hominum adeſt, vbi vnus ſi ſpei de ſeconcepta non reſpondebit, alter prudentior, & ſagacior imperfectionem deficientis abolebit, diligenter agendo. Addamus, tutius ſemper res agi, vbi multis vna demandatur cura. Fieri poteſt, ſi vnius ſit, (vſu hoc ſæpe accidit) cui committitur negotium, vt Principis gratia abutendo, omnia verſet, & tractet iniuſte. Ex Periclis amicis, vnus fuit Methiocus, qui inuidioſe, vt inquit Plutarchus, & inſolenter, vtens Periclis poteſtate, cuncta agere, omnia tractare voluit, populi nauſea. Hinc illud apud Athenienſes: *Methiocus farinæ eſt curator. Methiocus omnia mouet: Methiocus in malam rem ibit.* Plures igitur ad plura; & plures ad vnum adhibeat peritos, Princeps negotium, qui ſint veluti cordis, & animæ, in populo inſtrumenta. At vere inſtrumenta Principis erũt, ſi, quale onus illis ſit impoſitum, magnitudinem, & maieſtatem Prin cipis conſiderantes, vigilijs, & diligentia contendent Epaminondam ſuperare; commodum, vtilitatem, vt leges patiuntur, honorẽ, vitam, gloriam, Principis omni cura, & ſolertia, ſtimulis amoris pũ cti, curabunt. Illud præcipue cauentes, ne quis iniuria afficiatur, in quo cardo difficultatis, Regniq. vita collocatur. Non lædimur autẽ iniuria, ſi corpora non patiuntur; ſi honor ſeruatur; ſi facultates nõ auferuntur: & quod ſummum eſt, ſi illis, quos meremur, honoribus ditamur. Maxima certe alteri iniuria infertur, cum honor proprius denegatur. Hoc voluit Theopompus Lacedæmoniorum Rex, dum rogantibus eum, qua ratione optime diu Regnum poſſit perdurare hæc duo ſi ſeruentur, reſpondit: Si Rex deſideria propria amicis communicaſſet, & non permiſiſſet, ciues ſuos affici iniuria. Micipſa, vt apud Salluſtium legimus, dicere ſolebat, Neque Theſaurus, neque exercitus, verum amicos, regni eſſe præſidia. Xenophon quoq. Cyrnm, ab eo laudibus ad ſidera elatum, ita introducit loquentem: *Non aureum iſtud Sceptrum eſt, quod Regnum cuſtodit; ſed amicorum copia.* Amicos igitur adhibeat conſiliarios, pro Regni cuſtodia, & perduratione: quoniam, vt dicebat Salluſtius ciuitates eouſq. proſperum habuerunt imperium, quouſq. apud eas vera conſilia valuerunt. Quales vero debeant eſſe Conſiliarij, nunc diligentius eſt explicandum.

In Iug.

Lib. 8.

Qua-

Quales debeant eſſe Principum Conſiliarij.

Caput VI.

PEricles, vt refert Thucydides, quattuor in Principum Conſiliarijs eſſe apprime neceſſaria, dicebat. Quæ ſint agēda, cognoſcant. Quod exprimere ſciāt. Quod Reipublicæ, ſiue Principi ſint amici; & quod vi auri integritatem propriæ vitæ corrumpi non patiantur. Primo decet, vt quæ ſint agenda, optime noſcant. Etenim, ſi medicus infirmam corporis partem, morbo laborantem, curaturus, prius ſolet inſpicere, & ægritudinis naturam diligenter explorare, demum adhibere medicamenta: ita ſane opportet agenda exactè cognoſcere pro communi ſalute, pro Principis incolumitate, & honore, deinde conſilio prodeſſe. Saluti publicæ ſi fuerit intentus, ſinceritas, & animi probitas aderit, ſine qua, quomodo rectè conſulerę poſſit, non ſatis video. Pater Am-
111. Off. broſius in Conſiliarijs hæc exoptabat reperiri. Vitæ probitatē quod ſcilicet ſint a vitijs alieni, virtutibus præditi moribus probati, experientia induſtrij. Primo igitur vitæ probitatem deſiderat in Conſiliarijs. Quis in cœno (dicebat ille) fontem quærat? Quis in aqua turbida, potum petat? Vbi luxuria, vbi intemperantia, & vitiorum confuſio, quis non horrendum exiſtimet? Quis non deſpiciet morum colluuionem? Quis vtilem alienæ cauſſæ iudicet, quem videt inutilem eſſe ſuæ? Præſtantior, vt ibidem ab hoc Patre ſcribitur, eſt, a quo conſilium petitur, quam qui petit. Ideo is eſſe debet Conſiliarius, vt exemplo, & vſu promptus ſit, ac paratus; vt pericula præſentia ſoluat, imminentia denuntiet, & expediat, ac remedia ferat. Et paratus ſit, non tantum ad ſoluendum, ſed ad ſubueniendum.
Cap. 6. Eccleſ. perfectionem Conſiliariorum ponderans, dixit: Conſiliarius ſit tibi, vnus de mille. Antiquiores Senes eligebant: inde Senatores, & Patres appellati; Senes, ab ætate graui; Patres, a cura. Romulus, ſtatim ac Vrbem condidit, Centum ex ſenioribus elegit, quorum conſilio omnia ageret; & hos Senatores appellauit. Apud Athenienſes erant Areopagi. Huic ætati Prudentia, conſilij mater, eſt & ſocia. Si publicæ crūt intenti vtilitati, procul ab eis erunt rixæ, adulationes, temeritas, pertinacia, cupiditas, ac celeritas. Quæ cauſſa ſunt, vt omnia peſſum eant, Regna ruant, Princeps ſit inglorius. qui, ſibi met ipſis perſuadendo, magnum eis imminere periculum,

ſi Prin-

& Principi perſuaſerint, vt id agat, quod eiuſdem cupiditati, animiq. illius deliberationi refragatur, ideo adulationibus, blandiſq. aſſentationibus Principis dictis applaudent. Hi tute rem propriam agũt. Siquidem, vbi res contra eueniat, quoniam Principis ſententiã ſunt ſecuti, minime puniuntur. At, quomodo optimi Conſiliarij fungantur officio, nequeo videre. Bonum publicum eſt amplectendum, inquirendum, amandumque, honor Principis, & gloria eſt ante oculos habenda. At adulatio eſt falſum quoddam teſtimonium, quo animus illius, cui adulamur, adeo deprauatur, adeoue corrumpitur, vt, veritate a ſe repulſa, & relegata, in omnibus actionibus oblectetur mendacio. Athenienſes lege ſanxerunt, Adulatores capitis pœna puniri. Hanc ob cauſſam Rinagoram, illorum ciuem, qui Dario fuerat adulatus, morte condemnarunt; vt ceteri exemplum ſumerent a tanto ſcelere, homines iniuſtos faciente, quibus blandimur, abſtinendum fore. Magnum ſcelus Adulatio, fomes malorũ, cum a Principis auribus percipitur. Vnde lepidiſſime, & docte dixit, morum diſciplinam ſecutus, quidam Poeta:

Nihil eſt, quod credere de ſe non poſſit,
Cum laudatur, Dijs æqua poteſtas.

Mente euoluat quis ſacras, & profanas hiſtorias: & hæc omnia cũ veritate conuenire, adinueniet. Impius Achitophelus, vt Regum narrat hiſtoria, cupiditati Abſalonis adulando, & ambitioni illius efferatæ blandiendo, prauo conſilio, mortis Abſalonis cauſſa fuit. Roboam, ſpreto ſenũ conſilio, honori Regis ſtudentium, iuuenũ autem ſecutus prauã deliberationem, aſſentantiũ ei, ex magno Rege, paruus factus eſt. Bona pars Regni, quod ſciſsũ eſt, ab eo defecit. Darius, conſilium iniquorum Conſiliariorum ſecutus, qui, vt Regis captarẽt animum, adulationibus mulcere tentarunt, Danielem ab eo dilectum, quem præfecerat Satrapis Regni ſui, virum innocentem, Deo carum, Prophetam venerandum, Leonibus deuorandum obiecit. Quid de Xerxe dicam? Is, cum copias paraſſet innumeras, de quibus Trogus Pompeius ſcripſit, quod ſeptuaginta millia e Regno armaſſet, & triginta millia de auxilijs, & centum millia nauium habuiſſet; Diciturque, flumina ab eius exercitu exsiccata fuiſſe, contra Græcos; adulationibus Conſiliariorum quaſi in furorem elatus, miſerrime honorem, & exercitum, amiſit. Audiuerat Conſiliariorum voces adulantes. Quidam, blandiendo, & adulatione annuendo Regis cupiditati, aiebant, Græcos, fama Xerxis ſola terrefactos, terga verſuros, nec belli nuntium expectaturos, nedum exercitum. Alij vero, potentiam Regis extollentes,

cauendum eſſe, dicebant, ne vrbes vacuas inuenirent. Futurum enim eſſe, vt relictis habitationibus a Græcis, fugam arriperent, & deſertas vrbes, domoſq. vacuas relinquerent. Non defuerunt, quorum fuit conſilum, rerum naturam fere deficientem eſſe, maria nauibus anguſta fore, ac incapacia claſſis, caſtra militibus, campos equitibus, vixq. cælum adeo eſſe ſpatioſum, vt ſagittas capere ſufficeret. His vocibus elatus Xerxes, in furorem incidit, & inimicorum vires floccipendens, infelicißime a Græcis eſt victus. Mirum profecto: Rex, qui centum & ſeptuaginta hominum myriadibus, hoc eſt decies ſepties centenis millibus, per totum quinquennium congregatis quam multitudinem ex ſpecula aſpiciens, lacrymaſſe fertur, quod nullus ex tanto hominum numero, ſpatio centum annorum eſſet ſuper futurus. Qui nauium copia totum Helleſpontum operuit, & Aſiam ponto Europæ coniunxit; Athon montem, vt Plinius refert, a continente abſcidit. Apud Thermopylas a quattuor millibus hominum victus fuit. In nauali prœlio apud Salaminam a Themiſtocle ſuperatus eſt. Et qui antea tot maria nauibus ſternebat, vix parua cymba effugere potuit. Tantæ perniciei cauſa fuit blandum conſilium, prauaq. adulatio. Rectius ſibimetipſi conſuluiſſet, ſi ſpretis adulationibus, conſilio Damagati aures præbuiſſet; qui Regi Cõſiliariorum adulationibus elato, dixit. Nihil eſſe tam magnum, quod non poſſit perire nec copias immenſas efficere debere, vt inimicos deberet ſpernere. Quæ omnia euenerunt Regi. Morboſum, ac venenatum malum in Conſiliario Adulatio, ſæculis omnibus innumera producens damna. Infamia afficit conſulentem, vnde illud:

Lib. 4. c. 10

Ignorant ſtulti, toto plus dimidium eſſe
Conſilium prauum: eſt auctori peſsima noxa.

Proditor eſt propriæ famæ: Proprij Principis honoris interemptor: Regni amiſſionis cauſſa; diuitiarumq. peſſundator, non Conſiliarius, qui Principi adulatur, veritate poſthabita, communiq. vtilitate relicta. Alij vero, animi quadam elatione, gloria propria inani exagitati, omnibus, quæ ab alijs proponuntur, aut dicuntur, oſtentationis gratia aduerſantur. Verum ij, gloriam quærẽtes, inglorij exiſtunt. Longe aberrant a ſcopo, & a fine, cuius gratia a Principe fuerunt vocati, & conſilia celebrãtur. Conſilia reſpiciunt vtile honeſtũ aut vtriusque comparationem, quando accidit, vt dubium ſit, an turpe exiſtat, an honeſtum. Et, ſi duo ſunt honeſta, quid horum magis ſit eligendum. In examine autem rationis, honeſtum ſemper vtili præponendum eſt, bonum commune proprio anteponendum; & quod attinet ad Dei Benedicti cultum, & honorẽ, humano cõmodo.

Ideo

Ideo immania,in humana & ſummatim in honeſta,inutilia,ac iniuſta a conſilijs ſint remota.Nec enim conſulendum eſt,an hæc ſint facienda.Id eſt,quod docuit Auerrois.ilis verbis:Bona cōſiliatio,eſt habitus cōiecturatiuus operabiliū, ſecūdū rationē optimi.Horū gratia debet eſſe conſultatio.Huc tendātConſiliariorū animi,& ſenſa,non antē ad propriam oſtentationē,propter quam,a meta declinantes, nec conſulunt,nec placent, nec honorem, quem affectant,aſſequi poſſunt.Atque,vtTaciti verbis vtar,ſi quid eſt in illis auctoritatis,deſtruunt. Lucretius bis ſtultos ſolet illos appellare. Oſtentatione autem non tantum vacare debet,qui conſulit; verum amore, inuidia, odio, auaritia, ac ceteris omnibus, quæ rationi ſunt impedimento. Dominetur affectus animo noſtro; nos, a nobis alieni uiuentes, in obiectum mutati, nobis mortui, in illo vitam viuimus. Qui autem ſe ipſum amiſit, quid poterit alijs præſtare? Qui ſibi non ſapit, quomodo alijs prodeſſe poterit? Athenienſes Senatum hoc typo ſolebant figurare. Pingebant viros togatos, immo ætate grandæui ſedentes; oculos vitta ligatos, manibus truncos.Mirum profecto ſignum, Athenienſibus viris dignum.Togati,& ſenili ætate Senatores debent eſſe, qui, de rebus dubijs, conſulendo, decernunt, non autem infantes. Prudentia primo in illis deſideratur.PaterAmbroſius in Exam.dicebat: *Senectus eſt in conſilijs vtilior.* Et Eccleſ. *Quam ſpecioſum canitie iudicium,& a Presbyteris cognoſcere conſilium.*Prudentia ab experimentis ortum habet: hæc vero a longo temporis vſu. Qua in re dicere ſolitus eſt Ariſtoteles, iuuenes Geometras eſſe poſſe, non autem prudentes.Mentis vigor, non corporis uis,& robur requiritur ad conſulendum. Hic autem non in iuuenili ætate,in qua ſenſus viget,& proprium exercendo imperium, rationi opponitur, ſæpiuſq. illam vincit,noſtro cum ſummo detrimento, ſed in ſenili ætate. Atquequemadmodum in reo lutis corporibus ſæpe, ac frequenter euenit,vt reſiſtant animæ imperio, neque motiones fieri ſinant ſecundum propoſitum,ita in anima, dum adoleſcentes ſumus, eſt quod reſiſtit, & aduerſatur rationi,vt dicebat Ariſtoteles.In matura ætate floret vigor mentis,vbi Autumnus, vel gelidum,Hiems,depulſo calore Aeſtatis ſanguinis,&'conſūptis floribus veris humanæ huius noſtræ ætatis, fructus ſtudiorum colligit, illiſue fruitur. Erant ſedentes. Quoniā non temere eſt pronunciandum, nec audaciæ partum conſilium, ſed matura cogitatione, animiq. agitatione debet eſſe elaboratum.Qui nouit dubitare, is nouit res tuto aggredi. Hoc etiam Herodoto placuit, qui ſcripſit, ea ratione hominem optimum fieri, ſi in deliberando cunctetur,& pertimeat quidquid poteſt euenire;in operando confidat. Thucydides rectæ menti,omnino celeritatem opponi voluit, cum dixit, duo aduerſiſſima menti rectæ, Celeritas, & Ira.

6.Ethic. — *An 16.* — *Lucre.* — *Ho.pri. 3 6* — *Pr.mo.c.vl.* — *Lib.7.* — *Lib.4.*

Idem iudicium facit de Celeritate, & Ira. Atqui, vti ira nube denſiſſima oculos mentis obtenebrat, eoſq. caligine obſcuriſſima obnubit, ne poſſint verum cernere. ita profectò ipſa celeritas, obſcuritate, ſuffundit rationis ſplendorem, ne in ea ueri vel ſignum appareat. Ariſtoteles in libris de moribus nos monuit, deliberata celeriter agenda fore, at tarde deliberandum. Meminiſse hos oportet Amygdalæ, Prunæ, Perſiciq. naturam. arbores quæ nimis præcoces ſunt, in edendis floribus facillime patiuntur. Quod ſi flores tranſeunt in fructus, potius eſt aſcribendum cæleſtis influxus ſummæ benignitati, quam rerum quotidiano euentui. Congruit celeritas rerum gerendarum executioni; at conſilio maturitatis, & ſera operatio mentis. 1. Hiſt. Hinc Demoſthenes dicebat: *Conſulere oportet lente, exequi autem conſulta feſtinanter*, Et Tacitus, Scelera impetu, bona autem conſilia mora conualeſcere. Quidquid ſemel ſtatuendum eſt, matura indiget, & longa, ac exquiſita conſultatione, ſcripſit Seneca. Seſſio illa Senatorum cuius mentionem fecimus, conſilij ſtabilitatem nobis indicat. Stabilia, & firma ſunt, quibus exacta præceſſit conſultatio, quæ diuina iuſtitia firma exiſtunt, quæ decernunt Dei facta, hominum factis eſſe præponenda; quæ ve commodo proprio Conſultoris poſthabito temporali, commoditati, vtilitatiq. communi proſpiciunt. Suſcipiunt varietatem hominum facta, propriaue commoda: at Dei facta habent coniunctam permanentiam ſempiternam, Bonum commune, diuturnitatem. Manus habebant truncas, oculoſq. vitta ligatos. Quoniam nec precibus, nec animi aliquo affectu debet flecti Conſiliarius, ne ue alia de cauſſa candor veritatis denigrari. Stoici aiebant vniuerſum perturbationis genus prauum eſſe, rationi aduerſum, nulloq. pacto viro ſapienti poſſe conuenire, omneſq. perturbationes a iudicij corruptela, & peruerſione prouenire. Hinc pro libidine, voluntatem; pro lætitia gaudium; pro metu, cautionem animis noſtris adaptabant. Nec forte iniuria, aut indocte Cum enim affectus, vt generentur in nobis requirunt, quod ſpecies obiecti animum mouentis, nobis occurrat; mox animus approbet, vel reprobet; ſi approbatur, inſipientis erit: ſi reprobatur, ſapientis officium erit. Sapientia præditi debent eſſe Conſiliarij, qua animi affectus propellere valeant, illiſq. vacare Non me latet, Stoicos a Peripateticis, & Academicis diſſentire, de animorum affectibus. 9. De Ciu. Dei. c. 4. Noui etiam, Patrem Auguſtinum ad Marcellū ſcribentem, aſſerere litem in ſolis eſſe verbis. 4. De fi. bon. & ma. Quod etiam voluit Cicero, argumenta Stoicorum ſoluens. Nullus igitur (vt eo reuertar, vnde ſum digreſſus) eſt relinquendus locus precibus cognatis, & caris; ſed ſola veritas inſpicienda; & publicæ conſulendum vtilitati. Veritas eſt Principi aperienda, qui eo ſcopo Con-

ſilia-

ſiliarios accerſiuit. Animo non ſat eſt,verum concipere, ſed neceſſe eſt, vt illud proferatur, omnibuſq. fiat exploratum. Munus illorum eſt, publicam intellexiſſe vtilitatem, hancue apertam facere. Parum certe, immo nihil prodeſſet, ſi & verum, & quæ publicæ conueniant vtilitati animo concepta mox ea ſilentio inuoluerent. Amici ſint Reipublicæ,in qua ex Populo,& Principe vnum efficitur corpus, vtrique ſeruiet, ſi communem honorem, exiſtimationem, gloriam ſeruare, & augere curabit. Si vnius, & alterius vtilitatem inquiret. Poteſt hæc veritas, & ſanctus amor, hoc requirit amicitia, vt oculis feramus amici honorem, bonum, & vtilitatem. Poſtremo,quod integritas auri uiribus non violetur. Aurum meminit Thucydides: quoniam animi, qui nec minis terreri, nec blanditijs, affectuq. ſanguinis flecti potuerunt, auro tandē a linea rectitudinis receſſerūt.Hinc illud: *Pecuniæ vi omnia eſſe falſa.*.Hos audiat libēter Princeps Conſiliarios, nec dedignetur talium conſilijs obtemperare. Erat Moyſes Dux populi Dei, Summuſq. Sacerdos, vt retro diximus. Sapientiſſimus ab hominibus habitus, Diuino fruebatur colloquio; Hietro autem,longe illo inferior, ſi dignitatem,ſi ſapientiā, ſi Dei alloquia aſpiciamus. nihilominus æquo animo Moyſes Hietro conſulentem audiuit, eiuſq. obediuit conſilio. Beatus eſt ille, qui per ſe ſapit, & aliorum etiam audit ſapientiam. Mali non ſunt audiendi, ſed reijciendi. *A conſiliario malo ſerua animam tuam,* dixit Eccleſ. Quis in hanc deueniet ſententiam,vt recte alijs ille conſulat, qui ſibi male conſulit? Beatus Gregorius ſic ſcripſit. *Habet conſilium ſuum omnis iniquus,præſentia appetere,æterna deſpicere, iniuſta agere, iuſta deridere.* Quærentes bona hominis, non autem ipſum hominē non ſunt admittendi. Hoc monuit nos Gregorius. *Fidelior tibi ad conſilium poteſt eſſe eum qui non tua, ſed te diligit.* Primo autem, ac præcipue in omnibus conſulat Princeps CHRISTVM Saluatorem noſtrum.Dauid primo conſulebat Dominum,mox ardua tentabat. *Numquid vadam & percutiam Philiſtæum?* Pater Auguſtinus ad hoc nos hortabatur, dicens*: Quis eſt conſiliarius prudentior Chriſto? quærimus conſilium: habemus copiam non ſapientis, ſed ipſius ſapientiæ,qui Chriſtus eſt.* Immortale Deus, infirma ſunt conſilia noſtra, imbecillis mens humana, & ſæpius labitur. At,quoniam rationales ſumus, ratione norma ſcilicet viuere debemus,niſi ad brutorum vitam declinare velimus. Errant conſilia hominum, quoniam non habent, quo dirigantur, ſcripſit Seneca.Ideo hoc egemus primo lumine,hac ve norma,vt recta ſint noſtra conſilia. Mentes illæ, ab omni mole corporea ſeiunctæ, primam veritatem intuentes, operando non errant, nos item,eadem ducti luce, nuſquam offendemus.Hunc conſulamus Conſiliarium,huc tendant conſilia noſtra:& omnia tuta erūt.

Mor.9.

In Regiſ.

De lap.mu

Ep.28.

Hoc

Hoc voluit ſibi Seneca (ni fallor)loco nunc adducto : dicens : *Scire debet, quid petat, qui ſagittam vult mittere,& tunc dirigere,ac moderari manu telum. ſimiliter ignorans,quem portum petat , nullus ventus eſt ſuus.* Ceterum,quoniam diximus, neceſſarium eſſe, a conſiliarijs recte, & exquiſite fore cognoſcenda, quæ agenda ſunt, dubitabit forte aliquis, an aduena , an domeſticus ſit accipiendus Conſiliarius , Res hæc nunc eſt conſideranda.

Principum Conſiliarij, an proprij an aduenæ ſint accipiendi.

Caput VII.

INualuit opinio noſtris his temporibus apud quoſdã adeoq. in crebuit, Principis Conſiliarios ex proprijs fore eligendos, vt nefas exiſtimarint,ſi aduenæ vocentur. Quorum ſententia(vt ingenue loquar) numquã mihi potuit probari,tum quia nec rationes adductæ, pro hac tuenda opinione, aliquid neceſſarij concludunt ; tum, quoniam , vſu præceptore , contrariam ſententiam veriſſimam eſſe , compertum habemus. Meæ ſint partes , rationis trutina examinare quæſitum præſens ; vt veritate cognita, nullus dubitandi relinquatur locus. Qui volunt Principis Conſiliarios ex proprijs fore eligendos, his mouentur rationibus. Primo accipiunt id, cuius retro mentionem fecimus nimirum, Conſiliarium bono communi populiq. neceſſitatibus conſulere debere, Principi ſalutaria ſuggerendo . id cum ſit veriſſimum, ſequitur, vt aduena ac peregrinus ſit reijciẽdus. Si quidem, cum loci naturam , & populorum inſtitutum ignoret, illis etiam minime proſpicere poterit.nam , ſi pharmacum eſt exhibendum a medico,humorem peccantem eum prænouiſſe oportet.Præter hæc,ignoratio animorum bonorum,& virium populi cui imperat, efficit vt recte non diſponat,quæ ad ipſos,& ad facultates attinent. Hinc etiam euenit , vt nec ſibi , nec populo , ſatisfacere poſſit. Inſuper, natura inſitum eſt,vt primo amemus genitores, deinde patriam,poſtmodum affines, & amicos , poſtremo & alios . Hoc ordine, vt amemus, magiſtra natura nos docuit. vbi autem ordo,ibi gradus, ibiq. prius , ac poſterius . Intenſiori gradu amoris , & dilectionis, amamus nos, quam alios. Hinc fit, vt grauius peccet qui ſe ipſum interficit , quam alium , quandoquidem magis nobis

debemus,

debemus, maioriq. obligatione ad noſtri met amorem impellimur. Cum vero alios interficimus, minus rigide punimur, & ſemper pœna cum interfecti condicione compenſatur. Iam vero, cum magis proprios amemus, quam extraneos; maiori etiam diligentia in illorum incumbimus ſalutem. proprij hac de cauſſa erunt vocandi, non autem aduenæ Conſiliarij. Inſuper, aufertur ſpes, ſi vocetur peregrinus, proprijs illius loci incolis acquirendæ gloriæ, honorem ve conſequendi. Cum enim viderint, ſe honoribus, & dignitatibus priuari, alioſq. honeſtari, quibus ipſi deberent ſplendeſcere, ſpe virtutis abiecta, viam virtutis relinquunt, intercluſum eſſe iter ad gloriam conſiderantes, laborum ve ſuorum nullum futurum eſſe præmium. Hanc etiam ob cauſſam patriam relinquunt, vitia amplectuntur, mala machinantur, odio habent Principem, a quo odio rebelliones, Reip. perturbationes, ac alia huiuſmodi mala, comite deſperatione, proueniunt. Poſtremo, hoc in multis Rebuſpub. obſeruatur; hiſtoriarum frequens lectio nos monet; vt poſſimus dicere, naturæ, & vſus rationis hanc eſſe legem, quod Princeps proprios, non extraneos debeat habere conſultores. Hæc ſunt argumenta, quibus perſuaderi poſſe, exiſtimarunt viri iſti, ſententiā hāc omni carere contradictione. Ego, ſicut, de Ducibus, & militibus, verba faciens, oppoſitam habui ſententiam; ita, in eadem perſeuerans opinione, (ſimillima enim eſt hæc diſputatio illis) contrarium aſſero. Quoniam & ratio, & natura, & experimentum nos docet, adductam opinionem a vero longe eſſe remotam. Verum, ne oculis clauſis dimicare videamur, & Pſyllorum more contra ventos arma parare, atque pugnare. Primo nonnulla dilucidemus, quibus facilior nobis ſit aditus, ad hanc cognoſcendam veritatem, & ad oppoſitam demoliendam. Age, rem aggrediamur Vox hæc *Aduena*, ſeu. *Peregrinus*, a Latinis haud vnica accipitur, ſignificatione. Primo, ac proprie, *Peregrinus*, ille dicitur, qui ex alio loco, a noſtro ſolo differenti, eſt oriundus. Iam vero, cum loca maiori, vel minori interuallo inter ſe diſtent, verbi gratia ciuitas noſtra Rauennæ diſtat a Piſauro, multo magis ab alma Vrbe Roma, multo magis adhoc a Neapoli, adhuc magis a Syracuſis, adhuc multo magis ab Hippone, Patris noſtri Auguſtini patria; ita ſane Rauennatibus ille peregrinus erit, qui, Piſauri ortus, ſit Rauennæ, ibiq. negotietur. Peregrinus & Romanus, Syracuſanus, ac multo magis Hipponenſis. Ij proprie dicuntur Peregrini. Diuerſa ab hac ſignificatione, ille dicitur Peregrinus, qui ab alijs ſeparatus viuit, & ſolitariam degens vitam, ab aliorum commercio ſponte ſeipſum ſegregat. Quo ſenſu cum aliquem, huius vitæ virum venientem, ad nos accedere inuitatum videmus recuſantem, dicimus. Sic peregrinum agis? Mos eſt

pere-

peregrinorum, timide accedere, aliorumq. domos ingredi. Tertio loco, ille Peregrinus dicitur, qui, in aliquo loco natus, magno temporis ſpatio ab illo abſens vixerit, rediens in patriam ceteris ſit incognitus. Vt de Vlyſſe tradunt ſcriptores, qui, ad ſuos reuerſus, a ſola nutrice fuit cognitus. Hoc ſenſu illud Sancti Lucæ in Euangelio ſemper credidi fore interpretandum: nimirum: *Tu ſolus peregrinus in Hieruſalem*. Vox illa *Peregrinus* non denotat peregrinantem, aut ſponte, aut pænitentia ductum, vt qui, Beatæ MARIAE VIRGINIS precibus, & interceſſione, ab aliquo periculo liberatus, Sanctā domum Lauretanam baculo, galero, & habitu huic itineri proprie dicato petit; aut, pænitentia ſibi iniuncta, aliquo peregrinatur: Verum aduenam, & incognitum. Quod ſane ex homilia Beati Gregorij colligitur, Græca phraſis nos docet, & Euangelium Sancti Marci, idem innuit. Pater Gregorius, hæc verba exponens, ita loquitur: *Audiſtis, fratres cariſſimi, quia, duobus diſcipulis ambulantibus in via, non quidem credentibus, ſed tantum de ſe loquentibus, Dominus apparuit, ſed eis ſpeciem, quam recognoſcerent, non oſtendit. Hoc ergo Dominus in oculis corporis exhibuit, quod apud ipſos agebatur intus in oculis cordis. ipſi namque apud ſemetipſos intus, & amabant, & dubitabant; eis autem Dominus foris, & præſens aderat, & quis eſſet, non oſtendebat de ſe igitur loquendo præſentiam exhibuit, ſed de ſe dubitantibus cognitionis ſuæ ſpeciem abſcondit.* Hæc magnus ille Pater. Quibus conſpicuum eſt, dictum fuiſſe Dominum ab Euangeliſta Peregrinum, quoniam diſcipulis, veluti aduena, incognitus fuit. Codex Græcus ſic legit: *μόνος παροικεῖς Ἱερουσαλήμ*. Nomē autē *παροικεῖς* deducitur a verbo *παροικέω* quod ſignificat Aduena habito. Sanctus autē Marcus geſtum hoc legendum nobis ſic exhibuit: *Surgens autem IESVS mane prima Sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat ſeptem Dæmonia. Illa videns, nuntiauit his, qui cum eo fuerant, lugentibus, & flentibus, & illi, audientes, quia viueret, & viſus eſſet ab ea, non crediderunt. poſt hæc autem, duobus ex his ambulantibus, oſtenſus eſt in alia effigie, euntibus in villam, & illi euntes nuntiauerunt ceteris, nec illis crediderunt.* In aliena effigie, inquit, quoniam incognitus, aduena illis viſus fuit. Dicitur etiam Peregrinus, qui aliunde in aliquam ciuitatem habitandam ſe recepit, ibi diu moraturus. Nouiſſime peregrinus ille dicitur, qui vrbanitatis eſt expers, qua grati ſumus ijs, cum quibus verſamur, ab illiſq. amamur, quoniam veluti in ſiluis, & cum belluis educatus videtur. Tot modis igitur cum dicatur peregrinus; propria, & vera ſignificatio eſt illa, cuius primo loco fecimus mentionem; ceteræ autem aduentitiæ exiſtunt. Verba, vt propoſitæ materiæ adaptentur, prima ſignificatione ſunt accipienda. Plumbeus eſſet in Politicis, qui dubitaret, an Princeps ignotum omnino

Cap. vlt.

nino accerſeret, vt conſiliorum ſuorum eſſet particeps. Saxeus ille eſſet in moribus, qui ambigeret, an inhumanũ, inciuilem, inurbanũ tanto negotio præficeret, eumq. huius rei gratia vocaret ad ſe, qui ſolitariam degit vitam procul negotijs; cum ille omnino ſit abijciẽdus, ob morum agreſtium, & deprauatorum incongruitatem: hic vero, propter rerum, & negotiorum imperitiam, ſit ad huiuſmodi onus ſuſcipiendum inhabilis. Princeps autem, tales eligendo homines, quibus ad conſilia vtitur, non oſcitanter, ſed matura conſideratione, videre debet, quos dignos reputet, & quos ſibi ad conſulendum adhibeat. Verum exiſtit dubitatio: Vtrum ex proprio populo, an alterius ditionis viros probos experientia peritos aptos ad ſuggerenda ſalubria, tum pro populo, tum pro ſui met honore debeat eligere. Vt retro diximus, ſunt, qui negant, alterius ditionis vocandos fore, rationibus, quas ſupra memorauimus, vtentes. Nunc oppoſita eſt probanda ſententia.

Peregrinos vocandos eſſe Conſiliarios.

Caput VIII.

NOua non eſt ſed antiqua ſapientum Principum fuit ab uſu, & ab experimento, comprobata ſententia, Conſiliarios ex alterius iuriſdictione vocandos fore, nedũ ex proprijs eligendos. Id autem primo rationibus demonſtremus, demum experimento hoc comprobabitur. Prima ratio hæc ſit. Illi ſũt a Principe eligẽdi, qui magis apti ſũt ad conſulendũ rebus publicis, & Principis ſaluti: at, prudentiores, ac maiori probitate animi, ſunt magis idonei ad huiuſmodi officium faciendum. igitur tales erunt a Principe vocãdi. Huius rationis maior vim accipit a rei natura. nam ea ratione eliguntur a Principe tales viri, vt illorum conſilio, & prudentia, rebus publicis conſulatur. Hic eſt ſcopus, & finis, ad quem vocantur, cuiuſue gratia eliguntur, finis vero rebus, quæ ſunt ad finem, imponit neceſſitatẽ. Cum igitur gratia publicæ vtilitatis, & Principis honoris, ſint vocati, illi præ omnibus erunt eligendi, qui tali negotio extiterint aptiores. Minor vero inde fit conſpicua, quoniam prudentia eſt actionum bonarum mater, origo, conſeruatrix, & perfectio. Hac, quæ recta ſunt recte agimus. Animi vero probitas, prudentiæ addita, efficit, vt veritate dumtaxat, & rectitudine, ac honeſto, inſpectis, quidquid pro ſalute communi, & pro Principis, ac populi honore conficien-

dum ſit, agatur. Ratio hæc tanto efficacius probat, quanto a rei natura deſumitur, non autem ab adiacentibus rei. Si iudicandus eſt artifex, gratia exempli pictor, non quod ex patre tali, aut in tali loco ſit oriundus; ſed quoniã perfecte menſuras, ac proportiones corporũ nouerit; & res, quas pingit coloribus, ad viuum ſciet exprimere. Sæpe enim, atque frequenter accidit, vt filij a patribus peritis in diſciplinis, artibus, ac ſcientijs diſſideant. Ita nec fortis iudicandus eſt ille, qui Romæ fuerit ortus, licet dixerit Scæuola. Romanum eſſe, fortia agere, & pati. In alijs ciuitatibus multos reperias, qui fortitudine erunt illuſtres: & Romæ etiam puſillanimes inuenire, & timidos mirum non erit, aut difficile. Fortes ego illos eſſe dicam, qui aduerſa æquo animo, & patienter ferent. Romanus non erat Anaxarchus, qui cruciatus animo forti perferens, dixit carnificibus: *Pilam Anaxarchi contunditis, Anaxarchum autem non contunditis.* Video Leonidam Spartanum, ex genere Heraclidarum, apud Thermopylas, cum trecentum ciuibus, toti Aſiæ ſeipſum obijcere: & magnũ illum Xerxem mari compedes, & cælo tenebras minantem, (ut referunt ſcriptores,) hominibus formidabilem, ad deſperationem adduxiſſe. Et maluiſſe Leonidam tandem mortem obire, quam locũ illum ſibi aſſignatum ad cuſtodiendum deſerere. Atque, cum pugnandi occaſio ei oblata eſſet, mortis propriæ, ac militum minime neſcius, milites his verbis eſt hortatus. *Sic prandete, commilitones mei, tamquam apud inferos cenaturi.* Cuius dictis intrepide Lacedæmonij obtemperarunt. Ducemque ſecuti, in vita, ac morte ei ſocij fuerant. Quid dicam de Polymni filio Epaminonda? ſingulari modeſtia prædito, grauitate celebri, rei militaris peritiſſimo, manu ſtrenuo, animo inuicto? cuius opera apud leuctrã lacædemoniorum opes corruerunt, adeoue conſumptæ fuerunt, vt Græciæ Principatum numquam potuerint recuperare. Is, poſt præclara geſta, nouiſſime apud Mantineam, acie inſtructa, optimi Ducis officio fungens, fortitudine incomparabili hoſtes aggreſſus, ictu mortifero percuſſus in caſtra relatus ſemianimis, a cirumſtantibus requiſiuit, ſaluus ne eſſet clypeus; & cum, ſaluum eſſe, flentes reſpondiſſent, allatum, veluti laborum ſocium, oſculatus, quæſiuit ſecundo, an hoſtes eſſent fuſi. Cum id quoque, vt cupiebat audiuiſſet, animi exacta conſtantia, & fortitudine, morti obuiam iuit. Iuſſit lætus ſpiculum euelli. Multo ſtatim effuſo sãguine glorioſus geſtis vitę honeſtæ illuſtrẽ impoſuit finẽ. Theramenẽ propria non defraudemus laude, potionem veneni haud hæſitando haurientem. Theogonem Numantinum, ſponte ſe ipſum morti donantẽ, Socratem lætum cicutam bibentem. Innumeros propemodum poſſem adducere, qui cruciatus, & tormenta æquo animo pertulerunt, nec minora fortitudinis ſigna oſtenderunt,

runt,

runt,quã Horatius Cocles Etruſcis ſe offerens, pro Vrbis incolumi tate, Romulus, paucis admodum copijs cum Acrone pugnans, & vincens; M.Marcellus Gallorum Regem,apud Padum, exiguo exer citu ſuperans, & geſta ab hac virtute prodeuntia poſteritati æmulanda reliquerunt. Quare ab ijs,quæ rei eſſentiam conſtitunt, res, ſunt dijudicandæ; non autem ab aduentitijs. At conſultori hoc eſt eſſentiale,vt prudentia,animi probitate, morum integritate, rerum quæ tractantur,notitia ſit prædítus;non autem,quod in illo fuerit loco natus, a quo Princeps ortum traxit: vel ſaltem ex illis ſit vnus qui eius ſubiacent dominatui.locus, qui illis argumentum ſuppeditauit ad illorum ſententiam roborandam, tantum abeſt, vt aliquid adiumenti afferat, vt potius illam demoliatur, atque peſſumdet. Quid mihi velim,expono; demum ſententiam meam rationibus con firmo. Inquiunt iſti, ea ratione proprios non alienigenas, Conſiliarij honore fore honeſtandos, quoniam maiorem, & diligẽtiorem curam populorum habebunt, exactius publica curabunt. Siquidem naturæ lege comparatum eſt,vt noſtros maioris proſequamur amore,maiori ve complectamur beneuolentia, quam externos. Adeo, vt vis rationis inde pendeat, quod locus ſit cauſſa amoris. Nec forte iniuria dicam ego. Cũ enim Principium generationis locus exiſtat, vt Porphyrius dicebat, ab vnico prodeuntes principio, ſimiles ſint temperamento,ſimiles quoque moribus erunt inter ſe.Animi enim mores, corporum temperiem ſequi, eleganter ſcripſit Galenus; &, *In Præf. Prædicab.* vnumquodque ex ſuo dulci nutriri, docet natura, Amor vero a ſimilitudine ortum ducit. Græcum eſt adagium, ὁμοῖον ὁμοίῳ φίλον. Hac ratione rapimur vi quadam occulta ad amandos illos, quos antea non noueramus, ſtatim ac nobis occurrunt. Quod Poetæ inſinuarunt nobis fabulis, dicentes. Poſt ingentem aquarum inundationẽ, qua mundus vniuerſus vndis eſt obrutus a Deucalione, qui in ea vniuerſali hominum clade fuit ſuperſtes,glebas poſt terga iactas fractas, ex partibus vero homines ortos fuiſſe. vnus alterum amabat,qui ex eadem gleba originem ducebat, tantoue ardentius,quanto ex congnatioribus partibus eſſent producti, quaſi quod unus & alter propriam ſui partem immo,vt nõnulli ex Platonicis dixerunt, medietatem diligeret. Si ergo amoris cauſſa eſt ſimilitudo,locus id efficere poterit: ſiquidem, vt experimento eſt comprobatum,quibus pars vna cæli communis exiſtit. eadem eſt temperies, mores ijdem; quibus vero diuerſa differunt temperie, ac moribus: ideo in illis amor, in ijs autem vix beneuolentiæ ſigna apparent. Hæc dicerem ego,vt argumentum adductum confirmarẽ. Verum,vt initio dixi, oppoſitum potius probat, quam concloſionem aſtruat. Conſideremus rem. Locus ea ratione eſt generationis principium,qua cæ

lum, influxu, Rerum pater appellatur. Atqui in vna, & eadem ciuitate, immo in vna, & eadem familia ex ijſdem parentibus filios videmus diuerſæ tēperaturæ, ac diuerſorū morū, immo potius oppoſitorū, ac ſibi ipſis aduerſantium. Contraq. ſimiles frequenter cōperimus alienigenas, nobis temperie, & moribus; vtq. nobis ſeſe offerunt, tamquam caros diligimus: igitur non eſt dicendum, propiros a nobis amari magis, quam extraneos, loci virtute. Antecedens ab experimento comprobtur: nec eſt, quod laboremus in illo ſolidando. Conſequentia etiam conſpicua eſt. Quoniam, ſi aliunde ortos ſæpius magis diligimus, quam proprios; pari ratione peregrinus amabit eius curæ traditos, feretq. oculis. His addere poſſumus, quæ a Platone ſcriptis fuerunt commendata. Amorem nimirum a duplici prouenire principio. A matre Pænia, & a patre Poro; ideſt ab Indigētia, & Affluentia. Oritur amor ab affluentia, a patre Poro, quo maiores amant ſibi ſubiectos, ac minores. Hoc modo Deus cunĉta amare dicitur, qui rerum omnium eſt conditor, eiuſq. ditioni cunĉta ſubiacent. E contra, a matre Poenia, ab Indigentia naſcitur, quando inferiores amant ſuperiores, a quibus pacem, ac tranquillitatem expeĉtant. Proinde Conſiliarius, & qui ad populos regendos fuerit vocatus, ſubieĉtos reſpiciens, & curam ſibi a Deo, ac Principe demandata mente euoluens, quos regit, amabit. Contraq. ab illis amabitur. Nouiſſe præterea ij debent, Amorem eſſe multiplicem: Eſt amor laſciuus, deleĉtabile quærens, tanto nomine penitus indignus. Efferata potius cupiditas, quæ amantes vertit in amentes, mētis oculos obcæcans: vnde illud: *Amantium iudicia cæca*. Et Amorē hunc, typō pueri, oculos vitta habentis conteĉtos, & antiquitas, & noſtra pingit ætas. Hæc eſt illa Meduſæ facies, homines in plantas, in lapides, in bruta mutans. Quæ, ſolo Mineruæ ſcuto, & Mercurij auxilio, arte nimirum, & ſapientia ſuperatur. Eſt & Amor, quærens vtilia bona, quo diuitias, agros, aurum ve diligimus. Eſt poſtremo honeſtum quærens Amor, qui ſolam virtutem reſpicit. Hic eſt, qui animos allicit; qui neſcit climatum diſcrimina; qui peregrinum nō diſtinguit a patrio qui temperatura diſſimiles, ſimiles reddit; quos locorum interualla ſeparat, nexu quodam indiſſolubili vincit; quos ciuitatum diſtantia facit aduenas, iubet vbique ciues eſſe. In quocūque reperitur virtus, hunc aptum facit ad officia fungenda, ad honores, ad munera obeunda. Ab hoc oritur ſimilitudo, quæ ardentiorem parit amorem dileĉtione, a ſimilitudine proueniente, quam aut corporum temperies, aut communis locus, parere ſolet. Quare argumentum acceptum a loco, nihil habet efficaciæ. Immo (& hoc tamquam auĉtarium accedat) ſi rem introſpiciamus, & diligenti examine eam conſideremus, aptiorem eſſe peregrinum patrio, affirmabimus:

habimus: locumq. magis obeſſe, quam prodeſſe Conſiliarijs. Adue na, a turba affinium, & cognatorum eſt liber. A precibus amicorum immunis, quæ, veritate poſtpoſita, ſæpe nos impellunt ad mendaciũ amplectendum, & tuendum. Patrius his ſtimulis punctus, vexatus, qui fieri poterit, vt a rectitudiue non declinet? bis, ter, quatter, obturabit precibus aures; ſanguinis impulſus propellet, at, quod tandem non vincatur, fere incredibile eſt. Adeo, vt mihi ſic nunc liceat argumentari. Ille aptior erit ad conſulendum, qui minoribus premitur ſemper difficultatibus: igitur aptior erit. Aliunde natus, amicis, & affinibus deſtitutus, negotium ſibi a Principe demandatum, diligentiſſime curabit, ac tractabit. Sola veritate inſpecta rebus cõſulet; gloriæ cupidus, auxilijq. cognatorum, & amicorum inops, nec laboribus, nec vigilijs parcet, vt proprio ſtudio, & populus, & Princeps ſit contentus. Contraq. patrius, amicis, cognatis, & affinibus affluens, audaciam magnam, res aggrediendo, incipiet, & ab audacia facillime in temeritatem tranſibit, conabiturq. alios in propriã adducere ſententiã; & in omnibus, quæ proponentur ſumma populi iactura, & Principis diſplicentia non dubitabit aduerſari alijs. Ceterum quoniam vſu hoc comprobari dicebant ij, qui contrarium aſſerunt, demonſtremus & nos, vſum huic refragari ſententiæ; &, aduenas ad Prouinciarum, Regnorumq. regimen, ac Rerum publicarũ vocatos fuiſſe, probemus. Atque, vt ſilentio omittam, Numam Põpilium, inter Sabinos natum, Romanorum magnum, & admirandũ fuiſſe Regem; Lucium Tarquinium, ex patre Corintho ortum, Regno Romanorum fuiſſe potitum; Henricum, Tertium huius nominis, a Polonis Regem eorum fuiſſe vocatum: ad Carolum Quintum, ad Franciſcum, & Henricum, eiuſdem filium, immo ad ſummos Põtifices me conuerto. Nulla certe Curia dignior, ac eminentior Romana. Nullum illuſtrius, dignius, nobilius, præſtantius, ac eminentius conſilium, ſacro Conſiſtorio, vbi de ſumma rerũ, de fide, deq. totius Mũdi ſalute agitur. Illuſtr. & Reuer. Domini Cardinales, ſunt Cõſiliarij Vicarij Chriſti, & coadiutores, vt legimus ex. qui filij ſint legitimi. Ex his nihilominus multi ex diuerſis orbis partibus, Germania, Gallia, Hiſpania nedũ ex Italia, ſunt oriundi. Nuntios, Legatos ve mittit Sũmus Pontifex: cõmittit Prouincias regẽdas ceteris, qui fere exiſtũt peregrini, & ex prouincijs valde remotis ab ijs, quibus præficiuntur, orti. Carolus v. ſẽper Auguſtus, tot præclariſſimis geſtis, tot ve digniſſimis, & admirandis factis ſemper celebris, conſiliũ habuit ex Alemanis, Italis, Hiſpanis, Burgundis, Flãdrenſibus conſtans. Franciſco, & Henrico eiuſdem Franciſci filio Galliarum Regibus, a conſilijs, & ſecretis multi fuerunt Itali, quorum opera in rebus gerendis vnus, & alter glorioſus extitit. Triuultij diligentia, & prudentia Francif- C. per ven.

cus

Proprij, & Peregrini eſſe oſtendit, quando, interrogatus, cuias eſſet, licet Athenienſis, Mundi ciuẽ ſe eſſe, reſpondit. illud ratus, a natura, & virtute, vnitatem; ab odio, inuidia, auaritia, atque ſummatim a vitio, humanæ ſpeciei ſectionem prouenire. Vt in corpore vna pars altera indiget, vna alteri auxiliatur. ſic in magno mundo vna aliam adiuuat: ita vna prouincia, alterius eſt indigens. Homo homine eget: qua vero ſit natione, dummodo aptus ſit, talis habeatur proprius, talis eligatur tamquam patrius. Hæc cum ita ſint, ad rationes ſoluendas noſtrum conuertamus ſermonem.

Rationum oppoſitarum ſolutio.

Caput IX.

Facile (vt mea fert ſententia) erit, rationes adductas ſoluere. Ab ijs, quæ hactenus ſunt dicta ſolutio pendet. Erat prima ratio. Aduena, morum populi ignarus, & inſtituti uiuendi illius neſcius, ſummo labore, vixq. ſine iactura populi, regere poterit. contraq. ciuis illius loci, viuendi inſtitutum, & mores optime cognoſcens, rectius populos reget. igitur Proprij, non extranei ſunt vocandi Cõſiliarij a Principe ad conſilium. Ratio hæc eſt admodum infirma, & exilis. Nec enim, quos vis vocandos eſſe a Principe, diximus: nec cuilibet hoc munus demandandum fore: ſed ſapientioribus, ac prudentioribus. Porro, cum viuendi inſtitutum, & mores (quantum attinet ad regimen) minimo temporis ſpatio, ac momento fere addiſcantur ſi prudens erit, mores, & inſtituta perpendet, & animos ad ſe alliciet. Iuſtitiam ſecutus & legibus imbutus, humanas actiones moderantibus, hominibus conſulet, omnibus proſpiciet. Addamus, auctoritatem qua fungitur, virtuti adiunctam, tanti eſſe roboris, vt animos attrahat, & vnuſquiſque hoc deſideret vt carus ſit Regenti. Secundæ rationi reſpondetur: Naturale cuique eſſe, proprios diligere, ſi ab eodem met prouenerint, ab illoq. generatione, deſcenderint. Amor enim, vt dicebat ille Poeta, deſcendit. Patres filios *Euripides.* ab ipſis genitos, magis amant, quam ab eis amentur. Amant quinetiam nepotes, illoſq. depereunt. Ratio eſt, quia, cum naturaliſſimum ſit, vt ſecundo de anima ſcripſit Ariſtoteles, generare ſibi ſimile in *Tex. 34.* ſpecie, vt generans ſucceſſiua generatione conſequatur perpetuitatem; cum id in indiuiduo nequeat obtinere, hancue ab cauſſam, vt recte Ammonius dicebat, natura ſollicita eſt in procreandis *In Porphy.*

indiui-

indiuiduis,cum videat generans prole perpetuitatis participem fieri,filios, & nepotes non poteſt non vnice diligere. Natura patriam amamus, quoniam eſt locus noſter, locus autem res continet,& ſeruat.Cum autem vnumquodque ſeruari appetat ſuapte natura, hinc fit, vt proprium deſideret locum, illumq. eligat, & diligat. Grauia deorſum; leuia ſurſum, impulſu naturæ feruntur, & quanto magis prope ad proprium accedunt locum, tanto velocius mouentur. Perſentiunt entia illa, natura magiſtra, a loco ſalutẽ eis prouenire; iccirco ad illa feruntur. Mouentur autem celerius, cum proxima ſiunt proprijs locis, quoniam a loci virtute eorum virtus accipit robur. Signum euidentiſſimum,loco virtutem in eſſe, a qua res ſeruantur in eo ſitæ. Hanc ob cauſſam vnuſquiſque propriam amat patriam. Vnde illud, Miſera auis illa,in valle calamitoſa orta.Siquidem,illius loci amore capta,neceſſe eſt, vt in ea nidificet, viuat, & moriatur. Amamus Naturæ bona, fortunæ, & noſtra. Pecuniã fundimus, ac ſumma nitimur ope, vt vita incolumis ſeruetur. Litibus contendimus, vt prædia, ac domus tute poſſideamus. Maiore hac dilectione animi bona amamus; & ideo, cum aliquid in dubium reuocatur, & diſſeritur, rationes a nobis adductas, ceteris præminere, contentioſe, & obſtinate volumus.Id autem euenit, quoniam diuitiæ, nummi,prædia, aliunde prouenire dicuntur. Naturæ bona, & ipſa quoque ſunt alterius. At animi bona,vere ſunt noſtra. Propriũ eſt autem vnicuique, vt ei cara ſint,quæ vere ſua ſunt, & vt gloria ſuperent cetera, ardenti concupiſcit deſiderio.Ad argumentum redeuntes. Cum inquiunt, vnuſquiſque magis ſua, quam, aliena, diligentius curabit.Reſpondemus: Si eius ſunt bona, aut fortunæ, aut animi, aut naturæ, aut a ſe deſcendentes, aut locus, qui in gratiam vitæ amatur. Secus autem in alijs. Quæ enim de numero eorum bonorum, quorum mentionem fecimus, non ſunt, haud ſic ſe habent, nec in illis locum habet ratio. vſu namque quotidie experimur, vt magis alia, quam noſtra diligamus, magis aduenas, quam patrios amemus. Modus ille loquendi, non eſt perpetuæ veritatis, eoq. magis, vbi laudis, & gloriæ deſiderium nos vrget. Tertiæ rationi iam ſatis, immo ſuperq. reſponſum eſt a nobis. Oſtendimus vſu, oppoſitum a Principibus fieri. Addatur nunc ijs, Rempublicam Venetam, Italiæ gloriam,& decus, multos habere aggregatos, quos nomine Sancti Marci filiorum ſolemus nominare, extraneos. Qui licet abſint ab inclyta illa Vrbe; nihilominus, ſi adeſſent, honorum eſſent participes. Quod ſi aliqua lege cautum eſt, vt aditus præcludatur peregrinis ad Reſpublicas, illos exiſtimandum eſt excludi, qui infimæ ſunt condicionis, ac tanto honore indigni. Quare, rationi occurrendo, negatur aſſumptum nimirum, proprijs auferri ſpem acquiren-

dæ glo-

dæ gloriæ. Siquidem, cum proprij, & aduenæ eligantur, vt uſu videmus euenire, qui ſcilicet virtutibus, & moribus digni ſunt; animi propriorum ciuium ad virtutem inflammantur. Hac reſponſione contenta erit poſtrema ratio. Addendo, immanem eſſe, qui, manus armat contra patriam, Dei ordinationi reſiſtere, qui Principi reſiſtit. Verum, quoniam de Conſiliarijs hucuſque verba fecimus materiei affinitas exigit, vt de familia Principis nonnulla dicamus.

Condiciones Curiæ Principis

Caput X.

COmmune eſt hoc omnibus artibus, & ſcientijs; vt materia illarum, ſit nota, artificibus, & ſcientificis nec enim inconſulto ad eam tractandam accedere debent, ſed & cognitione ſubiecti, & præceptis imbuti, ac inſtructionibus, quibus tamquam perpendiculo, & norma, cuncta metiendo, quid bene, quid male ſit poſitum, dictũ, actumue fuerit in arte, & ſcientia, exacte dignoſcere valeant. Hæc Ariſtoteles docuit, de partibus animaliũ vbi de pœdia loquitur. Secundo quinetiã Diuinorũ, quales eſſe debeãt veritatis auditores explicans, varia hominũ ingenia, variaq. ſtudia, & conſuetudines, exponit. Alios ait mathematicis intentos, niſi quæ certiſſima ſunt admittere. alios vero, Poetis aſſuetos, vnico teſtimonio Poetarum contentos exiſtere. Subtexuit deinde: *Opportet peritum eſſe, quomodo ſingula admittenda ſunt, quoniam abſurdum eſt, ſimul ſcientiam, & modum ſcientiæ quærere.* Neutrum autem facile accipere poteſt. Moralium Nicomachiorum diſputationem pertractans Ariſtoles, huiuſquoque meminit. Habent propria præcepta ſcientiæ: habẽt & artes. habet quinetiam ius Principatus. Atqui, veluti ſtatuarius non tantum lapidum naturam, in quibus hominum, & animalium formas, ſtudet effingere, verum & eruditionem, ac inſtitutionem, qua noſcat, & lapides & quæ ad elaborandos illos attinent, callere oportet. Fabrum ferrarium non ſolum ferri naturam neceſſe eſt nouiſſe, verum quomodo illud intorqueat, quo modo emolliat, ne quid perperam agatur, ne ve incongruum quid fiat. Nec ſecus Princeps materiam, in qua poteſtatẽ exercet, & ius principatus, debet nouiſſe. Hæc autem ſunt populi, ſuntq. familiares ſerui, totaq. eius familia. Deficit ille Princeps, qui populo regendo inſudat, familia propria neglecta. Herodi vitio vertunt Scriptores,

Cap. pri.

In proem. & c. 3.

quod in populis regendis, prudentiſſimus licet fuerit, in familia tamen gubernanda, omni caruerit vigilantia, atque prudentia. Omiſſis vxore, & filijs, de ſeruis nunc dicamus, quos Aulicos communi nomine ſolemus appellare. Id vero vt facilius a nobis fiat, a nominis ſignficatione ordiamur. Aulici, vt rē aggrediamur, ab Aula dicti ſunt Aula autē, nomen eſt Græcū, Αὐλὴ, quod proprie Caulā, Stabulū, Ouileq. denotat. Athenæus, magnæ doctrinæ auctor, hoc nomine διαπνεόμενον τόπον, hoc eſt, locum perflabilem ventis, ſignificari ſcripſit. Vnde apud Homerum ſemper Subdialia per id intelliguntur. Hinc & Aulas pro Regijs domibus, & Palatijs frequenter ſolemus vſurpare. Ea de cauſſa, vt quamplurimis viſum eſt, quoniam ante ſe habeant ſubdialia, & ampla loca. Homerus locum, Aulam dictum deſcribens, aptum ad deambulandum fuiſſe aſſeuerat, diuo expoſitum, omni penitus carens tegumento, vbi altare Iouis Hircæi aderat. Ab hoc igitur tranſumptum eſt nomen, vt diximus, ad Principū habitationes. Quoniam huiuſmodi domus, ante ſe talia habent loca. Nunc autem, communi loquendi more. Aulam eam domus partem appellamus, quæ Atrium dicitur Latine, vulgo Sala. Domus igitur tota Principis, appellatur Aula, quæ & Palatium nuncupatur. Quod nomen ſortitum eſt, quia in dorſo montis Palatini Romæ, primum principium habuit Roma, in eaq. parte vt plurimum Reges habitarunt, deinde Conſules, ac Imperatores. Et hæc eſt cauſſa, ob quam Principis domus, Palatium dicitur. Id placuit etiam Plinio, vt apud illum legimus, quinto libro. Non me latet, nonnullis viſum fuiſſe, Principis domum, nomine Atrij appellandam fore. Quæ ſententia quomodo conſiſtere poſſit, non ſatis intelligo: libenterq. ab alijs ſemper addiſcam. Feſtus Pompeius, antiquitatum peritiſſimus, apud priſcos Atrium primam domus partem fuiſſe, teſtatur, quæ habet Thalamum ſpatioſum in meditulio, in quem locum cadit aqua, quæ ex toto tecto colligitur. In qua parte olim antiquiores comedere ſolebant, ianuis apertis. Vbi etiam vaſa aurea, & argenta, imagines, ac tabellæ pictæ, ſeruabantur; nec non imagines veterum, atque peripetaſmata. De imaginibus illis loquens Iuuenalis, ſic cecinit:

Stemmata quid faciunt, quid prodeſt, Pontice, longo
Sanguine cenſeri, pictoſq. oſtendere vultus?

Communi demum vſu, Atrium dicimus Aulam. Ab Aula igitur Aulici dicuntur. Quinetiam appellantur Curiales, (liceat mihi his vocibus communibus vti, vſu permittente) Cur vero ſic dicantur, ſi perſiſtamus in vi ſermonis Latini, non eſt facile iudicare. Dicerem

ego,

ego, (doctiorem ſemper deſiderando ſententiam) olim Romæ duo fuiſſe loca ad negotia publica pertractanda, vti res vel ſacræ erant, vel profanæ. Locus ille, qui addictus erat curæ rerum, & negotiorum profanorum, vbi ſcilicet Senatus Reipublicæ curam habebat, Curia appellabatur. Ille quinetiam, in quo de rebus ſacris agebatur, curaue habebatur illarum, Curia dicebatur. His rationibus, iure, Sanctiſſimi Domini Papæ Conſiſtoriū ſacrū, vbi Illuſtr. & Reuer. Domini Cardinales, cum Summo Pontifice, de rebus ſæculi, & ſacris agunt, ſumma cura, & vigilantia, Curia poteſt appellari. Ceterum, quoniam in Principis domo de rebus agitur publicis, curaq. illarum præcipua ibi habetur, ideo Curia appellatur, & ſerui Curiales dicuntur. Primus omnium, qui his vocibus ſit vſus hac ſignificatione, vt lectione conſequi potui, fuit Pius Pontifex Maximus, in eo libello, quem de infelicitate Curialium inſcripſit. Curiam appellauit Principis domum. eius vero ſeruos, ac familiares, Curiales dixit. A Curia, colligendo quæ dicta ſunt, Curiales; & ab Aula, Aulici dicti ſunt, Principum familiares, & ſerui. Ab Atrio autem Atrienſes. Nō me latet, nonnullos voluiſſe, Aulicum, & Atrienſem idem eſſe. Hoc autem Ciceroni minime placuit. In Paradoxis, ſeruos illos, qui aſſiſtebant, & præficiebantur curæ ornamentorum curiarum Atrienſes, non autem Curiales, aut Aulicos, dici voluit. Verum hæc parū referunt. Ad rem redeuntes propoſitam, dicamus, Aulicorum ſtatum eſſe nobilem, honoreq. fulgentem. Fulget radijs gloriæ, & ſummi honoris Princeps: his & Aulici quoque ſplendeſcunt, quemadmodum Solis luce ſidera ſplendent, & lucida exiſtunt. Accidentia dici entia, quia primi entis ſunt qualitates, affectiones ve, ac illi accidunt, dixit Ariſtoteles in libris Diuinorum. His nobis indicans, imperfecta, ſi perfectis inhæreant, perfectionem conſequi. Regina Sabæorum, Salomonis Fama, veluti acutiſſimis ſtimulis, excitata, in Palæſtinam vbi peruenit, & tanti Regis ſplendorem fuit admirata, felices ſeruos eſſe dixit, qui illi ſeruirent Regi. Aulicos illos reputauit felices, magni Regis gloria fulgentes. Dignitas, gloria & honor sūt, quæ dum hac fruimur luce, (humana loquor) nos beatos faciunt, felices reddunt, ea felicitate, quam actionibus noſtris conſequi poſſumus, vt Philoſophi ſcripſerunt. Hinc fit, vt nihil optatius, nihil antiquius, illis nobis accidere poſſit. Polycratus ſolebat dicere, non ſine cauſſa Honorem cum aſpiratione, H. ſcilicet, a nobis ſcribi: Quoniam, vti nota illa aſpirationis H, vehementi cordis aſpiratione pronuntiatur; ita ſane, animi quodam impulſu, & deſiderio ingēti, ad honorem conſequendum excitamur. Parit deſideriū iſtud auſus quoſdā inopinatos, vireſq. hominis. eximias. Hinc euenit, vt Famæ periculū attentare non vereātur. Seneca, Hiſpaniæ decus, in Mo-

7. Con. 1.

Polycra.

ralibus diſciplinis abſolutus. Famam apud poſteros ſuiq. memoriã perennem precabatur, a Deoq. efflagitabat, Statius vitæ huius gloriam, honorem, & Famam benignum iter ad ſæculi futuri ætate m ſtatuiſſe ſcripſit. Et Ouidius:

Statius.

Ouidius.

Non paruas animo dat gloria vires,
Et fecunda facit pectora honoris amor.

Hæc autem cum ita ſint, is qui Principis famulatui ſe dat, ſummę debet eſſe virtutis. Non decet Mimum, Scurram, Vaniloquum, Ineptum, Hebetem, Impudicum, ad hunc accedere famulatum. Aula Principis non eſt locus hominibus iſtis, ac ſimilibus aperiendus. Iis eſt dandus, qui ſunt capaces honoris, & gratiæ, ope virtutis, & ſtudiorum. In quibus Principis gratia, & honor fulgens, ſplendorem parere poteſt. Emittat Sol radios in lutum, in cœnum, Fætor percipietur: quod ſi Flores, Roſas Lilia tetigerit lumine, ſtatim fragrantia oritur. Percutiat terram, nihil emicare videbimus. Irradiet ſpeculum, cryſtallum, ac ſimilia corpora, & gemmas, lumen, cuius entia huiuſmodi participiant, maiores acquirendo vires increbreſcit. Scintillat, magiſq. ſplendeſcit, oculos afficiet magna voluptate. In ijs virtus luminis fit cõſpicua, vt in alijs corporibus: ab ijs diuerſis & oppoſitis minime, aut vix apparet. Extollat Princeps immeritũ; boui clitellas imponit, iuſtitiaq. reclamante omnes actionem hanc contemnunt. Honoribus ditet ſtudioſum, Principis honorantis, & eius, qui honore locupletatur, gloria ſcilicet, omnibus fit conſpicua, & ab omnibus commendatur Principis actio. Alexander Macedo Ariſtotelem: Claudius Nero, Senecam: Cæſar Virgilium; honoribus afficientes, plurimam ſunt apud omnes conſecuti laudem. Honor eſt præmium virtutis. Monſtrum eſt in natura, ſi vitiorum fiat præmium. Prudentia ſit præditus Aulicus vigilantia, ſollicitudine, promptitudine, comitate, vrbanitate ſit affectus, vt Principi ſeruiendo ſit carus, ceteriſq. Aulicis gratus. Iam ego nunc illos conuenio Aulicos, qui, ſtatim, ac officio functi ſunt, cui Princeps, dominus ve illos deſtinauit, a curia exeunt, quaſi & Principem, & ſeruos pati non poſſe videantur. Mercenarij ſignum eſt iſtud. Amor mercenarius hoc facit, vt tantum ametur dominus, quanta eſt merces. Tamdiu perdurat famulatus, & amor; quandiu perdurat ſtipendiũ. Amor ingenuus, laborem ignorat; æſtus, & frigora non percipit; incommoda neſcit. Hic animum Principis allicit; hic cor illius funibus quibuſdam amoris ſuauiſſimo nexu deuincit. Decet omnes patientia, decet omnes caute loqui. Patientia opera inchoata abſoluit, duriſſima frangit, omniaq. difficillima vincit. At ob hæc ideo conuenit,

hæc virtus Principum ſeruis. Cum intra domeſticos parietes viuimus; ſi impatientia quædam male agimus, vel non maximum facimus damnum, vel ſaltem non admodum contemnimur. At dū Principi ſeruimus, minima quantumuis actio, quæ impatientia ſit obliqua, dedecus, & damnum, nec mediocre, nobis affert. etenim maior in homine deſideratur perfectio in curia viuēte, cum viris claris degente, quam cum ſuis domeſticis verſante. In Curia non tam facile toleramur; at domi multa nobis donantur. Adde, quod temporis, & occaſionis importunitas poterit eſſe cauſſa, vt gratia Principis amittatur, quam ſummis ſudoribus vnuſquiſque ſtudet comparare. Seneca, interrogatus, quomodo ſenuiſſet in Aula, quod raro, & paucis ſolet contingere; *Iniurias* reſpondit *accipiendo, & gratias ſemper agendo.* Impatiens nec ſibi, nec alijs prodeſſe nouit. cum facili de cauſſa iræ det locum, inuidia excitatur, non ſuſtinendo tempus, quo a Principe honoretur. Qui autem caute loquitur, nemini detrahit, mendacia vitat, rixas neſcit; laudem conſequitur. Debet Aulicus Echo imitari, quæ numquam, niſi vocata, reſpondet. Loquatur rogatus. Illa proferat ſolummodo, quæ petuntur. Innumera propemodum ſunt damna, quæ a loquacitate proueniunt. Hæc non memoro, breuitati ſtudens. Id dumtaxat dicam, quod a Socrate moniti ſumus. *Loquere, vt te videam*, dixit ille. His verbis oſtendens, animi imaginem quandam eſſe ſermonem noſtrum. In longa autem elocutione difficile eſt non inuenire peccatum. Labitur multa proferens facili negotio in detractionem, aut ſaltem in inimicorum maledictionem. At Principi nihil horum placere poteſt. Laudabit ſilentem, qui, occaſione neglecta, nec inimicum contemnet. Loquacem deſpiciet, qui garrulitate tædio afficit, qui temeritate omnia ſuſdeq. fert labijs, & lingua Laudabit inimicos, laudantē iuſte, ſiquidem animi affectum in illo, nihil obeſſe veritati, cognoſcet. Timeat, & amet Principis ſeruus. Amet virtutem Principis; timeat magnitudinem illius. Et, ſi affabilem deprehenderit dominum, humanitate non abutatur; ſed ita reuereatur maieſtatem; vt affabilitatem perſentiat. Humanitate ita fruatur, vt maieſtati non deroget. Timeat autem ſemper, quid paritura ſit dies futura. Meminerit, gratiam Principum ſummo labore acquiri, & facillime amitti. Adeo, vt dicere poſſimus, nil difficilius vt acquiratur, nil facilius vt perdatur ab homine Principis gratia. Carus fuit Alexandro Ariſtoteles. Claudio Neroni Lucius Seneca: Tiberio Serranus. horum tamen miſerrimam perniciem fama vbique nuntiat. Id forte ſibi voluit ſapiens ille, dicens: Melius quiſque Regibus foret incognitus, quam amatus. Inſtabilem prædicant gentiles Fortunā; at incōſtantiſſima eſt hominis voluntas, quē odio habet hodie,

die, cras diliget. quod nunc diſplicet nobis, iam iam exoptabitur. Dulcis forſan ſpes nutriens hominem, conſtanter ſperare iubebit. At caueat, ne, ſpe deceptus, vana timenda ſperet, & timeat ſperanda. Mutatur facillime animus humanus, eoq. promptius, quo a pluribus concutitur, vti Principis mens. Has ſe cum reputet Aulicus difficultates, & vitam moderabitur, moribuſq. componet animum, vt illas valeat ſuperare, & ſuperando gloriā conſequi. Noſcat Princeps quos eligit ad ſui famulatum, illis vſurus. Procul ſint adulatores ſerui. Honoribus ditetur, non qui ſuauius modulatur, aut arte, & ingenio adulatur. ſed qui maiori præditus eſt ſapientia, & moribus. Peſtis, & morbus, animum occidens eſt adulatio, vt retro explicauimus. Polycratus curialium adulationis comites facit fraudē, proditionem, mendacium, & dolum. Dauid Rex, propriæ conſulēs ſaluti, de ijs loquens, dixit: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Muſicam non ſperno, ſed aio ſat fuiſſe Principi, ſi modulamina audierit. Philippus, Alexandro iactanti ſe, quod cecinisſet, dixit: Sat eſſet, ſi ei tempus permitteret, muſicam audiendi. Qua in re, nō poſſum Ateam, Scytharum Regem, probare. Is, cum Iſmeniam, Tibicinem optimum, in bello cepiſſet, & iuſſiſſet illum canere; ceteris admirantibus, iurauit ipſe, ſibi iucundius eſſe audire hinnitum equi. ἄμουσος, erat, vt Græci dicunt: ideo muſicam ſpernit. gratus erat ei hinnitus equi, qui præſentibus Philippi legatis, equū proprium fricauit, vt aptiorem ad bellum Philippo ſe eſſe oſtenderet. Muſicam laudo; at Principem magis ſapientum colloquijs intentum eſſe debere quam cantui, & modulationi, aſſero. Præmia danda fore muſicis, non nego. at, iuſtitia Geometrica, ſapientes honoribus, & gratijs honeſtandos eſſe, affirmo. Ambitioſos repellat a Curia Princeps. *difficile* namque *eſt*, dicebat Cicero, *poteſtatem cupienti ſeruare æquitatem. facillime impellitur ad res iniuſtas, qui fauoris; & gloriæ cupidus eſt.* Munerum receptores ſeruos repellat Princeps. Vbi enim munera locum obtinent, ibi, iuſtitia exulante, iniuſtitia reperitur frequēter, ne dixerim ſemper. Ibi negotia adulterino ſtudio perperam tractantur, maleq. abſoluuntur. Noſcat ſuos Princeps, benigne illos tractet, ſtudioſos foueat, doctos extollat. Hoc modo vitium deprimetur, ſtudia, & virtutes extollentur. Primo itaque ſic abſoluto, ſecundum aggredior.

Prin-

Principi, notitiam Populi neceſſariam eſſe.

Caput XI.

VT familiam noſſe debet Princeps, ita ſane populum ignorare dedecet. Cuius natura tanto eſt cognitu difficilior, tanto laborioſius habere præcepta quibus regatur, quanto ab vnitate recedit morum, animorum, & ſtudiorũ; & quanto magis continuis mutationibus eſt addictus. Atqui, veluti nauta, portu ignorato, litori allidit; ſcopulis ignoratis, appellit, naufragiumq. facit: contraque cognito portu, & ſcopulis, arte nauigandi præditus, hos euitat, in illumq. ingreditur: Ita Princeps, plebis, vulgi, & ciuium natura ignorata, fere in continuo, verſatur periculo. Illa cognita, præceptiſue imbutus, qui bus animos allicit, & temperamentum aſſequitur regendo, tutam agit vitam. Incertum, ac inſtabile eſt vulgus nouarum rerum cupidũ ſemper præteritum, vt futurum, negligens, præſens dumtaxat reſpicit. Nulla regitur prudentia, nullaue animi virtute. Impetu ducitur Belluarumq. more graditur. Hoc Cicero voluit, dicens: Plebem beſtiam eſſe, multa capita habentem: perinde, ac ſi dixiſſet: Vulgus ratione, conſilio & electione carere: & ſolum ſenſus appetitu operari, nulla inſpecta veritate. Semper nouo inordinato appetitu huc, & illuc, fluctuando ferri. Ponat ſibi quiuis ante oculos mare vndis ſpumoſis feruens; varijs ventis validiſſimis agitatũ; & non timebit ſe ſe undis committere? Audebit ne forſan, oram ſoluere? Sibimet pollicebtur ſalutẽ? Multitudo indocta, diſciplinarũ ignara, Plebs, Vulgus, eſt vaſtũ Mare, procellis turbinibus agitatũ, numquã non fluctibus inuidiæ, ſuſpicionis amoris proprij, negligentiæ boni publici, perturbatum. Confuſio eſt filia multitudinis: quoniam vbi multitudo indocta, ibi pertinax opinionum varietas; ibi mutatio ſententiarum, ſemperq. in contraria receſſus.

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

Dixit ille Poeta, vocis nomenclaturam ſecutus. Vulgus ita eſt dictum, quod inconſtanter, & in conſulte, huc & illuc voluatur, omnibus nouis moribus, & euentibus facillime aſſentiendo, eoq. magis, ſi quid triſte affertur. Peculiare eſt animis noſtris, vt facilius imprimantur imaginibus rerum triſtium, atque nocentium; diuq. illas retineant, quam iucundarum, atque proficientium. Qui vero animo ſunt depreſſo, vti plebs, & vulgus, proniores ſunt ad mala timẽda, quã ab bo- *Virgil.*

ad bona ſperanda. Hinc euenit, quod, cum triſtia feruntur, vulgi aſſenſu, Fama vires, ac vitam acquirit.

Sic quiſque pauendo
Dat vires famæ, nulloq. auctore malorum
Quæ finxere timent

A timore autem oritur ſuſpicio. nam ſuſpicio, eſt timor paruus, ac deminutus. Facile timet vulgus, nec modum ſeruat timendo. Ita, ſperando, modum neſcit. Et ſicut in proſperis inſolenter ſe gerit, ita in aduerſis animo conſternitur.

Sperare in aduerſis,
Horat. *Timere in proſperis*

Auream eſſe mediocritatem, ſcite cecinit Calaber ille Poeta. Hominum vulgus virtutis inſcium, relicto medio ſequitur extrema: Ira memor beneficiorum acceptorum, durum, & peruicax in petendo; cum quiduis minimum ex ſententia ei non accidat, clamat, contemnit, nouũ poſtulat Principẽ, nouũ concupiſcit Dominium. Quod ſi Princeps ei iudulgeat, quæ poſtulat concedendo; tunc Diademate, Sceptroq. relictis ſeruiet, non dominabitur populis. Hæc ſunt, quæ fluctus in Regno excitant atque regendi onus rerum mutationi ſubijcit, quam dicunt Ethnici Fortunam. Mutatio hæc, ima negligens, abiecta non intuens, alta reſpicit.

Horatius. *Summos feriunt*
Fulmina montes.

Munitiſſimas Arces, ac Theſauros paruipendit. Principatus Regna & Imperia, quæ diu incolumitate perpetua ſeruata ferunt illæſa, deſtruit, demolitur, funditus euertit.

Vt alta ventos ſemper percipiunt iuga
Sen. in oedip. ep. 92. *Imperia ſic excelſa fortunæ obiacent*

Scripſit magnus ille philoſophus, Nihilq. ab ea intentatum relinqui; alibi idem dixit. Idem habet ius aduerſus Imperia, & imperantes. Eius opera ruunt Regna, quæ & bellis domeſticis, & externis inconcuſſa ſteterunt. Sæpe Regna & Reges ruunt aut inſcitia, aut negligentia, aut rationis deficientia hominum, quibus Reges, dum ſplendore fulgent, ac Principes, ſe dederunt. Multo ſane magis, cum cæperũt ad inferiora deſcendere nimirum, cum gloriæ & ſplendoris vires immi-
Lib. 36. nui inchoarint. In hanc deſcendens ſententiam Liuius, ſcripſit, Regũ maieſtatem difficilius a ſummo faſtigio ad medium detrahi, quam a medijs ad ima præcipitari. Odijs, inſidijs, proditionibus æmulationibus ad Regna euertenda, ac immutanda ſunt aptiſſima. Olim Regnis adiuncta fuiſſe odia credidit Seneca, qui hæc ſcripſit;

Simul iſta mundi conditor poſuit Deus,
Odium, atque Regnum.

Regi inſidiæ, locis autem munitis parantur proditiones. Nota ſit Principi natura populi, cognita natura finitimi, immo & vniuerſi. finitimi quidem ob negotia; vniuerſi autem ob mores: animi effe-ctus omnibus ſolent eſſe communes: nouerit proprij mores, & naturam, vt voluntates ſubiectorum poſſit tute poſſidere. Loca munita, auri copia, licet quamplurimum poſſint ad Principis cuſtodiam, & defenſionem, nihilominus nullum certe, aut opportunius, aut validius excogitari poteſt medium pro Principis, & Dominatus munimine, cordium, & voluntatum ſubditorum poſſeſſione. Poſſideat Princeps corda populorum; inſidiæ, proditiones, odia, ei non nocebunt. Loca munita, arces, aggeres, valla tutum faciunt Principem; ſed non omnino. Hæc ſiquidem proditionibus, & arte poſſunt alterius Principis dominio ſubdi, aut bombardis deſtrui; at hominum corda proditionibus, ac machinis illis minime poſſunt euerti. Aurum ſuis viribus multa pollicetur Principi; verum ipſum quoque fugit a nobis, & fluit inuitis. Corda amantia perſeuerant, atque ſtabilitate immobilia permanent. Mercenarius tamdiu ſeruit, quamdiu viget auri vis, & potentia. At qui voluntarie famulatur, ſemper, & vbique Principi ſeruit. Ille, venalis exiſtens, maiori copia auri donatus, Dominũ proprium ignorat; hic auri malleo inconcuſſus ſolum proprio domino ſeruire, ac pro illo vitam nedum pecunias, geſtit effundere. Plato operationum efficaciã huic amori adſcripſit, decens. *Ab eo quod placeas hominibus, actionum efficacia eſt.* Tutum igitur præſidium, ditiſſimus Theſaurus, cuſtodia incorruptibilis, ac inuincibilis, eſt populi amor erga Principem. Quare hic primo a Principe comparandus eſt lenitate, beneficijs, & indulgentia. Eccleſias. hortabatur ad hoc Principem illis verbis. *Rectorem te poſuerunt. noli extolli. eſto in illis, quaſi vnus ex illis.* Siquidem comitate, & benignitate, prouocari officia, etiam Tacitus teſtatus eſt. Plinius principem illum laudauit, quoniam, patrem imitando quaſi cum liberis viuebat. Plutarchus, Traianum inſtruens, benignitatem in illo deſiderat; & amore populi abundantem cupit eum eſſe, ſicq. cum populo ſe habere, vt abſens, ſui relinquat deſiderium. Seneca vero non aliam faciem Principis, quã ſereni, ac nitentis Cæli debere eſſe ſcripſit. Remiſſiuſq. imperando facile fore, vt populi obediant facilius. Titus, magnus plane Imperator; multis virtutibus commendatur, quibus antiquos æmulari, ac ſuperare contendebat; at præcipue clementia, & manſuetudine laudibus eſt elatus. Antoninus Pius adeo manſuetus fuit, vt, inſtãtibus amicis ad perquirendos illos, qui contra ipſum coniurauerant, dixerit. Non eſſe neceſſe indagari tanti ſceleris cupidos, ne, ſi plures reperirẽtur, notũ eſſet, a quantis haberetur odio. Atqui beneficẽtia animos ſemper captiuos facit, ſed tum maxime, cum ab oneribus,

Ad Dionẽ. epiſ. 17.

Tacitus.

Plinius.

Plutarcus.

Seneca de Ira.

quibus premitur, liberatur populus. Etenim,vti oneribus cum gra uatur, Principem habet odio; ita ab onere liber, illum amore proſequitur populus Roboam geſta id nos docent,cui ita reſpondit po-
3. Reg. 12 pulus pronuntianti dura: *Quæ nobis pars cum Dauid? vel quæ pars cum filijs Iſai? in tabernacula tua Iſrael, nunc vide domum tuam Dauid* Et aſperitate onerum totum fere Regnum amiſit, & qui magnus Rex erat, Regulus factus eſt. Manſuetudine igitur, lenitate, ac beni-
4. *Hiſto.* gnitate ſit Princeps præditus, precipue in oneribus imponendis,quibus populus ſentit ſe grauari. Indulgeat erratibus; illud Taciti memo
Epiſt. 96. ria retinens, Romanos plus valuiſſe voluptatibus apud populos, quã armis. Vulgo (dicebat Seneca) quæ ſunt ludicra,ac iucunda,vt pueris omnibus arrident. Hæc forte meditati antiquiores (vt refert
Arm. 14. Tacitus) ſpectaculis oblectabantur. Quæ omnia illo temperamento debent eſſe condita vt incolumis ſemper exiſtat Principis honor, ne ue humilitate amorem, neue terrore reuerentiam captet qui imperat, dicebat Plinius, neue morum corruptela inde ſequatur. Familiaritatem matrem eſſe contemptus, commune teſtatur edagiũ. Lenitatem nimiam peccandi anſas quamplurimas populis præbere, nullus eſt, qui ambigat. Populus ille, qui nouit, apud Principem gladium iuſtitiæ eſſe reconditum, atque erugine obſcurum, & nullum eſſe illius vſum, fit temerarius, & ad mala perpetranda promptus, nec eſt crimen quantumuis enorme, quod facile non iudicet. Vulgi hæc eſt natura, vt Principis abutatur clementia; & oderit peccare
Stobæus. non virtutis amore, ſed formidine pœnæ. Hoc voluit & Cotys Rex Thracum, cuius mentionem facit Stobæus, de regno ſcribens, qui, ſe ipſum alloquendo, & increpando, aiebat, *furor eſt hic, non Regnũ.*
2. *Off.* *At meus hic furor ſubditos ſanos reddit.* Legi Ciceronem tantum ſeueritati tribuere, vt ſine illa Remp. adminiſtrari non poſſe exiſtimarit. *Adhibenda eſt Reip. cauſſa ſeueritas, ſine qua ad miniſtrari ciuitas nulla poteſt.* Legi etiam apud Senecam. *Ciuitatis mores magis corrigat parcitas animaduerſionum.* Et illud ſemper audiui laude dignum eſt illud, ſi pœna ad paucos, metus vero ad omnes peruenit. Vniuſq. improbi ſuplicio, multorum improbitatem corrigi. At hæc alibi explicata fuerunt ſcilicet, miſcendam eſſe ſeueritatem cum clementia Nunc de abuſu, iuris Principatus paucula admodum exponamus.

De Principe abutente poteſtate.

Caput XII.

PRoprijs terminis,certiſq. limitibus iura principatuũ eſſe concluſa prçteritis diſputationibus apertum fecimus. Iam vero,quoniam contingere poteſt,vt Princeps,nimis commodo priuato intentus,& ſtudio authoritatis, qua fungitur, augendæ, nimis anxius, ad extrema declinando dominium in tyrannidem vertat, iureque ſuo ſit abuſus;nunc illa ſe ſe nobis offert diſputatio,quomodo populus cũ Principe iure abutẽte habere ſe debeat.Vt vero tractatio hæc ordine,& facilitate nõ careat,ordiamur primo a voce hac *Tyrãnus.* Ab optimis profecto diſciplinarum præceptis longe recederem, ſi vocem, quæ multiplicitate ſignificationum mentem dubiam reddere valet, non diuiderem in ſuas acceptiones. Age rem eggrediamur. TIRANNVS non ea apud veteres, accipiebatur ſignificatione,qua nos frequenter vti ſolemus.Ipſi denotabant Regem,& Principem in bonam partem(vt dicunt)loquendo, qui plenam haberet in ſubditos poteſtatem, nomine Tyranni. Ab initio, ſi Trogo credimus, vti fides certe eſt adhibenda, ciuitatum, & locorum dominiũ penes eorum fuit, quos non popularis ambitio, ſed probata,& ſpectata inter bonos moderatio, ad maieſtatis huius faſtigum prouehebat.Hi, ob fortitudinem, vocabantur etiam Tyranni. Hac ſignificatione Poeta noſter accepit vocem illis verbis·

Pars mihi pacis erit,dexteram tetigiſſe Tyranni. 7.Aene.

Frequens, in ſacra pagina, eſt talis acceptio huius vocis. In Heſter legimus: *Primus Regijs Principibus, ac Tyrannis* Apud Iob quoque: *Qui non accipit perſonam, Principum, nec cognouit* Tyranum. Cap.6. Cap.34.
In Ezechiele quinetiam *Congregabo aduerſum te vſque nobiles Tyrannoſq.* In Daniele.*Tyrrannorum pueros,in quibus nulla eſſe macula.*Alibi Cap.25. Cap.1.
Miſit ad congregandos Satrapas, & Duces, & Tyrannos. Ariſtophanes Cap.3.
Iouem appellauit Tyrannum Deorum, Regem nimirum.Mox Tyranni nomen ad illos ſolum reſtrictum fuis, eisue aptatum, qui inſolenter Imperij iure, poteſtateq. dominij ab vtebantur, & vi 2.Off.
quadam, non legibus ac iure dominabantur. Sic ſenſit Cicero dicẽs. *Huius Tyranni. quem armis oppreſſa pertulit Ciuitas* & Ouidius: 1.Metam.

Et inhoſpita tecta tyranni

Diu hæc in valuit acceptio,& in preſentiarũ de hac ſit ſermo noſter,

Plutarchus pauca quædam, & ſparſim Tyranni vitam plenam anxietatis, timoribus circumuallatam, deſcribit. Siquidem Clearchus Ponticus Tyrannus vt quieſceret, in arcam ſe abdebat. Argiuus Ariſtodemus in cenaculum habebat portam penſilem, ſupra quam lectulum locauerat, in eo autem cum Amica dormiturus vtebatur ſcala, vt lectulum conſcenderet. Quam mater cum aſcendiſſet, auferebat. mane demum vt deſcenderet, afferebat. Horrebat hic Theatrum, Pretorium Curiam, conuiuium, qui cubiculum in carcerem mutauerat. Docens idem Phloſophus diſcrimen inter Tyrannum, & Regem, aiebat. Regem ſuis timere, ne ſcilicet quid mali

In præ.poli. eis eueniat, ſemper ſollicitum eſſe. Tyrannum ſuos metuere, ne ab illis lædatur. In ijs, quæ ad Traianum eleganter, & docte conſcripſit, Tyrannos adeo populis eſſe exoſos, dixit, vt a populis trucidati, ſectaque membra in partes, & igniq. combuſta, cineres tandem Ventis, ac mari fuerint expoſita & diſſipata. Dum agit de ſuperſtitione, hæc ab illo ſcripta legimus: *Nam Tyrannos quoque ſalutant, colunt, ſtatuas eis aureas ponunt, interim eos oderunt in animo, atque interfectos cupiunt.* Et de liberata vrbe Thebis. & Socratis Dæmonio Thaletem illum, reuertentem ad ſuos introducens, qui rogatus ab amicis, quidnam vidiſſet noui, ita reſpondit *Tyrannum, inquit, ſenem. etenim, etiam quem nulla priuatim perculit iniuria, is tamen ſupercilio, & acerbitate colloquij offenſus legibus ſolutarum eſt hoſtis poteſtatum.* diſputatione illa. Cum Principibus eſſe philoſophandum. Tyrannorum deteſtandam deſcribens naturam, amicos illorum ait fuiſſe trucidatos, eo, quod Tyrannis aſſentientes multos illo aſſenſu interfecerant. De tarda autem Dei vindicta Tyrannos Dei carnifices appellauit, illis verbis; *Nempe abuſus eſt nonnullis etiam vindicibus aliorum improborum carnificum loco Deus, inde aſſumpſit eos, vt, ni fallor, magna ex parte Tyrannos. nam vt Hyene fel, Phocæ coagulum, aliarumq. dirarum beſtiarum aliquid habent, contra morbos medicaminis; ita quibuſdam, quibus morſu opus eſt caſtigatione, his inijcit acerbitatem Deus Tyranni implacabilem, vel aſperitatem horridam magiſtratus, nec ante aufert aculeum, & telum, quam ægrum purgauerit, & curauerit. Huiuſmodi Phalaris fuit Acragantinis medicamen-*

Dia.8.9. *tum, & Romanis Marius.* Plato de Republica ſcribens copioſius egit de Tyranno. Vbi enim Socrates (hunc loquentem introduci) de Regia optimatum vita tractauit, multa etiam contraria, nimirum de

Lib.5.c.10 & 11. Tyrannide differit, vt illam, tamquam optimam ſequamur: hanc vero, tamquam miſerimam, & deteſtandam fugiamus. Ariſtoteles, de Politicis loquens, de illa luculenter diſputat; & in Schola Plalonis eruditus, de ortu, de quidditate Tyrannidis, deligentiſſime loquitur, & omnia (vt hominis eſt mos) exacte pertractat. Hos ſequamur excul

tiſſimos

tiſſimos philoſophos, quoniam vt arbitror nihil perperam, ſed cuncta recte,omniaq. accurate agentur. Incipiamus,obſecro.

Quid Rex Quid Tyrannus ſit.

Caput XIII.

Diſtantia habent principia, valdeq. inter ſe differentia; ac oppoſitas proprietates, Rex, & Tyrannus. Rex a nobilioribus ortum ducit,ab excellentia virtutis;vel rerum geſtarum, a virtute prodeuntium; vel ab excellentia proprij generis; vel a beneficijs collatis. Omnes enim,qui antiquitus Regno potiti ſunt,ad illudq. vocati, his de cauſis,vel aliqua illarum, ad tale faſtigium euecti fuerunt: Quoniã ſcilicet apud ciuitates magna poſuerunt beneficia, & apud illarum incolas. Vel,qui facultatem habuerunt talia conferendi beneficia, ſeruatiſq. populis,ne in ſeruitutẽ venirent,vti Codrus. Alij a ſeruitute liberatis Reges ſunt conſtituti, vti Cyrus. Alij, quod vrbem cõdidiſſent. Vel quod regionem aquiſiuiſſent. quemadmodum Lacedæmoniorum,Macedonum,& Moloſſorum Reges, ad culmen tanti honoris elati fuerunt. Atque,vt Ariſtoteles refert, poteſtas Regia pro tutela præſtantium virorum contra populũ reperta fuit. Quæ ſane ſententia, & diligentiori egeret diſcuſſione, & limitatione. Hæc dicta ſint in gratiam Saul, & Dauid Regũ a Deo electorũ,qui quomodo poſſint conuenire cum dictis Ariſtotelis, vnus quiſque videre valet. Tyrannus vero ducit originem a populo,ac multitudine,contra nobilitatem,vt populus ab illis non patiatur iniuriam. Vt plurimi facti ſunt fere Tyranni ex ductoribus populorum, fidem conſecuti ob calumnias, nobilitati illatas.Alij etiam facti ſunt Tyranni ex Regibus transgredientibus patria iura, & nimis affectantibus dominari. Alij ex electis ad præcipuos magiſtratus.Antiquitus enim populi diuturniores conſtituebant adminiſtrationes, & procurationes. Alij ex paucorũ potentia,eligentium vnũ aliquem ad maximos magiſtratus.Omnibus iſtis modis fuit facultas hominibus Tyrrannidem incipiẽdi,exercendi,& perficiẽdi.Vel ſcilicet potentia ſibi præexiſtẽte, vel Regia poteſtate,vel honoribus a populo exhibitis; ceu Phydõ apud Argos,& alij alibi Regiã poteſtatem habentes, Tyranni facti ſunt. Circa Ioniam Tyrannis honores exhibiti, vt Phalaridi, Panætio quoque in Leontinis, & Cypſelao Corinthi & Piſiſtrato Athenis, ac Dioniſio Syracuſis, & alijs populi fauore, apud quem multum

multum erat illorum auctoritas, vi, aut Rempublicam opprimendo, aut leges traſgrediendo. Tyrannis namque nil aliud eſt, niſi imperiũ illegitimum vnius, violentia populis imperantis de proprio bono ſolliciti. E contra, Regnum eſt imperium legitimum vnius, honeſtum, communeq. bonum populorum, ei libere obtemperantium quærentis. Atqui vti principia ſunt diuerſa, vnde orta ſunt iuſta Imperia, & tyrannides; ita Tyranni & legitimi Principes fines habent diuerſos, vt nunc diximus, Regnum & Tyrannidem definiendo: diſſimileſq. omnino ſunt illorum actiones. Curat Rex, ac inuigilat, vt diuites nihil iniuſtum patiantur, nulla populus afficiatur iniuria, ac contumelijs. Tyrannus autem nullam reſpicit communem vtilitatem, niſi forte illa in proprium vergat commodum. Tyranni obiectum eſt, quod placeat; Regis vero, quod ſit honeſtum. Finis Tyranni, ſunt pecuniæ, quoniam, ijs dumtaxat violenter dominando, ſeruat dominium. Conductas cuſtodias his retinet, quæ ſunt peregrinorum (nam Rex a proprijs cuſtoditur, Tyrannus a peregrinos) cuſtodias, inquam, pecunia retinet, ſumptus facit in illis educandis, vt nulla in parte confidat populo ſuo. Hanc ob cauſſam, proprijs ciuibus adimit arma, populi multitudinem conculcat, atque ab Vrbe relegat, & expellit, vacuam habitatoribus reddens Ciuitatem. Adhæc, vexat nobilitatem; clam, & palam euertit, exilio illam expellit, veluti aduerſarios, & machinantes contra potentiam propriam. Id eſt, quod conſulendo Periander docuit Thraſibulum, ſimilitudine ſpicarum. Dixit ille. *Supereminentes ſpicas ei eſſe decerpendas.* His ſignificando, opportunum eſſe, eminentiores, præſtantioreſq. ciues e medio tollere. Aduerſus hos iniri conſilia ſolent frequenter, vel ea de cauſſa (ſic illis timor inſuſurat ſemper, & ſuadet) vel quod fugiant ſeruitutem, vel quod affectent dominari. Adhæc, perimunt ſapientes, timentes ne veritatem populis perſuadendo, illos amoueant a ſeruitute. Periander apud Corinthios, & alij apud Perſas tyrannica barbarie populos opprimentes, nullas permittebant comeſſationes, ſodalitates. Diſciplinas ipſas oderunt. Omnia cauebant, cuncta abhorrebant, quibus ciues amicitias, intelligentiam, & fidẽ ſolent ſibi comparare. Scholas inſuper, ac Gymnaſia, conuentuſq. ſcholaſticos fieri non concedebant, & omnia faciebant, vt ciues inter ſe incogniti eſſent, cum cognitio fidem inter homines pariat. Periandri ſatellites vbique apparebant, circumcurſabant huc, & illuc; vt exploratum eſſet, quod vnus quiſque ageret. Hieron exploratores ſubmittebat, quos traductores, & auricularios nuncupabat, vbicumque fieret congregatio, aut conuerſatio aliqua, vt ei notũ eſſet, quid congregati dicerent. Et, quoniam non euertitur Tyrannus, vbi animi adſunt puſilli; ſiquidem nullus parui, & imminuti animi, con-

mi, contra dominantem inſurgit, ciues vero conuentu amicitias faciunt, amorem excitant, ac ſibi ipſis cre lunt; potentes vero audẽt, ſperant, ac magna operantur: ideo Tyrannus, vti cœtus, & congregationes non permittit, ita, vt animos imminuat inter ciues, & amicos, fidem omnẽ euertat, amicos amicis facit infeſtos, ſanctæ amicitiæ fœdus calumnijs, & diſcordia ſcindere curat diligenter, plebẽ nobilibus, nobiles plebi facit inimicos, aura adulterina, fucataq. gratia, diuites diuitibus odioſos, ſubditos pecunijs ſpoliando, diuitijs priuando, pauperes reddere nititur. Hi, inter ſe inimici, pecunia exhauſti, diuitijs priuati, animo conſternati, moleſtijs occupati, conſilia contra Tyrannum nequeunt inire. Huius rei fidem faciunt, quæ ab antiquis legimus geſta Tyrannorum præceptis. Pyramides Aegypti, Olympi ædificatio, Piſiſtratidis facta, & Polycratis opera circa Samum. Verum, cur Pharaonis tyrannidem, qua populum Dei premebat, ſilentio prætereo? Duriſſima ſeruitute illum vexabat, continuis angebat occupationibus, ne tempus ei ſuppeditaret quietem, qua animum recipere poſſet, & conſilium inire, pro recuperanda libertate. Dioniſio dominante Syracuſis, illius ciuitatis habitatores, quinque annis in ſoluendis tributis cunctas conſumpſerunt facultates. Atque, vt omittam, quod Tyranni mulieres potentes eſſe curant domi, vt ſecreta maritorum reuellent; dicã, quod ſeruos libertate donant, vt dominorum recondita arcana nota faciant. Bellum excitant aliquando, vt, Ducis penuria, populi ad ipſos confugiant. Amicis carent, quia adulatoribus gaudent, & oblectantur. Peregrinos in conuiuia, & familiaritatem, magis, quam proprios, inducunt, quoniam hos habent hoſtes, illos vero non aduerſantes ſibi. Talis eſt igitur Tyrannus, qualem deſcripſimus; & talia ſunt, quæ ab illo fiunt, vt ſeruet tyrannidem, ſe ipſumq. tueatur. Noui etiam, Tyrannidem ſeruari alia via, huic quam retulimus, oppoſita. Etenim, quemadmodum Regnum corrumpitur, vbi ad Tyrannidem reducitur; ita e contra, Tyrannis ſeruatur, vbi ad regimen Regium refertur, ea tamen lege, vt potentia illa retineatur, qua non modo volentibus, ſed nolentibus poſſit dominari. Hac abiecta Tyrãnis amittitur, deſinitq. eſſe Tyrannus. Hoc iacto fundamento, baſiq. firmiſſima, aſtu æmulando Regiam adminiſtrationem, commune cõmodum ſecundæ huius ſpeciei Tyrannus fingit curare. in donando, temperiem illam aſſequitur, vt ciues, a quibus cenſus accipit, laborantes propria tenuitate, ægre non ferant. Rationem inſuper reddet ſumptuum, ac donorum: quod a quibuſdam Tyrannis factum fuiſſe legimus, vt iuſtus Princeps, non Tyrannus, tali adminiſtratione habeatur. Redditus, ac cenſus, nec non impenſas, diligentia, & induſtria apparere, omnibuſq. patere ſtudebit diligentis regiminis

gratia

gratia; atque, ſi occaſio adſit, illis vti ad bellicas neceſſitates. Adeo, vt, tamquam cuſtos, & quæſtor, pecuniarum publicarum videatur, non autem poſſeſſor, ac dominus ſuarum. Anxie autem præ ceteris illud efficere conatur, vt aſper non iudicetur, ſed honeſtus, & grauis. Vt obuijs nō eſt timori, ſed potius reuerentiæ, iſq. habeatur, a quo nullus ciuium contumelia afficiatur, atque nullus aliorum, qui circa ipſum exiſtunt. Eodem modo honorabit mulieres alienas, vti proprias. Contumelia namque mulierum, multas tyrannides olim perijſſe teſtantur hiſtoriæ. In corporis voluptatibus temperamentum aſſequetur, memor, ſobrium non facile contemni, ſed ebrium. Non facile inuadi vigilantem, ſed ſtertentem. Ciuitatem cuſtodiet, & tamquam diligens curator, ei operam nauabit. Dei cultui, ac honori deditum eſſe, oſtendere conabitur, vt minus ſuſpicentur populi iniuſtum ab eo fore faciendum, exiſtimantes, Deum ab illo timeri. Minus etiam audebunt contra ipſum inſurgere, eo quod habeat propitium Deum. Adeo homines honorabit, qui in aliqua re egregie ſe geſſerint, vt pro certo habeant nūquam maioribus affici poſſe honoribus, a ciuibus ſuis in libertate viuentibus. In pœnis infligendis, & honoribus exhibendis, omnino diuerſus erit, & oppoſito, ac contrario ſtylo vtetur. Honoribus ipſe ditabit ciues, pœnis autem per alios afficiet. Verum, quoniam communis vnius cuiuſuis cuſtodia Principatus eſt, neminem preceteris magnum facere; ideo plures extollet, inter quos aſſidua erit æmulatio, vnuſq. alium viciſſim obſeruabit. Quod ſi, impellente neceſſitate, vnus erit extollendus, ille honoribus efferetur, qui non ſit audax; cum is ſuapte natura pronus ſit ad inuaſiones. In minuenda autem ſubiectorum potentia, ſenſim, & pedetentim, arte vtendo, operabitur, non autem vnico impulſu. Caute puniet, maxime ſi plectendi erunt, qui honorem magnifaciunt. Damnum allatum in pecunia, auari ſolent ægre ferre; in honore autem, qui eiuſdem ſunt cupidi. Hos emendabit paterno amore: & ſine contumelia animaduerſio illorum fiet. Cum vero ciuitas ex duabus partibus coagmentetur, ex inopibus, & opulentis: maxime de vtriuſque cogitandum erit, vt diligenter omnia fiant. Hæc eſt ſecunda Tyrannidis ſpecies, qua vtitur ille, qui potentiam retinendi ardet deſiderio: qua potentia volentibus, & nolentibus dominatur. Hæc Tyrannis (vt diximus) perdurabit ea ratione, quoniam, Regiàm poteſtatem æmulando, prope ad illam accedit. Mitior eſt prima, quoniam illa omnino eſt atrociſſima, vna tamen, & altera deteſtabilis. Tyrannorum mala præuidens Samuel, populo Iſraelitico, Regem poſtulanti, hæc dixit;

1.Reg.c.8. *Hoc erit ius Regis, qui imperaturus eſt vobis. Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietq. ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum.*

ſuarum. & conſtituet ſibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum, & curruum ſuorum. filias quoque veſtras faciet ſibi Vnguentarias, & Focarias, & Panificas. Agros quoque veſtros, & vineas, & olineta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis. Sed & ſegetes veſtras, & vinearum fructus addecimabit, vt det Eunuchis, & famulis ſuis. Seruos etiam veſtros, & ancillas, et iuuenes optimos, et Aſinos auferet, et ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit, voſq. eritis ei ſerui, et clamabitis in die illa a facie Regis veſtri quem elegiſtis vobis, et non exaudiet vos Dominus in die illa quia petiſtis Regem. Abominabilis eſt igitur Tyrannis, ac execranda, quæuis illa ſit, legibus, opponitur, & ideo dominium dicitur paſſim illegitimũ.
Cum vero legitimum quattuor modis dicatur imperium, ac dominium acquiri. Vel ſucceſſione, vt dicunt, legitima. Vel electione populi, facultate præditi dominum eligendi. Vel aliqua gratia, ſeu,
vt dicitur, priuilegio, aut conſuetudine, ne iura Summi Pontificis, *Cap. nouit.*
ac Imperatoris lædantur: quod fieret, vbi aliqua ciuitas, carens hu- *de iud.*
iuſmodi gratia, alicui domino ſe ſubijeceret, vt docte adnotauit Hoſtien. Vel aliquo legali iuſto titulo, vt puta donatione, præſcriptione, permutatione, emptione, iuſto bello, ac ſimili. Ita, e regione, illegitimus ille erit, qui nec exiſtet donatione, nec præſcriptione, nec emptione, nec iuſto bello, nec inſtitutione ſuperioris, nec populi electione, nec ſucceſſione. Qui ſic dominium habet, iniuſte illud retinet, & tenetur reſtituere omnes redditus, quas ex locis ſic vſurpatis accipit. Nec ei niſi in licitis ob ſcandalum euitandum populi obedire obligatione deuinciuntur: vt C. Iulianus. eſt videre.
Homicidæ ſunt, vt per proprios miniſtros morte puniunt homi- *11.q.3.*
nes. Poſtremo, (& hoc tamquam auctarium accedat (illegitimum, *23.q.5.*
etiam illud cenſetur dominium, non ſolum indebita acquiſitione, ſed inofficioſa adminiſtratione, ac violenta. Quibus ita conſtitutis, quærendum eſt, an Tyrannis ſit tollendus, an potius e medio tollendus. An ſit illi parendum, an vt reſtituendum.

Nomine autem Tyranni non tantum accipio illum,
qui illegitima ſucceſſione, & alijs cauſis ad-
numeratis dominium habet; qui vi oppri
mendo dominium eſt conſecutus;
verum qui iuſto poſſidet titu-
lo, & poteſtate abuti-
tur ei a Domino
elargita.

Ccc An Ty-

An Tyrannus ſit tollendus, an tolerandus.

Caput XIV.

QVæſtio propoſita plures habet partes. Scilicet, An ſit parendum Tyranno, An tolerandus, An occidendus. Series tres erunt argumentorum: quarũ altera attinebit ad obedientiam, altera vero ad tolerantiam, tertia ad occiſionem. Primum accipiendo, probemus, quod ei non ſit obediendum. Sic arguamus. Principi parendum eſt, quoniam a Deo eſt illi poteſtas data; at Tyrannus illicite eam vſurpauit: igitur nullus famulatus, nullumue obſequiũ eſt illi præſtandũ. Atque, vti ratione originis deficit hæc poteſtas, ita etiã ratione finis, eſt manca, deficiẽs, ac mõſtruoſa. Data eſt Principi a Deo poteſtas in commune bonum, dum præcipit, & quia percipit nobis, boni communis gratia. Ei paremus, quoniam præcipit, & ea poteſtate vtitur, cuius gratia illi data fuit huiuſmodi poteſtas. At Tyrannus non communi bono, ſed ſibimet conſulit, præcipiendo: iccirco ei non erit obediendum. Inſuper, ciuis licet id, quod ſibi vi, aut dolo, aut furto, ablatum fuit, recuperare, occaſionem nactus; at Tyrannus vi, ac iniuſte dominium habens, præcipit, igitur, occaſione adueniente, poterit ſubditus non obedire, atque ab illo deficere. Preterea, nullus tenetur ei obedire, quem laudabiliter, & licite poteſt interficere: ſed ſubditus poteſt interficere Tyranum laudabiliter: igitur non tenetur ei obedire. Minor probatur teſtimonio Ciceronis laudantis Iulij Cæſaris interfectores, atque infra latius patebit, Deo adiuuante. Ad hæc, obedientia eſt animi motus. Quod ſi animus mouetur, ab aliquo mouebitur. Quidquid mouetur, ab liquo moueri, eſt axioma, & dignitas, ab omnibus conceſſa. Mouetur obediendo aliquo præcipiente, qui autem præcipit, iuſtitia duce præcipit: iuſtitia igitur erit id, quod primo mouet. At, quoniam, ut Ariſtoteles docta
8. Phy. diſputatione docuit, in libris de motu, magis mouet, quod primo mouet, quam id, quod ſecundo, ideo primum, ac præcipuum mouens in hoc animi motu erit Iuſtitia. Quemadmodum natura conſtantia virtute proprij motoris cientur. Grauia, & leuia a generante per ſe, a remouente prohibens per accidens. Animalia a propria anima neceſſitate naturæ. Ita anima mouetur ad obediendum alicui, neceſſitate iuſtitiæ, iuſtitia autem, quo anima deuincitur ad parendum, eſt partus, oriturque a prælatione, ac poteſtate hominibus data ſeu

ta, ſeu magis a Dei ordinatione. Verum, quoniam Princeps violentia, & oppreſſione hanc potentiam eſt adeptus, vel ea abutitur præcipiendo aliquid, quod aduerſatur ei, cuius gratia a Deo fuit data, nimirum virtutis, communiſque boni; (Ad hæc inducêda, & ſeruanda Principibus fuit donata) vel quod præcipiat aliquid, ad quod Ordo, & poteſtas non ſe extendit & non debet ei ſubditus parere. Et ſi Tyrannus etiam Remp. inuaſerit, & poteſtatem ſit aſſequtus illicite, ſubditus immunis eſt, nec tenetur ei obedire, niſi forte ſcandali vitandi gratia. Hoc concluſit Riccardus de Media villa Hoc placuit Sancto Thomæ. Cuius hæc ſunt verba. *Dicendum, Principibus ſæcularibus intantum homo obedire tenetur, inquantum ordo iuſtitiæ requirit; & ideo, ſi non habēt iuſtum principatum, ſed vſurpatum, vel ſi iniuſta præcipiant, non tenentur eis ſubditi obedire, niſi forte per accidens, propter vitandum ſcandalum vel periculum.* Quarto quinetiam Sentent. loco nunc adducto, ſatisfaciens quartæ rationi, ait: *Ad quartum, dicendum, quod, qui per violentiam prælationem accipiunt, non ſunt vere prælati, vnde nec eis obedire tenentur ſubditi, niſi ſicut dictum eſt.* Huic ergo non tenentur ſubditi obedire, etiam ſi honeſta imperet, & quæ licent: niſi aut conſilio, aut euitandi ſcandali gratia, vt diximus. Hæc docuit Pater Ambroſius, cuius verba referuntur c. Julianus, ſic ſcribens; *Iulianus Imperator, quamuis eſſet Apoſtata, habuit tamen ſub ſe Chriſtianos milites: quibus cum dicebat, Producite aciem pro defenſione Reipublicæ, obediebant ei. cum autem diceret eis, Producite arma in Chriſtianos, tunc cognoſcebant Imperatorem Cæli.* Quod vero iuſte poſſit occidi Tyrannus, ita videtur ratione poſſe concludi. Omne imperfectum, eſt in gratiam perfecti, vt in libris de Motu dicebat Ariſtoteles, natura id docente. Hæc namque miſcet elementa; elaborat, & præpolit miſcelam, vt animatum efficiat. Elementa itaque ſunt in miſti gratiam, miſtum vero in gratiam animati. Vegetalis in ſentientis animæ, hæc in Rationalis gratiam producitur. Primo viuimus vitam plantæ, mox bruti, nouiſſime hominis. Omnis autem pars ad totum ordinata eſt, tamquam ad perfectum. quoniam partes, cum toto comparatæ, materiæ naturam recipiunt, totum vero formæ naturam redolet. Primo Cæli dicebat Ariſtoteles: totum, & perfectum idem ſunt. Perfectio autem rei, eſt eiuſdem forma. Cū itaque pars ſit in gratiam totius, qua de cauſſa membrum putridum reſecat medicus, ſaluti totius conſulens, ex populo autem, & Principe vnum totum conficiatur poterit ſane Tyrannus interfici, cum ſit pars peſtilens, a qua totum corrumpitur. Plato, naturam Tyranni conſideras, Parricidam, & ſacrilegum eſſe, aiebat octauo de Rep. in calce. Alibi autem Tyranni rapinas, & furta in parentes ſcripſit. Corinthi viris lege cautum fuit (adeo execrabilem, & peſtiferū

Margin notes: 2. Sen. diſ. vlt. — 2.2 q.104. — 11.q.3 — 8. Phyſ. — Plat de Re.

hominem Tyrannum iudicarunt) ne quis à Tyranno munera acciperet. Qui hæc legerit, reuocet in memoriam ea, quæ referuntur a Plutarcho de Dionyſio ſeniore. A Corinthijs legati ad illum miſſi fuerunt. hos cum Dionyſius muneribus vellet honorare, recuſantibus, ne legi vim inferrent patriæ, dixit: *A Corinthijs illud vnum bonum quod Tyrannus habet, aboleri.* Cum itaque ſit peſtis, ac monſtrum in natura, iure quidem dicet aliquis, cuiq; licebit, eum interficere. Præter hæc ita ſecundum naturam eſt in Republica, vt innocentes non occidantur, ſicut, quod peſtilentes, & facinoroſi interficiantur. Etenim, vt illis augetur, ita hiſce imminuitur, & corrumpitur. Iam vero, cum Tyrannus ſit peſtis, & corruptio legum, & Reipublicæ, ſecundum naturam erit, illum e medio tollere. Nouiſſime, Ariſtoteles, de Politicis ſcribens, & de moribus diſſerens, hominem moribus deprauatum, corruptum appellat hominem: idq; non immerito. *Homo, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Cecinit Sanctus Propheta. Bruto ſimilem facit Dauid, ego vero (liceat, obſecro, mihi hoc addere) tanto eſſe hominem bruto deteriorem, peiorem, ac magis nocuum, quanto ingenium habet potentius, mentiſq. acumen validius, ad inuenienda plura media, eademq. nocentia, vt ceteris ſit infeſtus. Si ſecundum rationem viuit, homo dicitur, ac viuere, & exiſtere, ſui ipſiuſmet gratia. Si ab hoc viuendi inſtituto recedit, a ſe degenerando, brutum efficitur. Hæc cum ita ſe habeant, vti, hominem occidere ſecundum rationem viuentem, eſt illicitum; ita, e regione, illum interimere, qui, a ſe degenerando, beſtiarum induit formam, vtique licebit. Porro, cum tyrannidem exercens, in Feram immaniſſimam ſit mutatus, illum licebit interficere. Hęc ſunt argumenta, quibus perſuaderi poſſe videtur, Tyranno non obediendum eſſe, & occidendum a quolibet. Atqui vtrauis ſententia nimis rigida, prior limitationis eſt indigens, ſecunda diſputationem, & diſcuſſionem exactiorem, deſiderat. Primã accipiamus caſtigandam.

7. lib. & pri. eth.

Quomodo Tyranno ſit obediendum.
Cap. XV.

PRopoſitæ diſputationis concluſio ſatis aperta eſt, nec aliquod nobis faceſſet vt credo, negotium. Quæ ex Patre Ambroſio adduximus, manifeſtam facere poſſunt veritatem, omneq; euellere ſcrupulum. Dicendum eſt Tyrannum vel eſſe illum, qui iniuſto titulo dominium habet; vel qui iuſto

titulo

titulo dominus eſt, poteſtate autem a Deo ſibi data abutitur. *Si lo-quamur de Tyranno primo ſenſu accepto*, ſubditus non tenetur ei obedire, niſi vitandi ſcandali gratia, aut periculi effugiendi ſtudio. Siquidem, vt Beatus Thomas aiebat, Principibus ſæcularibus ea ratione eſt obediendum, quoniam iuſtitiæ ordo requirit. Porro, cum talis Princeps (ſi Princeps dici debet) poteſtatem vſurpanit, non eſt ei parendnm, niſi cauſſis iam expreſſis. Iniuſto titulo Dominium habet: ideo nec iuſte actus iuſtitiæ poteſt exercere. liceṫq. facinoroſos puniat, crimen committit homicidij, vt colligitur ex verbis Patris Ambroſii 23.q.5.c.poſtremo. Iam vero, ſi ſermo ſit de Tyranno abutente auctoritate, vel ſcilicet quod iubeat virtuti aduerſantia, pro cuius munimine, & ortu, data fuit ei talis poteſtas; non ſolum, vt inquit Sanctus Thomas loco iam citato, non tenentur non obedire; immo tenentur non obedire. Eutycianus Papa dixit. *Si quis Epiſcopus, aut Abbas Præsbytero, aut Monacho ſuo, iuſſerit Miſſas pro Hæreticis cantare, non licet: non enim expedit obedire ei.* Et Pater Auguſtinus idem confirmat 11.q.3. Beatus Hieronymus hortabatur ſeruum ad obediendum domino iuſta præcipienti; & ad reſiſtendum iniuſta præcipienti. Hæc ſcripſit ille Pater Beatus. *Si dominus ea iubet, quæ non ſunt aduerſa ſanctis Scripturis, ſubijciatur domino ſeruus. Si vero contraria præcipit, magis obediat ſpiritus, quam corporis domino.* Et infra etiam: *Si bonum eſt, quod præcipit Imperator, iubentis exequere voluntatem. Si malum, reſponde, oportet Deo magis obedire, quam hominibus.* Et Pater Auguſtinus: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei reſiſtit ordinationi. Sed, quid, ſi iubeatur, quod non debeas facere? his ſane contemne poteſtatem.* Donatiſtis quoque ſcribens, dicebat, Si Imperatores verſarentur iu errore, & pro errore leges ſancirent aduerſus veritatem, eorum legibus non eſſe parendum. In pſalmos, repetens ea, quæ ex Sancto Ambroſio huc ſunt relata, eadem habet. Si vero imperet id, qood poteſtas non patitur, vt ſi exigat tributa, a quibus iure immunis eſt populus; non tenentur ſubditi obedire, neque non tenentur, non obedire. Adductæ rationes nihil aduerſantur huic doctrinæ. Demonſtrant, Tyranno, qui violentia poteſtatem eſt aſſecutus, obediendum non fore vnam excipio) quod & nos concedimus, hæc vero talis erat. Nullus tenetur obedire ei, quem licet interficere. De hoc iam iam ſumus diſputaturi: quod etiam ex Cicerone excerptum adducitur, a nobis eſt aperiendum: & eſt ſecundum caput huius propoſitæ diſſertationis.

4. Sen.

11.q.3. c. ſi quis monuit

Ca. non ſemper.

In ep. ad Titum.

11.q. 3.c.ſi dominus.

Cap. qui reſiſtit ibidē.

An Ty-

An Tyrannus ſit interficiendus.

Caput XVI.

MAiorem habet difficultatem altera hæc pars propoſitæ quæſtionis, & ideo exactiori eget indagine. hæc autem maiorem expoſtulat laborem. Grauiſſimi Doctores interſe diſſident, ab illorum autem diuerſa doctrina, negotium arduum coniecta. hos referam; mox, quid ſenſerim, quid ve ſit dicendum,
Ca.6.pr. li. explicabo. Sanctus Thomas de Regimine Principum de hæc egit
q.42. ad 3. materia: quinetiam 2. 2. nonnulla ſcriptis commendauit: Quarto in ſuper Sentent. vltima diſtin. q. 2. quartæ occurrens rationi. Do-
5.q.1.ar. 3. minicus Soto, celebris Theologus, de iuſt. & iur. Ambrſius Ca-
Cap.14. tharinus in Epiſtolam Beati Pauli ad Romanos. Illuſtriſſimus Caietanus. Silueſter in verbo Tyrannus, ac alij quamplurimi, & omnes, ait Sotus, (at, qua ratione ſic ſcripſerit, ignoro) in hanc deuenere ſententiam, ſummaq. diſputationis hæc eſt, (Catharinum excipio) Tyrannum, vt retro diximus, duplicem eſſe. Vel, qui vi, & oppreſſione iniuſte poteſtatem illam fuerit conſecutus, & iniuſto titulo fruatur dominio: vel, qui legitimo titulo ſit Princeps, & poteſtate abutatur. Cum itaque duæ ſint Tyrannorum, Tyrannidiſq. ſpecies. Si loqoamur de prima ſpecie, de Tyranno ſcilicet, qui titulo iniuſto poteſtatem habet; licet vnicuique illum occidere impune. Cum natura id nobis concedat ſuo iure, vt vim vi poſſimus repellere. Porro, ſi quis Rempublicam inuaſerit, eamq. oppreſſerit, quæ numquam aſſenſerit; quandiu ſic domnatur, tandiu bellum gerit contra Rem publicã, iccirco ſubditus eũ poteſt occidere. Hac de cauſſa laudatur
3 Iud. Aiot, qui Eglon occidit, vi, ac tyrannide populum Iſraeliticum opprimentem. Eadem ratione commendantur Iulij Cæſaris interfectiores, qui Rempublicam vſurpauerat, necnon qui Tarquinium occidit, & Reges eiecit, a Cicerone. Verum, ſi loquamur de Tyranno, iuſto titulo Regnum poſſidente, abutente poteſtate; ſecus eſt ſentiendum. Communis, ait Sotus, eſt conſenſus, nemini licere Tyrannum occidere priuatim. Ratio eſt, quia is habet ius proprium dominij, quo priuari non debet, niſi publico iudicio hoc fuerit decretum. Cum vero lata fuerit in eum ſententia, poterit vnus quiſque miniſter fieri iuſtitiæ, illum occidendo. Adhæc, ſi Tyrannus quempiam ex ciuibus aggrediatur, illum interficiendi gratia, vel bona eius rapiendi;

piendi; ciuis ille, vim vi repellendo, poterit, illum occidere. conclu dit, quod, vbi tyrannide huiuſmodi premitur Reſpublica, ſi ſuperiorem habet poteſtatem, ad eam confugiendum fore, vt moderetur, ac remedium afferat. Quin minus, poterit ipſa met armare manus in Tyrannum. Et hoc ſenſu accipiendam eſſe Concilij Conſtantiẽſis ſanctionem, ſeſſione vigeſima quinta, Ioannis Hus poſitiones illas pe ſtilentiſſimus damantis, inter quas hæc vna erat. Cuilibet ſubiecto impune Tyrannum liceræ interimere. Inquit Sotus, & ante illum. Illuſtriſsimus Caietanus, Verba Concilij de Tyranno, iuſto legitimoq. titulo poſſidente, intelligenda fore. His omnibus addens (timide, & dubie locutum eſſe, indicat) hæc verba: *At vero, etſi forſan ſummo rigore iuris hoc liceat, non tamen conſilium eſt ſemper, niſi vbi Reſpublica, nulla alia patente via, tum in extrema ſit neceſſitate, tum præcipue in promptu habeat, vt illo extincto, liberetur, quia alias huiuſmodi interfectiones, non ſolent proſperos habere ſucceſſus. Immo interfectores, quando id priuata auctoritate exequuntur, peius, peſtilentiuſq. in Rempublicam debacchari ſolent, quam prior faciebat Tyrannus. Qua ratione anus illa Syracuſana incolumem Dionyſium optabat. Ne, ſicut ipſe durior alteri Tyranno ſucceſſerat, ita & immanior ſuccederet ei.* Hæc Sotus. Ambroſius Catharinus, loco citato, doctrinam hanc aſpernatus, Beatiq. Thomæ relictis ſcriptis, à quibus procuLdubio nec latum, vt aiunt, vnguem, debebat recedere, aliam habuit ſententiam. Credidit ille, nemini licere Tyrannum occidere, ſiue iniuſte dominium fuerit aſſecutus, ſiue iuſto titulo dominetur, poteſtate tamen abutatur. Ad hanc autem aſtruendam ſententiam, nonnullis vtitur rationibus, quarum primã accipiat a Concilio Conſtantienſi, in quo errores Ioannis Hus, vt diximus a Patribus damnati fuere. Verba ſunt hic referenda: ſiquidem illis tamquam ſaxo adhærens Doctor iſte, propriam arbitratus eſt tueri ſententiam. *Quilibet Tyrannus* (ſunt verba Hus) *poteſt, & debet licite, & meritorie occidi, per quemcumq Vaſſallum ſuum, vel ſubditum, etiam per clancularias inſidias, & ſubtiles blanditias, vel adulationes, nõ obſtante quocumq. præſtito iuramento, ſeu confederatione factis cum eo, nõ expectata ſententia, vel mandato iudicis cuiuſcumq. Aduerſus hunc errorem ſatagens hæc ſancta Synodus exurgere, & ipſum funditus tollere, declarat, & definit, huiuſmodi doctrinam erroneam eſſe in fide, & in moribus ipſamque tamquam hæreticam, ſcandoloſam, et ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, periuria, vias dantem, reprobat, & condemnat. Declarat inſuper, & decernit, quod pertinaciter doctrinam hanc pernicioſiſſimam aſſerentes, ſunt Hæretici, & tamquam tales, iuxta canonicas ſanctiones puniendi.* Hæc leguntur in Concilio citato, vbi pronuntiata ſententia damnationis triginta articulorũ Ioãnis Vuiclef, articulus iſte, Seſſ. 15. illos ſequens, reprobatur. Ponderat hunc locum Catharinus, obſeruando,

uando, in verbis nullam apparere diſtinctionem: ſed vniuerſalia ſunt omnia, omnem Tyrannum complectentia. Damnāt Patres (inquit ipſe) Hus poſitionem, hi autem loquebantur generice. Hoc docent verba illa: *Quilibet Tyrannus poteſt, & debet licite, & meritorie occidi*. notula illa *Quilibet*, cum ſit ſignum vniuerſale, vt Logici dicunt, facit ſubiectum vniuerſale; & quod huic eſt conſentaneum, propoſitionem vniuerſalem. Porro cum. Hus loquatur generice; & patres, tamquam hæreſim, peſtiferam huiuſmodi aſſertionem damnarint; non eſt, cur dicamus, illos accipiendos eſſe Tyrannos, qui iuſto titulo poſſidentes dominium, abutuntur poteſtate; non autem, qui vi Rempublicam oppreſſerint. Adde, quod non eſt priuati, iudicare Principem, vtrum iure, an iniuria regnet. Dominus facit regnare Hypocritam propter peccata populi. Licet autem ex parte ſui, iuſte
2. Cap. non imperet, nihilominus iuſte plectitur populus, ſub eius tyrannide
Matth. 23. exiſtens. Prima Beati Petri hæc leguntur: *Obedite Principibus, etiā diſcolis*, ideſt grauibus, & duris. Poſtremo, ſiſcitantibus diſcipulis. Num Cæſari eſſet dandus Cenſus, ReſponditDominus, vt numiſma Cenſus oſtēderent. quo exhibito, dixit. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei Deo.* Perinde, ac ſi dixiſſet: Vos confitemini Cæſarem Dominum veſtrum eſſe, illi ergo date Cenſum, Tributumq. reddite. His concludit, opinionem Soti, Caietaniq. ante Sotum, eſſe noxiam, & ſeditionis parentem. Etiam aliquando fructus huiuſmodi quibuſdam in locis peperiſſe. Ineptam etiam appellat Caietani gloſam illius loci, licet paſſim defendatur. An vero Catharinus recte ſcripſerit, & caute; An ve doctrina Soti ſit a reprehenſione immunis, conſideratione id eſt oſtendedum.

Catharini Sotiq. doctrinæ examen:

Caput XVII.

EGo, vt ingenue loquar, quemadmodum Catharino non aſſentior, ita quæ afferuntur a Soto, minime ſum amplexus. Siquidem, vt video, Ambroſij Catharini rationes eſſe inefficaces, nihilq. concludere: ita coniecto quamplurima deſiderari in doctrina Soti. (pace tantorum doctorum hæc dicta ſint, quos ego ſemper honore, & exiſtimatione commendandos fore duxi, & prædicaui) nec, quo modo Sotus placita Beati Thomæ fuerit ſecutus, mentemq. illius aſſecutus, poſſum videre. Hæc a nobis inpræſentiarum ſunt explicanda

plicando Catharini rationes, & doctrinam perpendo. Prima huius Doctoris ratio eſt Patrum ſententia, in Concilio Conſtantienſi: quæ, vt ipſe quoque, veritate coactus, non potuit non fateri, parui quidem eſt ponderis. Damnatur impuriſſimi Hus poſitio, grauibus admodum ſcaturiens erroribus. Primo namque, quod homo læſus, affectuſq. iniuria, eum puniat, a quo læditur, atq. contumelijs afficitur, eidē conuenire, refragatur rationi. Quinto Ethic. negauit Ariſtoteles, iudicium homini affectibus prædito, ſed legibus instructo dedit. Sic enim dicebat. *Propterea non ſinimus dominari hominem, ſed rationem, eo quod ſibi ipſi id facit & Tyrannus euadit.* Ille, qui iudicat, omni animi affectu prorſus debet vacare. Id Dominus in Euangelio nos docuit. Diſcipulis dicentibus; *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; quid ergo erit nobis? Reſpondit: Sedebitis & vos, ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Iſrael.* Id & Natura magiſtra addiſcimus. Opera eius ſpectemus. Pupillam diſcolorem fecit, quia colores iudicare debebat. Guſtum ſine ſaporibus. Iſthmon ſine odore; Tympanum auris, ſine ſono; quia guſtus ſapores, Iſthmon odores, Tympanum ſonos iudicaturum erat. Ad ſummam temperiem primarum qualitatum, carnem internam redegit. Vt qualitates ſentiendo, poſſet percipere, ac de illis promere iudicium. Quare nō licebit cuiuis, impune Tyrannum occidere, vt Hus perperam aſſerebat. Inſuper non eſt munus cuiuſuis, hominem errantem occidere. nam ſat non eſt, iuſtum facere, niſi iuſte fiat. Deuteronomij in libro legimus, Dominum, Moyſen alloquentem, hæc protuliſſe: *Iudices, & magiſtros cōſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per ſingulas Tribus tuas, vt iudicent populum iuſto iudicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies perſonam, nec munera, quia munera excecant oculos Sapientum, & mutant verba iuſtorum. Iuſte quod iuſtum eſt perſequeris, vt viuas, & poſſideas terram, quam Dominus Deus tuus, dederit tibi.* Iuſtum iuſte faciendum eſt, inquit Dominus. At iuſte corripitur delinquens, ſi ab illo plectitur, qui poteſtate eſt donatus. Ideo dicebat Sanctus Paulus, a Principe gladium portari in malefactorum vindictam, & in honorem bonorum. Verum, dicet aliquis, Si hæc ita ſe habent, qui fieri poteſt, vt Catharini ſententia vera non ſit, quam confutandam fore diximus? ſi quilibet ſubiectus caret poteſtate, Tyrannum interficiendi: male colliget, qui ſic arguet. Latum certe eſt diſcrimen inter Tyrannum, qui ſit verus dominus, nihilominus Rempublicam regat in propriam vtilitatem, onera populis imponendo; & inter illum, qui armorum vi, aliaue ratione contra leges Dominium vſurpauit. In illo poteſtatem a Deo collatam conſpicis; & qui poteſtati reſiſtit, Dei ora-

Cap. 6.

Cap. 16.

 tioni

tioni reſiſtit. In hoc, ordo talis deſideratur. Aliunde aſcendit, & non per oſtium. Hic bellum habet contra omnes Reipublicæ viros iniuſtum; e regione, hæc contra Tyrannum bellum iuſtum habet. Cum igitur in primo poteſtas, & ordinatio Dei Optimi, & Maximi refulgeat; ideo impie ſentit, qui aſſerit, impune, licite, & meritorie a ſubdito occidi poſſe, ab eo ue, qui poteſtatem non habet. Qui hunc occidit, publica vtitur poteſtate, reſiſtitq; ordinationi illi. Harum rerum minime inſcij Patres, damnando hæreſim Ioannis Hus, dicentis, quemlibet Tyrannum licite, & impune poſſe interfici, notula illa *Quemlibet* acceperunt quemcumque vi Rempublicam opprimentem, omiſſa illa diſtinctione, tamquam nota, & vulgata. Quare prima ratio Catharini nullius eſt momenti. Secunda nonnulla continet, quæ vera ſunt; nonnulla æquiuoca diſtinctionis indigentia. Dicebat ille. non eſt priuati hominis Principem iudicare, an iuſte regnet, an iniuria. Verba hæc prima facie videntur cum veritate conuenire. Nec enim priuati eſt hominis, Principem iudicare, & ad inſtar Aſinæ Balaam, maiorem incuſare, ac increpare. Iudicium fit a maiori iudicante inferiorem. Hoc ſenſu accepta, veriſſima eſt propoſitio: & ſenſu hoc accepta, eſt admittenda. Verum intellectus iſte verborum, ſupponit pro firmo, atque pro conſtanti habet, quod ille verus ſit Princeps, verus Dominus. Qui vero iudicatur ſit vere Priuatus, fiatq. iudicium, veluti ſi Iudex pro Tribunali ſedeat. Siquidẽ, ſi verus non fuerit Iudex, veruſq. Princeps, ac Dominus; & publica vtatur auctoritate, vt diximus, notaq. ſint eius ſcelera, illa propoſitio nullum habebit locum. Cum autem Priuatus interimit inuaſorem Reipublicæ, vi, Tyrannideq. Principis auctoritate vtentem; facit hoc publica auctoritate. Sed, quæ ſequuntur, attendamus. *Dominus* (addebat ille) *facit regnare Hypocritam propter peccata populi*, dicebat Iob. Licet ipſe ex parte ſua iuſte non imperet, nihilominus iuſte plectitur populus, ſub eius Tyrannide exiſtens. Et beatus Petrus, *Obedite præpoſitis, etiam diſcolis.* nimirum duris. Quod Deus populorum peccata puniat Principis prauitate, dubium non eſt. Peccata populi Iudaici, Saluatorẽ Crucifigentis puniuit Romanorum armis. Idolatriam, & alia ſcelera eorum, armis Iabin, & Madianitarum. Vocatur Aſſur Virga furoris Domini, cuius viribus populi a Deo ſũt percuſſi flagellis. Hæc ſunt, quę prolixiori diſputatione leguntur 23 verũ inde non ſequitur, quin Tyrannus poſſit occidi. Cũ ait Catharinus, Iob verba citando, Deus facit Hypocritã regnare, Reſpondeo, quod facit regnare Tyrãnum, iuſto Titulo, iureq. Dominiũ aſſecutũ. Hunc nõ licet occidere, quia ordinationi Dei obuiam itur. Permittit autẽ inuaſorẽ regnare, contra quẽ licet inſurgere: vt retro nunc eſt explicatum. B. Petrus hortabatur homines illius aurei ſæculi, primi-

1. Ep.

q. 5 cap. Remittuntur.

tias

cias Eccleſiæ, ad obediendum diſcolis: tum, vt inquit Sanctus Thomas, ad euitandum ſcandalum: tum, vt gratia cumularentur, multa pro Chriſto patientes. ideo, illos hortatus ad obedientiam, ſtatim adiecit: *Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam, ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſte. Quæ enim eſt gratia, ſi peccantes, & colaphizati, ſuffertis? ſed, ſi bene facientes, patientes.* hæc eſt *gratia apud Deum, in hoc enim vocati eſtis, quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur.* &c. Ex quibus verbis colligitur, Apoſtolum hortari Chriſti diſcipulos ad humilitatis meritum, illos prouocando, vt c. ſolitæ benignitatis legimus Non autem, quod præcepto teneamur obedire inuaſoribus. Inquit *Propter Deum* per quod videtur eſſe conſilium perfectionis, in quo liberum eſt arbitrium. *De ma. et ob.*

Colligo veritatem ex verbis Beati Petri. Vnum non eſt ſilentio prætereundum, quod Papa etiam adnotauit in cap. nunc relato ſcilicet, a Beato Petro non fuiſſe dictum, ſimpliciter obediendum eſſe Regi, ſed cum additione illa *Tamquam præexcellenti*. quæ particula ſæpe potius ſignificat ſimilitudinem quam veritatem. ſicut illud Euangelij: *Tamquam ad latronem cum fuſtibus exiſtis comprehēdere me.* Quod ſi ſimilitudinem indicat, proculdubio concludere poſſumus verbis adductæ auctoritatis Summi Pontificis Imperatoriam maieſtatem non eſſe ſupremam. Scribit enim Papa Imperatori, admirato, quod Papa illum litteris corripuiſſet. Poſtremæ rationi Catharini iam ſatisfactum fuit alias; & quis eſſet illorum verborum ſenſus, expreſſum fuit. Non eſt, cur idem pluries repetamus. Eandem cantilenam, vt inquit Adagium, canamus ſemper. Repetit ibi, quod de temporali dignitate Summi Pontificis dixerat. Quam doctrinam, & vim rationis, iam perpendimus. Concludendo nunc, dicamus. Rationes illius, nullius eſſe roboris. Rectius propriæ conſuluiſſet doctrinæ, ſi a Sententia Beati Thomæ, non diſceſſiſſet. Licet enim Sanctus iſte Theologus, ante illam Orthodoxam Synodum floruerit. (anno a feliciſſimo nobis ſemper Virginis Partu Concilium Conſtantienſe 1415. celebratum fuit. Sanctus vero Thomas milleſimo ducenteſimo, & vigeſimo ortus eſt) nihilominus adeo accurate, adeo ve ſapienter de re hac diſſeruit; vt ab eius doctrina non ſit recedendum. Verum, Catharino relicto, ad Sotum tranſeamus. Multa vt dixi, poſſumus deſiderare ab hoc viro Theologo. Duplicem Tyranni ſpeciē meminit, vel vi, ac inuaſione, vel poteſtatis, & adminiſtratione. De poſtremis loquendo, cum ius habeant Regni, non ſunt illo ſpoliandi, niſi a publico Iudice. Lata vero ſententia contra eum, vnuſquiſque poterit eſſe miniſter, executioniq. mandare ſententiam Iudicis. Præ-

terea, ſi aggrediendo priuatum Ciuem aliquem, vt illum interficiat, ac bona rapiat, poteſt occidi a priuato illo Ciue, quia vim vi repellere licet, ſiquidem tamquam perſona priuata obijcit ſe ipſum. Si vero ſit inuaſor, licite poteſt occidi interfectorq. laudatur. Hæc Sotus. Quam ſententiam, doctrinã eſſe Beati Thomæ, profitetur. Verũ, vt videre poſſum neſcio quomodo congruat dictis Sancti Doctoris, & veritati. Ait venerandus iſte Theologus. In mortem Tyranni, adminiſtratione abutentis, non poſſe ſubiectos conſpirare; ſed adeundum eſſe Iudicem. At in mortem Tyranni, vi Rempublicam opprimentis; poteſt ſubditus hoc facere. etenim Reipublicæ eſt hoſtis, eſtq. in perpetuo bello, cum illa numquã cõſenſerit. Hæc, quæ vltimo loco adducuntur, S. Thomæ doctrinæ opponuntur quarto ſententiarũ, vbi de Cæſaris Tyrãnide, ſibi iura Reipublicæ vſurpantis differit. quintæ occurrẽs rationi ſecũdæ quæſtionis hæc habet. *Ad quintũ dicendum, quod Tullius loquitur in caſu illo, quando aliquis dominium ſibi per violentiam ſubripit, nolentibus ciuibus; vel etiam ad conſenſum coactis, & quando non eſt recurſus ad ſuperiorem, per quem iudicium de inuaſore poſſit fieri. tunc enim qui ad liberationem patriæ Tyrannum occidit, laudatur, & præmium accipit.* hæc ille. Inquit occidendum eſſe, quando non datur aditus, ad fungentem maiori auctoritate, qui iudicium de Tyranno poſſit proferre. Igitur non tantum in eo, qui legitimo Titulo dominium poſſidet; verum in arrogante ſibi poteſtatem, primo ſi fieri poteſt, adeundus eſt iudex. At Sotus vti hoc neceſſario requiri in occidendo Tyranno iuſto Titulo dominium habẽte; ita in eo, qui violenter ſibi poteſtatem arrogat, implicite negat requiri. cum abſolute loquens primo membro, opponens ſecundũ, vtens aduerſatiua nota, hæc proferat. Dum etiam ait Tyrannum abutentem adminiſtratione, primo a Iudice eſſe priuandum, demum a quolibet interfici poſſe, non mihi videtur hoc caute fuiſſe pronũtiatum. Etenim ſi a iudice dignitate ſpoliatur, dominium autem ſequatur Tyrannis, ſi tunc occidatur, certe Tyrannus non occiditur, ſed priuatus. Atque ſi a iudice condemnatur miniſter iuſtitiæ culpa caret, cum mandata Iudicis exequitur. Hoc autem non vocatur in controuerſiam, quoniam nemini dubium eſt. Neque etiam hic habent locum ea quæ ab illo afferuntur in ſecundo euentu. Scilicet cũ Tyrannus aliquem ciuem inuaſerit, ab eodẽq. occidatur. Nam cũ vim vi repellere liceat. Diſputatio eſt, an oppreſſus Tyrannide, poſſit in mortem Principis conſpirare, illumq. interimere. Nouiſſime locus ex libro Iudicum huc vocatus, ſi rem introſpiciamus non admodum fauet negotio. Eglon namque non tantum erat Tyrannus, verum & incircumciſus, & hoſtis populi Iſraelitici, vt habemus ibidem. *Addiderunt autem filij Iſrael facere malum in conſpectu Domini, qui confor-*

tauit aduerſus ens Egol, *Regem Moab, quia fecerunt malum in conſpectu eius, & complacuit ei Ammon, & Aamalec, abijtq. & percuſſit Iſrael, atque poſſedit vrbem palmarum ſeruierunt filij Iſrael Eglon Regi, Moab, decem & octo annis, & poſtea clamauerunt ad Domiuum qui ſuſcitauit eis ſaluatorem vocabulo Aod filium Gera, filium Iemini, qui vtraque manu pro dextera vtebatur.* Hæc ſacra hyſtoria, populus ille pronus. Idolatriæ, dum in medio Chananei, Hethei, Amorrhei, Pherezei, Heuei, & Iebuſei, qui erãt Idolatræ, habitaret; ex his gentibus duxerũt Iſraelitæ vxores, & ſeruierunt Dijs horum populorum Baalaim, & Aſtaroth, iratns illis Dominus hanc ob cauſſam, tradidit eos in manus Chuſanan Sathan Regis Meſopotamiæ, a quo ſeruitute & Tyrannide octo annis fuerunt oppreſſi. Ad Deum confugerunt, qui miſericordia motus, eos ab hac liberauit Tyrannide, virtute Othonielis. Ab ijs anguſtijs liberati Dei beneficij immemores, iterum Idola Gentilium venerando, ad cultum adulterinum nothi Dei tranſierũt, recedentes a vero Deo. Percuſſi ſunt ob id a. Domino Tyrannide Egol Gentilis populi Regis; vt ijs punirentur, ac torquerentur, quibus Deum læſerant. Adhæſerant Gentilibus, a quibus procul abeſſe debeant. Dijs falſis ſeruientes, Diuina iuſtitia factum eſt, vt ab Idolatris vexarentur. Quemadmodum contingere ſolet, vt qui Hæreticos receperint, illorum dominium hæreticorum opera, fuerit ſciſſum, atque euerſum. Ab hac oppreſſione liberauit eos Dominus virtute Aod, qui Regem illum occidit aſtu. Abijt Aod, ad Eglon Regem incircunciſum munera afferens, finxitq. habere arcana, quæ illi nota facere cupiebat. Ob hæc Rex incautus dimiſit omnem familiam, ne quis audiret, quæ ei Aod erat dicturus. dimiſſis ſeruis, Aod eduxit pugionem, eumq. fixit in ventrem Eglon, adeo violenter, quod dicat ſacer hyſtoricus. *vt capulus ſequeretur ferrum in vulnere, ac pinguiſſimo adipe ſtringeretur.* Aod. Rex Gentilis populi a circunciſo occiſus fuit, opprimens vi ac Tyrannide populum electum. Aod non tantum Tyrannum, verum hoſtem fidei, vnico ictu interemit. Hæc diuus Thomas de regimine Principum inſinuauit, dicens. Aiot magis occidit hoſtem, quam rectorem populi. Quare quomodo hæc dictis diui Thomæ poſsint conuenire, aliorum eſto iudicium. Cap. 6.

Propria

Propria ſententia exponitur.

Caput XVIII.

CVm hactenus aliorum ſententiam exponendo, & truti na rationis examinando laborauerim; ſupereſt illud ſolum, vt breuibus quid ego ſenſerim, in re propoſita exponam. Credidi ego ſemper veram, & firmam eſſe doctrinam Sancti Thomæ, ab eaq. nec latum (vt aiunt) vnguem, eſſe diſcedendum. Nimirum duplicem eſſe Tyranidis ac Tyrannorum ſpetiem. Vel qui iuſto Titulo dominiũ obtinuit, licet abutatur poteſtate, regnum ad commune bonum non ordinãdo, ſed in propriam vtilitatem, terminos transgrediens onera imponendo, iuridice vt verbis diui Gregorij vtar, non principatur. Vel qui armorum vi Regnum ſibi arrogauit. Vnus & alter peccat Tyrannide ſubiectos opprimendo; licet latum ſit diſcrimen inter illos, vt retro diximus. Vnus ſiquidem Dei ordinatione, fungitur auctoritate; alter vero arrogantia, & vi Regnum obtinet. Si de primo loquamur; nulla ratione, nulloue pacto eſt occidendus. A Patribus in Cõcilio Conſtantienſi hoc fuit ſancitum, anathematiſq. pœna cautum eſt, ne quis afferat, licite hunc poſſe interfici. Adeundus eſt iudex, qui cauſſam videat, cognoſcat, & oppreſſis iuſtitia duce, conſulat. Quod ſi hæc via intercluditur, patienter eſt ferendus, Deuſq. aſſiduis orandus prçcibus, vt oppreſſi ab hac liberentur calamitate, quemadmodum nunc ex libro Iudicum retulimus. Si vero ſit inuaſor, cum iſte auctoritatis ſit expers, & actus iuſtitiæ exercendo peccet, quæ ei non conueniunt imperando, & agendo; cum verum non habeat dominium primo tentandum eſt, an poſſit fieri, vt recuperetur libertas iudicis auctoritate: vt puta Summi Pontificis, qui omnium ſupremus eſt iudex. Quin minus tunc occidendus eſt, & licite interficitur. 4.. Sen. hoc voluit Sanctus Thomas loco quem ſupra adduximus, vbi verba faciens de Cæſaris morte, deque Tyranno vi Rempublicam inuadente: ait. ſi via interdicitur ad iudicem confugiendi, qui iuſtitia poſſit populos reſtituere priſtinæ libertati, tunc occidendus eſt Tyrannus. Hoc pro conſtanti ſupponit quod primo ſit tentanda via iudicis, anteaquam qui dominatur, occidatur a ſubiecto. Verum illud ſilentio non eſt prætereundum, caute id eſſe agendum. Tyrannus occidendus eſt, & a Regno expellendus, dummodo expulſione illius, aut morte, maius non patiatur Reſpublica detrimentum, quam

dum

dum Tyrannide vexabatur. Etenim cum id liceat publici boni gratia, ſi exactione, & morte Tyranni maius oriatur incommodum; maioribuſq. affligetur auguſtijs, Reſpublica, huiuſmodi actio proprium non aſſequeretur finem. talis ideo actio omnino eſt prætermittenda. hæc omnia colliguntur ex Beato Thoma pluribus in locis de Reg. principum. & ſecunda ſecundæ reſpōdens cuidam rationi habet hæc verba. *Regimen Tyrannicum non eſt iuſtum, quia non ordinatur ad bonum commune, ſed ad bonum priuatum regentis, vt patet per Phyloſophum in tertio Politicorum, & in octauo Ethicorum, et ideo perturbatio huius regiminis, non habet rationem ſeditionis, niſi forte quando ſic inordinate perturbatur Tyranni regimen, quod multitudo ſubiecta, maius detrimentum patiatur ex perturbatione conſequenti, quam ex Tyranni regimine. magis autem Tyrannus ſeditioſus eſt qui in populo ſibi ſubiecto diſcordias & ſeditiones nutrit, vt tutius dominari poſſit: Hoc enim tyrannicum eſt, cum ſit ordinatum ad bonum proprium præſidentis cum detrimento multitudinis.* Hæc beatus Thomas. licite autem interimitur qui perpetuum habet bellum cum Republica, illa nunqam conſentiente, nunquamue eum Regem habente. Et ſi temporis lapſu ſucceſſioneque regentium poſteritas non agnoſcat filios Tyranni, nepotes aut eundemmet Tyrannum Principem ac Regem, idem iudicium eſt faciendum. Si uero contra contingat, tunc & oppoſitum erit dicendum. Princeps electione, quamuis nepharius, quamuis iniquus non eſt occidendus. id nobis Saulis hiſtoria aperte poteſt oſtēdere. A Deo electus fuit Rex, a Samuele vnctus. Regi cōſtituto populi Iſraelitici præcepit Dominus, vt cum Amalechitis bellum gereret, omneis interficeret, cuncta demoliretur, nec hominibus, nec rebus parceret, nullum ve daret miſericordiæ locum. Contra hos præliatur Saul, Deiq. gratia illos oppugnat. Spreto autem Diuino mandato, neglecto Dei præcepto, Agag Regem viuum ſeruat, vulgus interficit, a nobilibus abſtinendo. Quicquid vile fuit, & abiectum deuaſtauit. veſtes præcioſas armentorum meliora, ductus auaritia ſeruauit. Auaritiæ & inobedientiæ, temeritatis crimen addendo, quaſi Ariolus quaſiue Idolatra factus eſt contra Domini præceptum, ſacrificum offerens. Sic illū ob urgans loqutus eſt Sm̄uel Dei Propheta. *Numquid vult Dominus holocauſta, & victimas: & non potius vt obediatur voci Domini? melior eſt enim obedientia, quam victimæ; & auſcultare magis quam offerire arietem. Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus Idolatriæ nolle aquieſcere. Pro eo quod abiecisti ſermonem Domini, abiiecit te Dominus, ne ſis Rex.* Luget Propheta Regis abiectonem, quem Dominus ſic alloquitur. *Vſquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrel.* Non tantū Regno priuatur Saul a Deo, ſed ne amici eius vicē dolerent. Abiecto

Saule

1. Cap. 6. q. 42. ar. 2.

1. Reg. c. 15

1. Reg. 16.

Sauſe,eligitur Dauid,in Bethel a Samuele vngitur, nō lenticula,ſed cornu olei.Quo facto miſer Saul abijt in Ramath,ibiq. a ſpiritu Domini nequam exagitari cœpit. Dauid in pulſanda Cithara clarum accerſiri facit, vt illius inſtrumenti muſici ſono, vexatio ceſſaret.Pulſabat Citharam Dauid,& Saulis agitatio mollior efficiebatur, ac lenior. Interim Philiſtæorum turmæ, Dei populum aggrediuntur. Ex illis quidam Goliat corpore, viribus, & armis tremendus.*Vir altitudine ſex cubitorum & palmi, pondus loricæ hamate eius quam gerebat quinq. millia ſiclorum. haſtile haſtæ veluti litiatorium texentium,inquit*

p.Reg. *ſacer hyſtoricus*. ad ſingulare,certamen virum ex caſtris Iſrael vocabat,& populum Dei paruipendendo exprobrabat.Cum hoc pugnaturus deſcendit Dauid adoleſcens inermis,baculo ſundaq.dumtaxat certat certando vincit,victor triumphū reportat. Occurrunt ei a ſingulari illo certamine redeunti viri,ac mulieres Iſraelitæ.Voces lætitiæ emittunt; acclamant ob victoriam gaudio exilientes, voluptate cumulati omnes canunt.*Saul percuſſit mille & Dauid decem millia*.Solus Rex inuidiæ aculeo punctus, animi liuore maculatus, indignatione affectus, triſtatur. Et quod peſſimum extitit Dauidem odio cœpit habere. E contra ille officij haud immemor, vt Regis languori mederetur, coram illo citharam pulſat. Dum vero morbum alienum ſtudet curare,in malum ipſe incidit.Saul namque lanceam pro iecit,exiſtimans interficere pſallentemDauidem, qui ictum euitans, euadenſque periculum,alio fugere cogitur.Amore Michol filiæ Saul, Dauid captus reuertitur in Curiam.Quæ res cum fuit Regi nota,inde nouam arbitratus eſt nactum eſſe occaſionem Dauidem occidendi. Delibetat nuptum dare Michol Dauidi vt facilius haberet

p.Reg. iter, ad ocidendum Generum. Sic dixit ipſe. *Dabo eam illi,ut fiat ei in ſcandalum, & fit ſuper eum manus Philiſtinorum*. finxit amicitiam, ſimulauit amorem, vt deceptionibus,ac inſidijs, tandem virum innocentem,a Deo Regem electum,a Propheta vnctum,ſibi ſanguine coniunctum, interimeret. Lancea iterum tentauit illum occidere.Iecit haſtam vt Dauidem confoderet, cuius ictum filius Iſai euitans, a conſpectuq. Regis fugiens in domum própriam ſe recepit. Ad hanc cuſtodiendū Saul ſatelites miſit, vt noctu Dauid occideretur. Vxor Michol mariti conſulens incolumitati, per feneſtram eum tranſmiſit, aſtuq. muliebri cuſtodias decepit. Statuam accepit pelleſq. caprinas capiti obuoluens & in lecto eam ponens, Maritum ægrotantem eſſe finxit. Mittit Saul apparitores ad rapiendum Dauid, quibus Michol dicit Maritum ægrotare, vt pater Saul a cœptis deſiſteret.Verum fruſtra.Iuſſit Saul in lecto afferri infirmum. Serui ad lectum accedentes, ſtatuam pro Dauide inuenerunt. fugam rapit Dauid,& in Ramatham, vbi erat Samuel,profectus eſt, indeq.cum

eodem

eodem Propheta diſcedens, intrauit Naioth. Illuc etiam miſſi ſunt milites ad capiendum Dauidem, qui ſpiritu accepto prophetare cæperunt. Cogitur tamen ipſe illinc diſcedere, & latebras quærere. Horum tantorum laborum miſertus Ionathas, patris conſilium Dauidem monendo, opem ipſi ſtuduit afferre. patremq. increpauit quod innocentem perſequeretur. Iraſcitur Rex dolo & nequitia plenus iuſtiſſimo filio, duriſſimiſq. verbis eundem obiurgat dicens. *Fili mulieris virum vltro rapientis, numquid ignoro quia diligis filum Iſai in confuſionem tuam, & in confuſionem ignominiæ matris tuæ.* lanceamue apprehendit vt filium tranſfigeret, ira qua excanduit, & furore percitus. Profugus Dauid, fame peñe conſumptus, ad Abimelech ſacerdotem ſe contulit, panem ab eo petens, & arma, quibus poſſet ſe ipſum tueri ab inimico, & ab inedia. Venerandus ille Sacerdos Dei, cum laicos non haberet, panes propoſitionis, & gladium qui fuerat Goliat, de quo triumphum idem reportarat, dedit ipſi. Pane vegetatus, & gladio munitus, ad Achis Regem ſe contulit. Cuius aduentum, non potuit non maxime Achis mirari, lictoreſq. eiuſdem cæperunt & ipſi dicere *Nunquid non eſt iſte Dauid Rex terræ? nonne huic cantabant per choros dicentes, Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia.* Quæ verba conſiderans ipſe, cæpit pauere valdeq. ſibimet ipſi timere. Vt autem caute ageret cum illis, furētis habitum induit & ab ore ſpumam emittens ſaliuam in barbam, oſtijs portæ impingens, collabenſq. in hominum manus, demens habitus & iudicatus, illæſus ab eo receſſit Rege. Miratus eſt Achis hominem alioqui illuſtri nomine clarum, robore inuictum, certamine glorioſum, ad eum perueniſſe miſeriæ ſtatum, ad ſuoſue conuerſus ſeruos, hæc alloquens dixit. *Vidiſtis hominem inſanum, quare adduxiſtis eum ad me? an deſunt nobis furioſi, quod introduxiſtis iſtum, vt fureret me præſente? hiccine ingreditur domum meam?* Rege Achis relicto, ſpeluncam Odollam petijt, quo fratres eius, & patris ſui domus etiam venerant amaro quidem animo, ære alieno oppreſſi, miſerijs & anguſtijs omnes cumulati. Affligebatur Dauid: fratres & affines, cognatiq. participes erant miſeriæ. Oderat Rex Dauidem, ægro animo ferebat illius parentes, atq. cognatos. Nullum in his adinuenit ſolatium, nullum propriæ afflictionis temperamentum, nullum calamitatis ſuæ lenimentum Dauid, vt alijs accidere ſolet anguſtijs oppreſſis, dum caros vident. Hos miſerime tractatos, a Saule conſiderans, triſtitia cordis aucta eſt miſeria animi increbuit. Cogitur iccirco illos Regi Moab commendare, vtque in fidem reciperet ſupplex rogare. Monitis Gad Prophetæ illinc diſcedens, abijt in terram Iuda, venitque in ſaltum. Quod cum intellexiſſet Saul, illuc copias duxit. at fruſtra, auxilio namq. Dei monitus Dauid illinc diſceſſit magno Regis illius animi triſtitia de

hac re cum ipſe conquereretur dicebat. *non eſt qui meam vicem doleat, ex vobis non eſt qui annuntiet mihi*. mirum profecto hominem affici moleſtia quia non poſſet iniuſte amicum Dei interficere, virum innoxium e medio tollere, virum omni laude dignum cruciatibus afficere, in fruſtraq. ſecare. verum quid ego miror hæc? cur potius admiratione non implear ſi his deteriora, atque peiora non excogitaſſet, atque occaſionem natus non perpetraſſet? certior factus aliquãdo Dauidem a ſacerdote Abimelech panem & arma accepiſſe; eo inſaniæ, & nequitiæ deuenit, vt Sacerdotem illum cæteroſq. alios occidi iuſſerit, impietatem hanc deſtantibus emiſſarijs, a Doeg Idumeo immaniſſimo & impuriſſimo homine ſcelus hoc perpetratum fuit, & gladio occubuerunt octuaginta viri Ephod lineo veſtiti. neque tantæ necis ſcelere animus illius ſatur, Nobe Sacerdotum ciuitatem agreſſus, demolitus eſt. Iuuenes, ſenes, infantes, mulieres, & bruta ipſa interemit. Non profuit Sacerdotibus Dei miniſterium ac ſanctimonia, infantibus inculpabilis innocentia, ſenibus veneranda canities, mulieribus laudata ſemper ac commendata pu-
1. Reg. c. 22 dicitia, iuuenibus amabilis adoloſentia; omnes ſimul interiere. Quid criminis perpetrarant bruta? ipſa tamen occiſa ſunt. Quibus peractis, Sathanico furore percitus iterum Dauidem tentauit interimere, qui liberata Ceila a Philiſtinorum manibus Dei monitu cum ſocijs ſuis, quaſi ſe excõtis, vagabatur. Morabatur in locis munitiſſimis, in monte ſolitudinis Ziph. cũ autem accidit vt eſſet in deſerto Maon, illuc copias direxit Saul, adeoq. locum circumcinxit, vt Dauid propriam deſperaſſet ſalutem. Captus certe tunc fuiſſet, niſi Dominus
1. Reg. c. 23 tuliſſet opem. Deus non eſt paſſus tantum ſcelus perpetrari. Nuntio accepto cogitur Saul illinc diſcedere, & cum Philiſtæis pugnare, qui Regionem quandam eius vexabant. His autem profligatis, perſeuerans in nequitia inueterata, in malitia, quæ callum obduxerat in eius animo; reuertitur contra Dauidem, degentem in munitiſſimis locis Engaddi, ſpeluncamq. ingreſſus, vbi erat Dauid, alui purgandi gratia, vidit Dauid Regem in manus ſuas incidiſſe. nullo negotio poterat eum occidere, attamen manus continuit. Oram chlamydis abſcidit, cuius facti etiam tæduit. hæc legimus in primo Regum.
Cap. 24. *Surrexit ergo Dauid & præſcidit oram chlamydis Saul, dixitq. ad viros ſuos. Propitius ſit mihi Dominus ne faciam hanc rem Chriſto Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt. Viuit Dominus quia niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies eius venerit vt moriatur, aut deſcendens in prælium perierit, propitius ſit mihi Dominus vt non mittã manum meam in Chriſtum Domini.* Cum etiam eſſet caſtramentatus in diſcreto Ziph, ſomnoq. tum Saul, tum cuſtodes eius eſſent ſepulti; acceſſit Dauid Regemq. oppreſſum ſomno adinuenit. Secum aderat

Abiſai

Abiſai filius Saruiæ Ioab frater.Is cum vidiſset & Saulem,& cuſtodias dormientes, nullamq. ibi eſse reſiſtentiam, nullumue impedimentum, vt Dauidem,& amicos eius liberaret a periculis, & perſecutione,ſtatim decreuit Regem occidere. Inhibuit Dauid, & Abiſai his verbis obiurgauit. *Ne interficias eum, quis enim extendet manũ ſuam in Chriſtum Domini & innocens erit? & dixit Dauid.Viuit Dominus quia niſi Dominus percuſſerit eum,aut dies eius venerit vt moriatur aut in prælium deſcendens perierit, propitius ſit mihi Dominus ne extendam manum meam in Chriſtum Domini. nunc igitur tolle haſtam quæ eſt ad caput eius,& ſcyphum aquæ & abeamus.* p.Reg.c.26 Rex erat Saul facinoroſus vir dolo & vitijs refertus,fere Ariolus, quaſi Idolatra, vt dixit Samuel,qui Sacerdotes interfecerat;ciuitatem illorum habitatoribus priuauerat illos interficiendo;nec ſenibus,nec infantibus nec iumẽtis parcens,abutebatur poteſtate,& Dauid erat a Domino Rex electus,Saul autem abiectus,nihilominus nactus occaſionem perſecutorem inimicum,virum iniquiſſimum occidendi poteſtate abutentem,abiectum a Domino,a nece illius abſtinuit. Immo Amalechitã, qui nunciauit eidem mortem Saulis, ſeq. fecit mortis auctorem, ſtatim occidi mandauit,eo quod in Chriſtum Domini manus iniecisset.Argumenta vero,quæ initio adducta ſunt,facili labore euertuntur.Prima ratio probat Tyrannum occidendum eſse, ob perpetrata ſcelera;at quod hoc ſit munus priuati hominis, in eiuſq. ſit poteſtate, certe non perſuadet.Non eſt negandum Tyrannum dignum eſse pœna: at quod talis pœna a priuato ei ſit irroganda,id eſt quod controuertitur.Secunda ratio eadem reſponſione poteſt eſse contenta.Nil aliud probat, niſi quod corruptus,& peſtilens homo ſit puniendus. at quod Tyrannus a quouis ſit occidendus, inde non ſequitur.

LIBER NONVS, ET VLTIMVS.

De Venationibus.

Caput I.

SI vitam hominum, & facultates conſideremus; quale ſit ius Principis in populos ſibi ſubiectos; quantum ve exiſtat, hactenus vt vires ingenij noſtri ſuppeditarunt, quas perexiguas eſſe numquam non ſumus confeſſi, exprimere tentauimus. Nunc tandem diſcutiendum eſt, quomodo ſeſe habeat in ijs, quæ cum rerum natura mater communia fecerit omnibus, in eiſdem vnuſquiſque ius proprium habet. hæc autem ſunt Piſces maris, ſyluarum, & camporum Feræ, ac Cæli volucres. Habet enim homo naturale dominium, vt retro pateſecimus, non ſolum in fructus ex terra naſcentes; verum in elementa, ac quodammodo in corpora cæleſtia, quæ tamquam tectum propriæ domus Summus ille artifex mira ſapientia conſtruxit; in beſtias terræ, in piſces maris, & cæli volucres. *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitu-*

dinem noſtram. & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs vniuerſæ terræ. Et nonnullis interpoſitis verbis. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam & dominamini piſcibus maris & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus quæ mouentur ſuper terram.* De rerum diuiſione, ſanciuit ob hæc Imperator, animalia, quorum natura eſt fera, capientis eſſe. Hæc igitur cum ita ſeſe habeant, rogabit aliquis; num Princeps proprio iure, poſſit populis inhibere venationes, locaue ſibi ſeruare, vt nemini liceat Feras in illis inſequi & capere. Rem hanc vt accurate magis tractemus, neue præcepti quod in primis ſcholis noſtris didicimus, videamur immemores; primo Venationis vocabulum diuidamus in ſuas ſignificationes. Deinde ad quæſtionem explicandam accedemus. Prolixiores forte erimus quam par ſit de Venatione diſſerendo, quoniam haud ingratam lectoribus huiuſmodi diſputationem futuram eſſe arbitramur. Digna certe eſt ars Principibus congruens: tum animi recreandi gratia, tum etiam vires vegetandi, tumq. etiam bellicis laboribus hominem aptum reddendi accommodata. Plato (vt rem aggrediar) VENATIONEM nomen latum ac æquiuocum eſſe voluit. illius hæc ſunt verba. *Venatio equidem multiplex res eſt, nec forte vno nomine comprehenſa, multa enim aquatilium eſt, multa vero etiam pedeſtrium; non ſolum beſtiarum, ſed etiam hominum Venationem conſiderare oportet, tum in bello, tum non minus frequentem eam, quæ per amicitiam venatur, & partim laudari, partim vituperari moeretnr. furta quoque, & rapinæ latronum, & exercituum mutuæ deprædationes, Venationes ſunt.* Lata eſt igitur huius vocis ſignificatio. non tantum enim animalium capturam irrationalium amplectitur, verum & hominum. Venatur piſcator, venatur auceps, venatur qui Lepros Apros, Ceruos, Lupos, Vulpes, Damas, Vrſos, ac cætera huiuſmodi animalia inſequitur, & capit. Venatur Pyrata, Venatur & Miles, & in Sophiſta varias huius vocis acceptiones adnumerauit dicens. *Secundum igitur præſentē ſermonem quinon bis unc contingit, ſophiſtica videtur appellanda Venatio, iuuenum diuitum, ac illuſtrium, quæ fit per artem conciliandi capiendi, aquirendi, venandi animalium venatoriam, pedeſtrium venatoriam, manſuetoriam, hominem priuatum venantem, mercedem expectantem, pecunias exigentem, eruditionem oſtentantem.* Ariſtoteles quoque in Politicis de poſſeſſione, & aquiſitione ſecundum naturam diſſerens; vbi varia hominum ſtudia, viuendiq. inſtituta adnumerauit, alios ex præda viuere, & prædam venari, alios piſcari, vt qui Paludes Stagna, Flumina, & Maria incolunt; alios ab auibus, & Feris; alios a fructibus: hæc dixit. *Quapropter & bellica ſecundum naturam quodammodo acquiſitiua erit. Num & ventoria pars illius eſt, qua vti oportet contra beſtias, & contra eos homines, qui ad*

parendum nati ſunt, nec volunt parere. quia cũ natura id bellum iuſtum exiſtat, bellicæ artis partem efficit. Diſtin. quoque octuageſima ſexta. c. qui venationibus. Gloſſator triplicem facit Venationem. Quarum vna ab illo dicitur oppreſſiua. Alia arenaria. Tertia Saltuoſa. Prima, qua homines opprimuntur, eſt illicita, vt alibi in Pontificio iure legitur. Arenaria qua pugnat quis in arena cum beſtia dentata, & ipſa quoque vetita eſt, vt in c. qui Venatoribus. eſt videre. Altera Saltuoſa, quæ licita eſt. Hanc doctrinam habet Angel. in verbo venari, & Syluester eodem titulo. Fumus, & cæteri, qui Summiſtæ voce tritiſſima, appellantur. Hæc nunc adducta, eo conſilio ſint relata, vt conſpicuum fiat, multiplicem eſſe ſignificationem huius vocis; Venatio nimirum terreſtrium, volucrum, & piſcium. Piſcatoriam quoque multiplicem facit Plato: Quæ licet vnica voce dicatur Piſcatio, vti volucrum Aucupium dicitur receptiſſimo vocabulo: In duas tamẽ præcipuas parteis ibi diſſecuit hanc piſcium Venationem: ſcilicet in eam qua ſeptis, venamur; vel plaga. Septis venamur piſces, cum coercemus illos aliquo impedimento, & eo quod poteſt impedire, Naſſis, Retibus, Laqueis, Verriculis, ac huiuſmodi rebus. Quæ omnes diuerſas conſtituunt huius Venationis ſpecies. Plagis vero, cum Hamulis, Fuſcinis, & ſimilibus inſtrumentis eſca aliquando media, quæ tum ſepto, tum verberatione huic parti maxime eſt accommodata, piſces capimus. Aucupatoria quoque, licet & ipſa multiplex ſit; nihilominus in duas ſecari poteſt, quemadmodum Plato piſcationem partitus eſt. ſcilicet in eam, quæ impedimentis; & in eam quæ verberibus capit prædam. Dicamus etiam ad duo capita redigi poteſt ni fallor omnes ſpecies illius, ſiue rethibus, ſiue laqueis, ſiue cibarijs ſiue baliſtis, ligniſque cauatis, ſiue alio modo fiat a venatore: In ſimplicem, & compoſitam. Compoſitam appello, quæ verbi cauſſa ex cane, & rethibus: ex cane & auibus rapacibus: ex viſco & Noctua: ex fiſtula & rethibus componitur. Simplicem vero, quæ rethibus dumtaxat fit, vel ſolis laqueis, aut vnica inſtrumenti ſpetie. Ad primam ſectionem redeundo: dicendum Venationem hanc duplicem eſſe. Vel enim fit impedimentis; vel plaga. Si quis aues, capiat laqueis rethibus, viſco & noctua, cibarijs. hæc omnia ſunt impedimenta, quibus a venatore detinentur aues, & capiuntur. Contraq. ſi funda, lapidibus, baliſta, arcu, ligno cauato, auibus rapacibus, capiat aues; hæ Venationis ſpecies omnes, ad verbera reducuntur. Verum non tantum hæ Venationes huic aptantur diuiſioni; ſed & illa etiam, quæ eſt animalium terreſtrium. Etenim ſi Lupos, ſi Apros, ſi Vulpes, & Lepores, aliaue animalia venamur aut laqueis, aut, rethibus, aut canibus, aut armis, illa a curſu impediendo capimus, aut verberibus. Harum

Diſ. 6.5.ijs ita.

In Soph.

omnium quas retulimus Venationum, Plato eam ſolam, ac præcipue commendet, quæ quadrupedum exiſtit. Quæ canibus, & equis, & corporis noſtri viribus, peragitur. Maritimam, ac hominum aſſerit omnino relinquendam fore Immaniſſimum eſt, & Ferarum inſtitutum, vt homo, hominem venetur. Immo omnem excedit fer;tatem. Lupus animalia venatur diuerſa a ſpetie propria; Caprã nin irũ, Ouem, Aſinum, Equum, & alia, quorũ veſcitur carnibus. Canis cánes nõ venatur, ſed alia omnino diſtantia carnibus propria ſpetie. *Canis, canina non eſt*, inquit etiam adagium. Solus homo omnium Ferarum immaniſſimus, alios propriæ ſpetiei viros inquirit, & capere nititur. Ad hæc inter effectus venationis, præcipuus animi ſolatium ab omnibus reputatur. At quæ animi voluptatas, quod ſolamen, dum homo, hominem Venatur? Auaritia omnium malorum radix, & animi toruitas quædam, quod iniuſtum eſt, iuſtum, quod iniquum, æquum; quod curuum, rectum eſſe perſuadebit Venatori. At re vera, id certe non erit. Procul ſit ab homine huiuſmodi Venatio. Verum quæ pedeſtrium eſt Venationem proſequamur.

De venatione animalium terreſtrium, hancq. commendabilem eſſe & effectus illius. quis canes aptiores. deq. illorum differentia agitur.

Caput II.

VEnationem vitæ humanæ accommodatam eſſe, omnes, qui de illa diſſeruerunt, habuerunt exploratum. Hinc illam omnium excellentiſſimam eſſe ſenſerunt, quæ maiora affert adiumenta. Hanc ob cauſſam laudat Plato Venationem, quæ eſt animaliũ terreſtium. Quæ ſcilicet canibus, & equis exercetur. Illam omnino reicit, quæ eſt hominum. Eam, quæ maritima exiſtit, non admodũ approbat: quoniam in illa ſordeſcit animus: hæc ab eodem Philoſopho ſcripta legimus, dum de Republica diſputat. *Vtinam o nos amici, neq. cupiditas, neque amor Venationis marinæ, vnquam corripiat. neque eius, quæ per hamum fit, neque omnino vllius aquaticorum animaliũ neque vigilantes, neque dormientes: ita vt per naſſas ocioſam venationẽ exerceatis, et vtinam rurſus prædæ, et latrocinij in homines per Mare* 7, De leg.

exer-

ſantis,laceſſuntur enim ijs coloribus & efferuntur. Inſidias dum illis tẽdimus induſtria eſt opus, & arte. Fingimus alias imitando actiones veluti agrum colere, aliaue facere, vt eas decipiamus quas captamus beſtias. Ita dicebat idem auctor adulatores ſimiles dum fecit Venatoribus. *Quomodo qui venantur, ſi non hoc agere,ſed iter facere,vel paſcere,vel colere agrum ſimulent, citius fallunt ea, quæ captant. Haud diſ. aliter adulatores tunc maxime tenent eum laudibus,cum laudare non apparet eos,ſed aliud agere.* Vtitur prudentia venator pedeſtris,futuris proſpiciendo.Neglectis paruis, ſe & canes maioribus ſeruat feris. Ideo idem Philoſophus nimiam illam animi curioſitatem refellens, ac anxietatem in inquirendo, prudentes abſtinentes ab illa,Venatribus ſimiles eſſe dicebat, hæc ſcribens. *At ſicut Venatores canibus diuertere,& quemuis ſectari odorem non permittunt, ſed loris eos retrahũt, & reuocant, quo purum,& integrum reſeruent, peculiari eorum officio olfactum, vt veſtigijs inhæreant acrius.ſic oportet,ad omne ſpectaculum, & ad omnis curioſi digreſſiones, & circumuagationes præuidere, retrahereq.atque ad conducibilia reſeruare.* Plato comparando Venatorẽ ſequentem Feram,cum eo qui meditatur vt rem aſſequatur, diligentem animi indaginem,cõſtantiam, ac perſeuerantiã,tollerantiamue, nobis indicat Venatorum.Non ſic certe in alia Venationis ſpetie.Animoſos nos facit, dum validiſſimas beſtias aggredi nos homunculi, & imbecilli, non veremur. Summa inſuper afficimur voluptate, pugnam canibus cum Feris habentibus. Latrant, hiant,caudam celeri motu cient, ſaltant, feram dum aggredi geſtiunt; demum audaces dẽtibus feriunt. Illa e contra fugit,Venatoribus vociferantibus exterrefacta, modo terga vertens,latibula quærit; modo ãnimum recipiens,dentibus, vel cornu, vel vnguibus, (ſi his a natura fuerit armata) ſe ipſam tueri contendit.Lædit canes, ij e contra magis ira ſuccenduntur. Creſcit ira, & furor in illis.In Fera aſtus, & vires augentur accurrit Venator; acceſu illius,vt beſtiæ minuitur vigor, (timore namque oppletur) ita canum increbreſcit audacia, & vis quibus tandem ſuperatur, & capitur Fera·Canum robur, & audaciam ex pilis conijce.Pilorum color temperiem indicat.Qualis autem eſt temperatio, tales vires,audaciam,celeritatem,morſus tenacitatem expectato.

In li. de adul.& ami.

Lib.de cur.

In Lache.

Canum notæ, legeſq. Venationis .

Caput III.

QVemadmodum in nobis pilorum varietas, temperationis indicat diuerſitatem. differens vero craſis mo rum oſtendit differentiam . Ita etiam in canibus id euenire non eſt dubitandum.A pilorum itaque principijs, & ortu, eſt ordiendum , vt ab illis , tamquam a ſignis certis,in naturam canũ cognoſcendam poſſimus deuenire. In cute ex vapore fulginoſo,hoc modo a calore generantur pili . Agit quottidie calor in nobis exiſtens, in partes humidas , illaſq. concoquit , ac digerit . Ad cutem autem excrementorum receptaculum per meatus quoſdam, & partes poroſas , ab ipſomet calore prius factas,vapores, & ſudores , tranſmittit, ex his vaporibus quidam ſunt terrei,ac fuliginoſi.Qui cum per arctos meatus detrudantur, nec poſſint retrocedere facile , nec etiam exinaniri,niſi ſummo labore, ibi permanent. deinde ab alijs ſimilibus impulſi, & hi ab alijs,fit quædam adnatio, & multiplicatio, ac conſtipatio materiei huiuſmodi terreæ,ac fulginoſæ.Quæ in corpus tandẽ redacta , pilus dicitur. Pili in vnico homine & in multis diuerſam præſeferont temperiem.Nigri cum ex aduſta exhalatione , quæ bilis cæruleæ, vel erugineæ ſit execrementum , vi caloris mutata , in perfectam fuliginem;temperiem aduſtam,ſiccam,& arridam cutim oſtendunt. Aethyopes iccirco aduſti temperamenti, arridæ cutis; capillos nigros , & criſpos habent. Nigri ſunt ratione nunc dicta . Criſpi vero , nimia ſiccitate , ac alia cauſa, iam iam adducenda.Flauities pilorum,quæ ab exhalatione, ex flaua bile proueniente , calore minus aduſta oritur, temperamentum ab aduſtione ſatis remotum præſefert. Quod ſi fuerint albi,quoniam tales exiſtunt exhalatione minus aduſta, proueniente a pituita, naturam multo magis ab aduſtione remotam ſignificabunt . Flaui , & albi, ſi criſpi ſint , tales exiſt unt tenuitate exhalationis,quæ impedita in via , torquet ſe ad latera . Quod ſi ruſſi erunt criſpi , id dicendum eſt euenire , a cute prohibente exitum , vt cogantur flecti : Ruſſi autem ex materia compoſita ex bili, & pituita proueniunt. Quæ materia cum ſit media inter illa extrema , naturam magis temperatam , ac robuſtiorem arguunt. indicant igitur variam in multis temperationem. In vnico etiam indiuiduo, eiuſdem rei ſunt manifeſta inditia.

Infan-

Infantes ſunt depiles, quia nimia cum abundeat humiditate carent exhalationibus illis fuliginoſis. Adde quod cutis eorum, & caro, valde humida, meatibus. & fiſtulis eſt indigens, quibus, hæ exhalationes a natura impelluntur. partibus ſiquidem coeuntibus viæ concluduntur. Quæ res in ſiccioribus ob partium conſiſtentiam, nullum habet locum. Meatus namque a calore facti, in arrida materia, diu perſiſtunt. Adoleſcentes dum paruos pilos, & imbecillos, lanuginem nimirum emittunt, mox temporis lapſu ſolidos pilos, aperte indicant, humiditatem paulatim euaneſcere temperationiſq. mutationem ex humida in ſicciorem. Ommitto ſilentio canitiē, inditium eſſe ſuperfluæ cuiuſdam humiditatis, cum calor debilis impellit exiguum excrementum, quod eſt ueluti putredo quædam pituitæ temporis ſpatio putrefactum, cum exiſtit in temporibus capitis, ac in parte humidiori, magnum muſculum ſub ſe continente:& quod caluities indicet magnam capitis arriditatem, dum paulatim exciccatur parua illa humiditas, quam in ortu natura eidē dedit, pabulum pilorum ibidem exiſtetium Redeo ad pilorum diuerſitatem, quæ, vt ijs conſpicuum eſſe poteſt, diuerſam ſignificat corporis temperiem. Varia autem temperatio diſſimilem præſeſert operationē, ac mores. Gratia exempli. Bilioiſi prompti ſunt ad motus iræ, & corporis. facilime amant, difficilime amoris affectus tollerant. Melancholici (de melancholia illa loquor, quæ fex eſt humorum, illorumue aduſtio) pigri ineptiq. ad operationes, ac motus. Sanguinei liberales, & læti. molles carne, ad phyloſophandum aptos protulit Ariſtote. de anima ſcribens. hæc cum ita ſint in nobis inditia quædā rerū dictarū in brutis quoq. temperiē denotare, & illorū operationum ſigna eſſe, non eſt dubitandum. equos albos, quos trita voce leardos dicimus, exiles habere vires (loquor de albis puris) docet experimentum. Virgilius doctiſſimus plane Poeta, de illis verba faciens, dixit bonos eſſe, ad vectandum dominum per vrbem. Contraque Aquili coloris, vulgo Caſtanei pilos habentes, animoſos ac magnæ uis eſſe, quottidie experimur. Color ille pilorū denotat temperamentum ex bili & pituita nonnihil aduſtionis paſſa. Ruffi quos Sauros dicimus, animoſos & veloces eſſe videmus. a bile id habent optime miſta cum pituita. Ad canes ab equis tranſeamus, dicamuſq. Nigros firmiores eſſe, fuluos audaces, & ad magna natos agenda. Palidos veloces. his ſi Ceruos Vulpes, Lupos Lepores Damas, ac huiuſmodi animalia inſequemur, victores erimus. Sagaces nigros, mediocrique corporis menſura deſiderarem. Nigros quidem, quoniam color, indicat aduſtionem quandam, & ſuccum melancholicum prædominantem, a quo ſagacitatem expectabis. De hac re alibi fuſius diſputauimus, dum diſcuteremus, cur melā

2. Tex. 94.

Georg.

cholici dicantur præſagire. Mediocri autem corporis menſura, vt foueas poſſint facilius ingredi, Feraſq. ibi reperire, & latratu indicare, ac expellere. Hæc eſt illa Venatio, quam laudibus, extulit Plato. Hanc ſequitur Aucupatio, ea præcipue, qua Falconibus aues occidimus.Regia certe Venatio,quoniam animalibus agitur Regijs, quarum auium varietatem, naturam,& mores,nō eſt hic recenſendi locus. Dabitur forte alias diſputandi occaſio.Sat ſit nunc dixiſſe Regiā eſſe huiuſmodi Venationem.Hanc,& ilam,quā nunc recenſuimus Principibus, & ciuibus conuenire rationibus, quas etiam retro memorauimus. Venatoribus lex fuit hæc a Platone promulgata. *Hos* 7. De leg. *reuera ſacros Venatores nemo prohibeat vbicumque et quomodocunque venari voluerint. Nocturnum autem* Venatorem *canibus,et retibus confidentem, nemo vmquam vſquam venari ſinat. Aucupem vero in agris quidem,& montibus,nemo prohibeat, in cultis autem et ſacris locis prohibeat ipſum, quiſquis in eum inciderit.Piſcatori uero exceptis portubus, &* Stagnis,*ac Paludibus, in alijs venari liceat ſolum,ut ne liquorum ſpiſſorum conturbatione inducta utatur.* Hactenus quot ſint Venationis ſpecies,quæ ve præſtantiores, queue Principibus conueniant, nunc vero propoſitam aggrediamur quæſtionem.

Propoſita queſtio determinatur. &

Caput IV.

SAcros appellans Plato Venatores, aliquid certe dignū nobis inſuſurrat,eſſe ſcilicet venationē non temere tractandā, nec a quouis. Sunt Feræ locis ornamento, ſuntq. incolis vtilitati. Veſcimur carnibus, veſcimur & piſcibus. Aquæ magnam, incredibilem afferunt incolis cōmoditatatem. Ab agris frumenta, ſegetes, crocum herbas ceraue quamplurima medendis corporibus apta, ligna arborumq. fructus, & arbuſta accipiunt homines, quibus non ſolum uiuunt incolumitatiq. conſulunt, verum armenta paſcunt. Ab ijs, vero carnes,lac, caſeum,butirum,lanas,pelleſue habent; res vſui, & victui noſtro apprime neceſſarias. Ab aquis merces negotiationes ædificia quamplurima, quibus lanæ,ſericum,lapides, ligna, coria & alia vſui humano adaptamus, & diuitias maxmas nobimet ipſis cōparamus, Id in antiquis ciuitatibus manifeſtum eſſe poteſt. Celebris eſt fama ciuitatum antiquarum, quæ ad oram Maris, vel non

admodum

admodum diſtantes ab aquis erant conſtructæ,noſtris vero temporibus Venetiarum, Ianuæ, Antuerpiæ ac aliarum huiuſmodi. E cōtra ciuitates carentes aquis ad nauigandũ,aut vix aut difficilime ſaltem,niſi locus alia ſuppeditet quamplurima, affluunt copijs. Ariſtoteles in Politicis beatæ ciuitatis conditiones proprietateſq. explicans: inter omnes alias,ſitum commemorat, huncue ſummopere neceſſarium eſſe ait.Hanc ob cauſſam euenire, vt ciuitas ſibi ſufficiens dicatur, hoc eſt omnium feracem. Siquidem quæ ciuitas omnia habet in ſe, & nullius eſt indigens; illa ſibi ſufficere dicitur. Talis autem vrbis ſitum delineando hæc ſcripſit. *Vrbis autem ſitus(ſi formanda eſt nobis illa ſecundum votum)opportune ad terram, & ad mare debet iacere. Vna enim diterminatio. præmiſſa eſt opportere ad auxilia ferenda communem eſſe locorum omnium. Vnde quoque ad afferenda altera ad importationem fructuum, præterea ad lignorum materiam,& ad ſi quid aliud ſimile opificium, Regio in ſe habeat facilem aduectionem.* Alibi ibidem repetens, ciuitatem debere aquis abundare ſcripſit. Quare vti corpus noſtrum, dextera, ſiniſtraq. manu indiget, vt ſuis fungatur operationibus; ita ſane ciuitas perfecta ſitum habens ad Mare, ac aquas,nauigijs,& piſcationibus aptas; ſi ſolum ſit frugiferum illa optimum ſortita erit ſitum.Iam vero vt ad rem redeamus cum piſces, & animalia, quorum natura fera eſt, & locis ſint ornamenta, & incolis vtilitati:atque cum capiuntur ſolatio ſunt animis, & corporibus ſanitati: non debet quilibet facile, ac bona venia feras ſectari,vt & loci decus non obſcuretur, & quæ in communem vtilitatem debent venire,vnius dumtaxat fiant.Ea propter caute,ac prudenter ſtudebit Princeps,(ad eius pertinebitq. auctoritatem Venationibus,ac Venatoribus modum imponere, vt quod eſt commune iure naturali hominibus minime denegetur. E contra liberam non eſſe omnibus adeo venandi facultatem, vt ornamentum locorũ pereat, agrorumq. gloria amittatur, & quod magni eſt ponderis, populis auferatur occaſio, vires corporis exercendi, aptoſq. reddendi homines ae bella gerenda. Præcipue autem cum noſtris his temporibus, neſcio quo triſti caſu militaris diſciplina abijt in deſuetudinem. Ne ve otio torpeſcant ſubditi quod omnium vitiorum eſt hoſpitium. Leges itaqne erunt promulgandæ a Principe, quæ illud aſſequantur temperamentum; ne ſcilicet nimia auſteritate populus naturale dominium amittat.Ne ve nimia indulgentia, quod ſemper debet eſſe adiumento populis, auferatur,ſcilicet cum adſit bellandi occaſio, apti ſint ad prælia.Ceruos agere,ſimulacrum quoddam pugnæ exiſtit.Vrſos, & Apros aggredi,belli ſimilitudinem in animis noſtris excitat; ideo infimis hominibus iuſte Pinceps talium animalium venationem prohibebit.Propriam partem loci ſibi vendicare po-

re poterit animum recreandi gratia.Idq. iuſtum aſt pro ſui dignitate, vt omnes aſſerunt. Cum vero proprium locum ſibi poſſe reſeruare dicitur, id ſane intelligendum eſt de parte communis loci omnibus patentis. Quod ſi agri illius ſint, tanto magis id ei licebit. Dominus enim agri, venatoribus aditum inhibere poſſe ab Imperatore ſancitum legimus. Dubitationi itaque propoſitæ ad initium diſputationis dicendum eſt. Quod licet Feræ de Iure gentium ſint occupantis; nihilominus vtilitatis publicæ gratia, poteſt Princeps adhibere modum, ne temere cuilibet liceat Feras occidere. Si enim loci ornamentum conſideremus, quæ natura communia produxit, poſſunt inhiberi, moderamenq. reperiri in eis, ob vtilitatem communem & ornamentum. Communia debent eſſe, niſi ſit ratio inhibens. Atqui quoniam de ijs quæ aerem permeant, ibiue quodammodo viuunt diſputauimus, ad altiora tendentes, videamus num Principis Ius Cœleſtia pertingat.

Sacris rebus Iura Principatus non eſſe miſcenda.

Caput V.

HVius operis in principio, in primiſq. laboribus hiſce noſtris. Diximus Ius principatus eſſe in gratiam & bonũ populorum. Iam vero cum hucuſque progreſſi, particulas definitionis diclarauerimus, poſtrema hac excepta, & quod ac quantum ſit hoc ius in populorum vitam, & bona, ac in ea quæ liberaliſſima mater Natura omnibus communia produxit, oſtendere nixi fuerimus: ſupereſt nunc, vt conſideremus, quod nam ſit illud bonum, in cuius gratiam Princeps Ius habet in populos. A vocis autem diſtinctione incipiemus; hac namque prætermiſſa incaſſum laborabimus. Qui verſantur in ſcholis, bonum diuerſimode diuidere ſoliti ſunt. Diſtribuunt illud in bonum Honeſtum, Vtile, Iucundum, Animi, Corporis, Sui, Aliorum, Diuinum, Naturæ, Humanum. Dicamus nos (ſic propoſito congruit negotio, argumentoq. ſuſcepto) bonum duplex eſſe, vel ſupra nos; vel in nobis. Illud Diuinum, hoc autem Humanum. Diuinum quoque multipliciter accipi conſueuit. Vel enim eſt Deus, qui omne bonum ſuperexcedit; vel Fides, & quæ ad illam attinent; claues; electio paſtorum; Dei cultus; ac Religio. Cum itaque tot modis bonum Diuinum accipiatur; quæret forte aliquis, num ſit Iuris Principatus, quæ ſunt ad Fidem attinẽtia decernere; Epiſcopos eligere;

quomodoue

quomodoue ad Dei cultum, & ad religionem ſeſe habeat. His nam-
que optime cognitis, finis Iuris Principatus fiet conſpicuus; inten-
ſio, ac extenſio illius, adhuc magis erit aperta. Incipiamus obſecro.
Quæ fidei ſunt decernere non eſt Iuris principatus, ſed Poteſtatis ſu-
premæ ſpiritualis; quæ in Chriſti Vicario reperitur. Id autem licet
varijs, ac multis poſſem confirmare rationibus, paucis ero conten-
tus, pro certo habens, veritatem paucis eſſe contentam. In Exodo Cap.18.
hæc leguntur. *Eſto tu populo in ijs quæ ad Deum pertinēt vt referas quæ
dicuntur ad eum, oſtendaſq. populo ceremonias, et ritum colendi, viamq.
per quam ingredi debebant, ei opus quod facere debebant. Prouide autem
de omni plebe viros ſapientes, et timentes Deum, in quibus ſit veritas, et
qui oderint auaritiam, et conſtitue ex eis Tribunos, & Centuriones, &
Quinquagenarios, et Decanos qui iudicent populum omni tempore*. Du-
plicem, his verbis, ponit nobis ob oculos ſacer hyſtoricus iudicum,
ac iudicij ſpeciem. Aliud iudicium quo iudicantur, & decernuntur
res ſpectantes ad Deum, & cultum illius; alio quo priuatæ hominū
actiones iudicantur. Primum ad Moyſen attinere, qui Dux, & Ponti
fex erat populi illius; aliud vero ad Centuriones, Quinquagenarios
& Decanos. ſicut ergo Moyſis erat munus; quæ dubia erant declara
re, & determinare ad Dei legem, & cultū attinentia, non autē aliorū
iudicum; ita Summi Pontificis eſt proprium munus, non Regiæ pote
ſtatis, quæ ad Dei legem, cultum, Religionem, & fidem ſpectant, de-
cernere. Ad hæc apud Sanctum Lucam legimus, quod cum ſtaret IE Cap.5.
SVS ſecus ſtagnum Genezareth, prope littus eiuſdem, vidit duas na
ues piſcatorum, qui ex illis egreſſi retia lauabāt. Vnam illarum in-
trauit Dominus. De eadem, populum, qui illuc conuenerat verbi
Diuini auidendi gratia, docuit. Fine impoſito ſacræ concioni, allo-
quens Petrum, dixit. *Duc in altum, et laxate rethia in capturam piſciū.*
Petro dixit. *Duc in altum*. Sanctus Pater Ambroſius (qui ſancti viri
eſt mos) locum ſubtiliter, & docte ponderans, ait (hæc omnia refe-
runtur in can. non turbetur) *Duc in altum* ideſt in profundum diſpu- 24.q.1.
tationum. Soli Petro hoc fuit dictum. quia illius ſolius erat munus,
hæc decernere. Narrat Sanctus Lucas, Apoſtolourum geſta deſcri- Cap.10.
bens, magnam ortam fuiſſe controuerſiam, quibuſdam docentibus
Circumciſionem ſimpliciter eſſe neceſſariam ad ſalutem conſequē-
dam. Factaq. ſeditione, Barnabas, & Paulus, & quidam alij, Apoſto-
los adierunt. congregatoq. Concilio, licet Beatus Iacobus multa
verba habuerit, Sanctus Petrus, quæ dubia erant declarauit, quidue
agendum eſſet, decreuit. Inſuper Sanctus Paulus ſcribens ad Galatas Cap.1.
ait. *Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, et manſi
apud eum diebus quindecim*. ait tribus annis elapſis veniſſe ad Bea-
tus Petrum, & quindecim diebus apud eum permanſiſſe, a
quo,

quo; veluti a præceptore quæſiuiſſe, quæ opportuna erant; Principem Apoſtolorum conſuluiſſe, ad quem attinebat, quæ fidei ſunt decernere. ſic beatus Maximus locum expoſuit. *Ait Paulus non ab hominibus aut per homines, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitauit eum a mortuis. hic itaque qui non ab hominibus, ſed ab ipſo Chriſto, & Deo patre fuerat factus Apoſtolus; Atque ab auctore ſapientiæ ſufficienter inſtructus, ad Petri tamen magiſterium venit, & non in tranſcurſu ſed per plureis dies, apud eum, veluti in ſchola permanſit. Veni inquit Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum quindecim diebus per myſticum hebdomadis & octeadis numerum veteris Teſtamenti ſimul & noui didicit Sacramentum.* hæc beatus Maximus. in eadem quoque ad Galatas epiſtola, paucis interpoſitis inquit Apoſtolus Paulus. *Deinde poſt annos quindecim iterum aſcendi Hieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito. Aſcendi autem ſecundum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus, ſeorſum autem ijs, qui videbantur aliquid eſſe, ne forte in vacuũ currerem, aut cucurriſſem.* quibus verbis oſtendit Beatus Paulus, nullam habuiſſe ſuæ prædicationis, & doctrinæ certitudinem, niſi quam a beati Petri auctoritate habuit. Ita Pater Hieronymus locum illũ eſt interpretatus, in epiſtola ad Patrem Auguſtinum cuius initium eſt, *Tres ſimul accepi epiſtolas: Tantæ Petrus auctoritatis fuit, vt Paulus in Epiſtola ſua ſcripſerit. Deinde poſt tres annos veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim. Rurſum in conſequentibus. poſt annos quindecim aſcendi iterum* Hieroſolymam *cum Barnaba. aſcendi autem ſecundum reuelationem & expoſui eis Euangelium quod prædico inter gentes, oſtendens non habuiſſe ſecuritatem Euangelij prædicandi niſi Petri & qui cum eo erant ſententia roboratum fuiſſet. ſtatimque ſequitur. ſeorſum autem his qui videbantur aliquid eſſe, ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem.* Hæc beatus Hieronymus, quibus optime congruunt ea quæ habet idem Pater de viris Illuſtri-

Lib. 5. c. 8. bus ſcribens, de diui Marci Euangelio vbi verba facit, ait, ab Euangeliſta ſcriptum fuiſſe Euãgelium. Quod a Principe Apoſtolorũ Petro vbi lectum fuit, & approbatum, auctoritate illius Eccleſijs legendũ traditum eſſe. *Marcus Diſcipulus & interpres Petri iuxta quod Petrum audierat referentem, rogatus Romæ a fratribus, breue ſcripſit Euangelium. Quod cum Petrus legiſſet, approbauit; et Eccleſijs legendum ſua auctoritate tradidit.* hæc Pater Hieronymus. Quibus apertiſſime docemur. Apoſtolicæ Sedis officium eſſe, ſcriptores, & ſcripturas ad fidem facientes, iudicare, approbare; & vbi opus eſt etiam, reproba-

1. Cap. 1. re. Accipiamus præter hæc, quæ a Beato Paulo ad Corinthios ſcripta sũt ſcilicet. *idipſum dicatis omnes, et nõ ſint in nobis ſchiſmata.* ſi idipſũ dicere debemus omnes, vt eſt omnino confitendum; & ſchiſmata

tollenda

tollenda; neceſſe eſt, vt vnus omnium primus conſtituator, qui cuncta decernat. Talis autem eſt Summus Pontifex, Chriſti Vicarius, de quo ſcriptum legimus. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua; et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.* Id docemur ab Innocentio Papa, Siluano ſeni, Valentino, & cæteris qui Synodo Mileuitanæ interfuerunt, hæc ſcribente. *Dilectiſſimi fratres in Domino ſalutem. Diligenter, et congrue Apoſtolici conſulitis honoris arcam ſuper anxijs rebus, quæ ſit tenenda ſententia, antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quod totum ſemper ab orbe mecum noſtis eſſe ſeruatum. Verum* Ca. quotiēs *hæc miſſa facio, nec enim hoc veſtram credo latere prudentiam, quod e-* 24.q.1. *tiam actione firmaſtis, ſcientes quod per omnes prouincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanant; præſertim quoties fidei ratio ventilatur arbitror omnes fratres noſtros Epiſcopos non niſi ad Petrū ideſt ſui nominis et honoris auctoritatem referre debere, veluti et nunc retulit veſtra dilectio.* Hæc eadem ſcripſit Maximus ad Orientales, & Nicolaus Papa in epiſtola miſſa Phocio Patriarchæ; vt eſt videre in quarta actione, octaui Concilij Icomenici. Munus igitur Romani Pontificis, non Principis Sęcularis eſt ſacra tractare, & quæ ad fidē attinent declarare, dubia quæ circa Ius naturale, & Diuinum emergunt, explicare. Imperatores, qui hoc ius ſibi arrogarunt, a fide defeciſſe etiam legimus. Nonnullos hic recenſebo, ſententiæ noſtræ roborandæ gratia. Magni Conſtantini Imperatoris filius fuit Con- *Tri.l. 4. ca.* ſtantius. Is ad fidem attinentia decernere præſumpſit, eoque te- *38.l. 5.c. 3.* meritatis peruenit, vt Pontifici Romano, a quo iure ipſe docen- *16 l. 4. 39.* dus erat, leges ferre non dubitarit. Hæreſis Arrianæ acerimus fuit etiam defenſor, maculaque illa conſperſus, monſtrum fuit, non *l 6.c 8.c.32* Imperator. Conſtantio ſanguine, & hæreſi coniunctus Iulianus, qui *& c.4.* omnia ſus deque tulit, & tandem ad Gentilium falſum cultum, immo potius ſine Deo viuens, ſe contulit; quæ ad fidem pertinent, dum determinare voluit, omnino fidem miſerime amiſit. Valens te- *Theod. 2.c.* meritate intollerabili ductus, contra ſacrorum Conciliorum Decre- *14. & 15.* ta, leges promulgauit, vt illa non tantum infringeret, verum omni- *Tri.7.31.* no pellumdaret, ac annihilaret. Arrianæ fuit ſectator nephariæ *Niceph.* ſcholæ. Baſiliſcus, qui Concilium ſanctiſſimum Calcedionenſe annulare ſtuduit, Neſtorij ſceleſtiſſimi fuit diſcipulus. Zeno Baſiliſci anteceſſor, & ſucceſſor; ſi quidem vt ab eo fuit eiectus e Regno; ita e *Niceph.* contra e Regno eundem, a quo expulſus fuerat deiecit. Edictū promulgauit, ne quis in Chriſto confiteretur, nec vnam, nec duas operationes eſſe. Is nequiſſimus extitit hæreſi labe fœdatus, vir omni parte damnabilis. Iuſtinianus ſecundus, peculiari Concilio *Plut.* ſua auctoritate congregato, decernere auſus eſt, in Chriſto duas

non fuiſſe naturas. Dũ quæ fidei ſunt tentauit determinare,fidei aduerſatur,tamquam hoſtis immaniſſimus. Philippicus,& ipſe propriæ poteſtatis terminos tranſgradiens, vocando Conciliũ,& ad fidẽ atti-
Pau.Diac. nentia determinando, a propria auctoritate a fideq. Catholica factus eſt longe remotus. A propria quidem auctoritate: quoniam ius Principibus ſecularibus, vt retro demonſtrauimus,ad ſacra tractanda a Deo non fuit conceſſum. A veritate,quia in hæreſim prolapſus, alumnus hæreſis, decreuit hæretica. Leo III.de Imaginibus decreta promulgando, imaginem propriam nube ignominiæ contexit. Etenim contra Imagines leges ſtatuendo,hæreſi fit obſcurus, qui Arriana caligine erat tenebroſus. Leonis filius Conſtantius Quintus conciliabulum illud triginta & octo Epiſcoporum congregando, vt de
Pau. Diac. Imaginibus ſanctorum ageret, vt Patris Imperij fuit hæres, ita paternæ nequitiæ hæreticæq. prauitatis extitit imitator. Conſtantius ſextus, Leonis Quarti filius quintum Concilium generale petitionibus, ac precibus illius celebratum reuocare auſus, hæreſis peſte laborauit. atq. vt ommittam Gizericum, Hunericum,Gundamendũ, Traſamondum,& alios; Henricum Angliæ Regem ſilentio non poſſum præterire. Is dum Romanæ Sedis doctrinæ, & legum fuit diſcipulus: dum coluit Chriſti Vicarios: dumue eis ſe ſubijecit,in tacta relinquens, quæ ad fidem attinent: celebris Chriſti miles extitit, Rex admirandus,Princeps omni laude dignus. At cum in Cathedra Petri ſedere eſt auſus,temereq. de illa afferre reſponſa, ad fidem attinentia decernere,vt immoderatæ propriæ cupiditati, ac libidini ſatiſfaceret: a fide deficiens, Chriſti Eccleſiæ, cuius antea protector extitit, hoſtis euaſit. Felix numquam ſatis commendatus, ſemper laudabilis Conſtantinus, Iouinianus, Valentinianus Gratianus, ac multi alij Imperatores, quorum pietatis,Religionis,& obedientiæ celebris adhuc viuit viuetque ad nouiſſima tempora vſque memoria. Venerabatur Conſtantinus Sacerdotes tamquam perſonas, in quibus Diuinitatis imago ſplendeſceret. Cum vero temporibus ſuis execranda Arrij peſtis increbreſceret; ſumptibus proprijs concilium Nicenum celabrari curauit, vt Catholicæ conſuleretur veritati. In quo ita pie, ita ſancte ſe geſſit, vt nihil ſuperfuerit in tanto Imperatore deſiderandum. Concilium non eſt ingreſſus, niſi prius venia poſtulata,ac impetrata, a Sacerdotibus. Sedem omnium aliarum infimam afferri iuſſit, in eaq. tamquam in loco humiliori cæteris,ſedere voluit. Huic ſanctæ Synodo tercenti, & decem ac octo interfuerunt Epiſcopi. Quorum cum a nonnullis ſyngraphæ eidem eſſent oblatæ, in quibus diſſentiẽtes ſententiæ eorum eſſent deſcriptæ, inuiſæ, & non lectæ, eius iuſſu in ignem ſunt proiecte. dixit ma

tæ,in-

gnus ille Imperator, vt refert Euſebius, a Deo Sacerdotibus in Imperatores vere, & iuſte, datum fuiſſe iudicium, illorum autem iudicem eſſe Deum. Valentinianus hortabatur eligi paſtorem cui poſſet ſe ipſum ſubijcere. Iouinianus Epiſcopos ſeruantes Niceni Concilij decreta ab exilio reuocauit. Gratianus eiuidem Concilij doctrinam amplexus, decretis Patrum obediuit, non autem de rebus ſacris leges ipſe conſtituit, cuncta pie, cuncta iuſte, adminiſtrando Epiſcopos ab exilio liberauit, & proprijs reſtituit Eccleſiijs, qui Damaſi Papæ fidem ſequebantur. His ita ſummatim dictis manifeſtum ſit, Principis ius non eſſe, quæ ad fidem attinent tractare. nunc ad Epiſcorum electiones, & promotiones deueniamus.

Epiſcoporum electionem & promotionem a Principatuum Iuribus nulla ratione pendere.

Caput VI.

INiuſta inualuit ſententia, quod Epiſcoporum electio, ac promotio a Principum penderet poteſtate. Adeo vt Princeps iure ſuo vtens, & in promotione, & in electione Epiſcoporum, poſſit iuſte actionibus illis ſe inſerere. Res quidem (vt mea fert ſententia) a veritate omnino aliena. Oracula ſacra conſulamus obſecro, vt fiat conſpicuum, argumentum iſtud. Apud Beatum Lucam Euangeliſtam hæc leguntur. *Poſt hæc antem deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, et miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem, et locum, quo erat ipſe venturus. Et dixit illis. Meſſis quidem multa eſt, operarij autem pauci. Rogate ergo dominũ meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuã. Ecce ego mitto vos ſicut Agnos inter Lupos. Nolite portare ſacculum, neque peram, &c.* His verbis ſanctus Euangeliſta Lucas nos docet, Epiſcoporum electionem, a Summi Pontificis poteſtate pondere, illorumq. promotionem, non autem a iure Principis ſęcularis. In capite præcedenti ſcripſerat, a Domino miſſos fuiſſe Apoſtolos ad Euangelium prædicandum, gratiaue mira operandi fuiſſe donatos: vt homines præclariſſima Apoſtolorum geſta videntes, in illum crederẽt. Fama iccirco ſancta, & Illuſtriſſima vagabatur, & vbique celeberima erat, qua numerus credentium quottidie augebatur, indieſque

magis Chriſti corpus myſticum ſuſcipiebat incrementum. Multitudine fidelium neceſſe fuit alios eligere, quibus delegaretur munus Gentes vocandi, prædicatione Euangelica inſtituendi, Sacramentiſq. ſanctiſſimis ſanctificandi. Inquit Euangeliſta. *Poſt hæc autem deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciē ſuam in omnem Ciuitatem, locum quo erat ipſe venturus, & dixit illis. Meſſis multa, operarij pauci*. appellat Dominus populos meſſem, vt etiam alibi in Ioanne legimus, vbi hæc diſcipulis dixit. *Ecce dico vobis leuate oculos veſtros, & videte Regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem. & qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, vt & qui ſeminat ſimul gaudeat & qui metit.* Gloſſa interlinearis, per Regiones albas ad meſſem, intelligit corda hominum ad fidem recipiendam parata. Hæc ſunt verba. *Corda hominum. Sicut iam vicina eſt meſſis terræ, ita & meſſis hominum.* id quoque ab Ordinaria, & a Lyrano accipere poſſumus. Acta hyeme infidelitatis, aderat fidei calor, cordaq. parata erant, vt ex illis iuſtitiæ opera colligerentur. Dicens autem Dominus Regiones eſſe albas, hæc verba de Samaritanis protulit, ad credendum diſpoſitis. Ita in hoc loco meſſis nomine, credentes accipit, quorum multitudinem futuram maximam eſſe ait, & iccirco alios ſeptuaginta duos deſignat, illoſq. mittit ad meſſem congregandam in horreum. Triplicem hic Eccleſiæ in ſpirituali poteſtate aſpicimus gradum. Forma Eccleſiæ nobis aſpicienda exhibetur in poteſtate temporali. Primo loco eſt Chriſti Vicarius. Secundo loco Patriarchæ Archiepiſcopi Epiſcopi ac cæteri Prælati. Tertio autem Sacerdotes. Vt a Chriſto Apoſtoli ſunt vocati, vt Luc. 6. & Marci primo legimus, Septuaginta deſignati, & miſſi, vt in hoc loco dicit ſanctus Euangeliſta: ita a Chriſti Vicario Epiſcopi, Patriarchæ Archiepiſcopi, ac omnes Sacerdotes pendent, habentq. poteſtatem ſpiritualem. Adhæc Sanctus Paulus cum maioribus natu Epheſi loquens dicebat. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei.* inquit Spiritum ſanctum eos poſuiſſe, non autem homines, aut Princeps. Præterea ſcribens ad Galatas ſic orditur. *Paulus vocatus Apoſtolus non ab hominibus, neque per homines, ſed per Ieſum Chriſtum, et Deum Patrem, qui ſuſcitauit eum a mortuis.* non ab humana poteſtate, ſed a Diuina ait Beatus Paulus ad Apoſtolatum fuiſſe vocatum. ad Corinthios in epiſtola prima. *Paulus vocatus Apoſtolus Ieſu Chriſti ſecundum voluntatem Dei.* ad Timotheum. *noli negligere gratiam quæ in te eſt quæ data eſt tibi per Prophetiam, cum impoſitione manuum Præsbiterij.* Ad Titum. *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ deſunt, corrigas, et cōſtituas per Ciuitates Præsbiteros ſicut ego diſpoſui*. Paſſim hæc habemus in ſacris Oraculis, hæc vbique in ſcripturis Diuinis leguntur in

tur in

tur in nouo Ieſu Chriſti Teſtamento Epiſcopalem Sacerdotalemue dignitatem, ac poteſtatem, a Deo Chriſtiq. Vicario pendere, non autem a Principum ſecularium auctoritate a Deo elegi,& promoueri, ab eiuſq. Vicario: non a Principibus temporalibus. Immo apoſtolica lege cautum fuit, eum qui poteſtate ſæculari vſus fuerit in Spirituali dignitate conſequenda, ſeueriſſime puniretur. Canone Apoſtolico lex hæc promulgata fuit. *Siquis Epiſcopus ſæcularibus poteſtatibus vſus Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur, & ſegregetur, omneſque qui illi communicant.* Quæ verba relata ſunt a Gratiano in Decreto. Adrianus Papa hanc ſanciuit legem. *Nullus laicorum Principum vel Potentum ſemet inferat electioni, aut promotioni Patriarchæ Metropolitani, aut cuiuslibet Epiſcopi, ne videlicet inordinata & incongrua fiat electio, vel confuſio, vel contentio; præſertim cum nullam in talibus poteſtatem quemquam poteſtatiuorum, vel ceterorum Laicorum habere conueniat, a promotione nedum ab electione abſtinendum eſſe.* Hoc idem Nicolaus Papa inhibuit ſcribens Lothario Regi. *Porro ſcias*, verba ſunt Summi Pontificis illius, *quia relatum eſt nobis, quod quicumque ad Epiſcopatum in Regno tuo prouehendus eſt, non niſi fauentem tibi permittas eligi, idcirco Apoſtolica auctoritate ſub Diuini iudicij obteſtatione iniungimus tibi, vt in Treuerenſi Vrbe & in Agripina Colonia, nullum eligi patiaris, anteaquam relatum ſuper hoc noſtro Apoſtolatui fiat.* In octaua Synodo hæc licet videre. *Conſecrationes, & promotiones Epiſcoporum, concordans prioribus Concilijs clericorum electione, & decreto Epiſcoporum collegio fieri hæc ſancta, & vniuerſalis Synodus definiuit, & ſtatuit, atque iure promulgauit, neminem laicorum Principum vel Potentum ſemet inſerere electioni, vel promotioni Patriarchæ*, vel Metropolitani aut cuiuslibet Epiſcopi, & c. in omnibus locis iſtis maxima adſunt monimenta, quibus docemur, Principibus, & Poteſtatibus ſæcularibus ab electione, & promotione Epiſcoporum, fore abſtinendum. Qua in re non poſſum non ſummopere mirari, & mirando commendare Valentinianum Imperatorem. Defuncto Auxentio, Arrianæ hæreſis non diſcipulo ſed præceptore, qui Mediolanenſis Eccleſiæ, non paſtor, ſed Lupus extitit, eam dilaniando, anxie ſolicitus fuit Imperator noua electione paſtoris huius Eccleſiæ, conuocatiſq. Epiſcopis hæc illis dixit. *Noſtis aperte eruditi Diuinis eloquijs qualem opporteat eſſe Pontificem & quia nō decet eum verbo ſolo, ſed etiam conuerſatione gubernare ſubiectos, & totius ſemetipſum imitatorem virtutis oſtendere, teſtem doctrinæ conuerſationem habere bonā. talem itaq. in Pontificali conſtituite ſede, cui et nos qui gubernamus Imperiū, ſincere capita noſtra ſubmittamus, & eius monita, dum tamquā homines delinquimus, neceſſario veluti curare medicamēta ſuſcipiamus*

Diſt. 16.
Diſt. 63.
Diſt. 63. c. Porro.
Cap. Adrianus. diſ. 63.
Tri. l. 7. c. 8.

ſuſcipiamus. Nec ijs contentus adiecit. *Super vos eſt talis electio Vos enim gratia Diuina potiti, & illo ſplẽdore fulgentes,melius poteritis eligere.* Cum autẽ Dei Opt. & Max. Prouidentia electus eſſet Beatus Ambroſius; hæc dixit. *Gratias tibi ago Domine Omnipotens, & Saluator noſter. quoniam huic viro ego quidem commiſeram corpora, tu autem animas, et meã ſententiam oſtendiſti iuſtitiæ tuæ conuenire.* Hortatus quinetiam eſt B. Ambroſiũ onere non eſſe triſtem, illis verbis. *Noli timere quia Deus qui te elegit, ſemper te adiuuabit, & ego adiutor tuus (vt meum ordinem decet) ſemper exiſtam.* Quid dicam de Conſtantino huius nominis quarto? Is cum ad eius tempora vſque abuſus ille inualuiſſet, nimirum electionem Summi Põtificis a Romano clero ſtatutam, niſi ab Imperatore confirmaretur, eſſe inualidam; religioſe ſecum cogitans ſpiritualem dignitatem a Sæculari dependere non debere; legem conſtituit, vt ſine aliqua confirmatione Imperiali, electio cleri Romani valida exiſteret. Non igitur ad ſæcularem poteſtatem attinet promotio & electio: quod ſi requiritur, ea ratione requiritur, vt electio a clero poteſtate ſæculi ab incurſu hæreticorum ſit tuta. Hæc nos docuit Stephanus Papa, illa ſanctiſſima lege, qua arcet laicos ab electione, illos vocat ad defen-

Diſt.33 ca. quia. ſionem. hæc ſunt verba. *Quia ſancta Romana Eccleſia. cui Deo auctore præſidemus, a pluribus patitur violentias (Pontifice obeunte) quæ ab hoc inferuntur, quia abſque Imperiali notitia Pontificis ſit electio, & conſecratio, nec canonico ritu, & conſuetudine ab Imperatore directi ſunt Nuntij, qui vetent ſcandala fieri. Volumus vt cum inſtituendus eſt Pontifex, conuenientibus Epiſcopis, & vniuerſo clero eligatur præſente Senatu & Populo, qui ordinandus eſt, & ſic ab omnibus electus, præſentibus Legatis Imperialibus conſecretur, &c.* Ceterum quoniam aliquando modum excedebant, terminoſq. tranſgredientes eo deuenerunt, vt catholicæ fuerint inimici doctrinæ ac diſciplinę, quemadmodum iam iam ſumus dicturi, hac de cauſſa ſanctorum patrum legibus cautum fuit, ne ſub pœna excommunicationis huiuſmodi electionibus ſe inſererent. Et quis eorum ſuffragio Eccleſiam obtineret, anathematis vin-

Diſt.63.c. quia. culo nodaretur. Male ſibi profecto conſuluit Conſtantius, qui vt

Ruf. 10.ca. 19. propria ferebat eum voluntas, Eccleſijs Epiſcopos præponebat, & ab ipſis eoſdem reuocabat. Arrij doctrinæ ſectator quæ ſuæ non erant poteſtatis. ſibi arrogabat, Iulianus omnium peſſimus iniquiſſime ſe geſſit, dum Epiſcopus cognoſcere noluit, arma tractare, & mi-

Tri. 6. c. 6. 4 et 32. litare Sacerdotes coegit, indulta a Patruo illius ſacris Virginibus, & Sacerdotibus conceſſa abrogauit. At Apoſtata, Gentiliſq. extitit.

Theo.l.2.ca. 14.15.Tri. 7.31. Valens, qui omni ſpetie ignominiæ Eccleſias fœdauit, Epiſcopos ædibus ſacris priuauit. Nequiſſimus hæreticus, ab omnibus eſt habitus, & a fratre, Dei rebellis appellatus. Valentinianus ſecundus

auſus

auſus eſt eijcere Sanctum Ambroſium virum omni doctrina, moribus, & sãctitate admirabilē, ab Eccleſia Mediolanſi, qui matris Iuſti næ fraude deceptus, hæreſim Arrianam toto pectore hauſerat. Zeno, Petrum Gnapheum Eccleſiæ Antiochenæ præfecit, Imperator hæreticus Patriarcham hæreticum Eccleſiæ præficit. Anaſtaſius, qui ſponte Epiſcopos creabat, & illos relegabat, anteaquam Imperio eſſet decoratus, ob hæreſim ab Eccleſia fuit electus. Si Leo tertius Patriarcham Conſtantinopolitanum nomine Germanum a paſtorali munere ſegregat, & relegat; Anaſtaſium virum fidei corruptæ eius loco ſufficiendo, imagines ſanctorum deſtruendo, aliaq. ſcelera perpetrando, hæreſis propriæ imaginem omnibus inſpiciendam præbet. Si Conſtantinus quintus eius filius Patriarcham Conſtantipolis publice virgis cædi iubet Aſino inſedentem, facie verſus poſteriora dorſi illius tenētem. ſi Conſtantinum Monacum, quem Patriarcham elegerat & Eccleſiæ præfecerat, nota igni in facie inuſta relegat, mox ab exilio ad ſuplicia perferenda reuocat. iubens illius Barbam, Supercilia, & capillos abradi, Aſello ſuperimponi caudam manibus tenere, qui Aſellus a nepote huius monaci naribus ſemiprçciſis ducebatur; indui veſte lanea, de collarique tandem caputque abſciſſum ſuſpendi. Si Nicetum Eunuchum omnibus reclamantibus legibus, Epiſcopum facit: is nequiſſimus fuit hçreticus, omniq. ſcelere plenus. Sancte agunt, pie operantur, qui ab ijs ſe abſtinent, pro certo habentes munus hoc ad aliam attinere poteſtatem. ſic ſenſit Ludouicus, & alij, qui filij Eccleſiæ a Deo Imperium eis fuiſſe donatum, exiſtimarunt, vt Eccleſiam tuerentur, non autem vt ſacra tractarent, Epiſcopos eligerent, & promouerent. Religio eſt protegenda. Id nunc ſupereſt dilucidandū. Verum quæramus primo. Num iuribus Principatuum Templa Deo dicata ſint ſubdita.

Theo. ſ. ca. 13. 14. 15.

Niceph.

Niceph.

Paul. Diac.

Pau. Dia.

An Eccleſiæ Deo Opt. & Max. dicatæ principatuum iuribus ſint ſubiectæ.

Caput VII.

SAcra hæc de quibus hactenus fuit diſputatio a iuribus principatuum immunia eſſe, ijs quæ ſunt dicta exploratum eſſe exiſtimo. Atqui quoniam huic quæſtioni hæ ſunt annexæ; nam Eccleſiæ ipſæ, & Eccleſiarum agri, ac Decimæ illa iura effugiant

fugiant,ideo ne oculis lippis hæc videar inſpexiſſe,de ijs præſens erit labor. Primo autem ordiar a Templis. Non defuerunt qui ſibimetipſis perſuaſerunt, poſſe Principes Eccleſias Deo dicatas, iure ſuo poſſidere, illiſq. ad propria vti commoda. Huius ſententiæ fuit Valentinianus, Theodoſij ſenioris filius, ea ductus ratione, quoniam in poteſtate Imperatoris, cuncta eſſent poſita. Error eſt intollerabilis, a Sancto Ambroſio, & vitæ periculo reiectus, & ſcriptis reprobatus. Inquit vir ſanctus. quæ Deo ſunt dicata poteſtati Principum minime ſubduntur: at ſacella, & Eccleſiæ ſunt Deo dicatæ: igitur Imperatorum poteſtati non ſubiiciuntur. Ad hæc in ijs quæ ſunt Diuina nullum ius habet Imperator; at Templa ſunt Diuina, igitur in illis nullum ius habet Imperator. Præterea (& eſt confirmatio præcedentis rationis) poteſtas temporalis ideo talis eſt, quoniam terrena ac temporalia reſpicit: at Eccleſia non eſt quid temporale, ſed ſacrum, ac ſpirituale: igitur ad poteſtatem temporalem non pertinebit. Quod temporalis poteſtas reſpiciat duntaxat temporalia, inde fit conſpicuũ: quoniam potentiæ ab obiectis diſtinguntur. Quod etiam temporalis poteſtas diſtincta ſit a ſpirituali, iam probatũ fuit. Eccleſia eſt domus Dei; Palatia, domus Principũ ſunt; igitur ad Ius Principatuum Eccleſiæ non attinent. Nouiſſime arguit Pater Ambroſius. Nabot interpellatus petitione Regis Acab, vt daret vineam ſuam, vbi ſuccisis vitibus, Rex vile holus ſereret, negauit dicens, *Propitius ſit mihi Dominus, nedem hæreditatem patrum meorum tibi.* quo reſponſo contriſtatus eſt Rex, quoniam iuſta relatione ius alienum eſſet ſibi denegatum. At ſi ſibi arrogare non poteſſe patrimonium laici, multo minus Templum Dei. Ad hæc, quæ ſunt Cæſaris Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo reddenda eſſe, dixit SALVATOR

23.q.8. noſter, ſed Eccleſia eſt Dei, Tributum Cæſaris; igitur Eccleſia nõ eſt Cæſari reddenda. Concludit eſſe nepharium quod Principi tradatur Eccleſia illam petenti. Sic ſcripſit iſte *Mandatur trade Baſilicam, hoc eſt dic aliquid verbum in Deum, & morere. nec ſolum dic aduerſus Deum ſed etiam fac aduerſus Deum* hæc omnia leguntur c. conuenior. Cæterum qoniam ad hunc deuenimus locum, adductum ab aſſerentibus in Papa temporalem non reperiri poteſtatem, in propriæ doctrinæ robur; liceat mihi obſecro verba Sancti Ambroſij adducere, & oſtẽdere nullo modo ex illis, id, quod opinantur ipſi, elici poſſe. Primo autem argumentum Patris Ambroſij videamus, vt facilius pateat verba huius Sancti viri gratis adduci. Valentinianus Theodoſij iunioris filius cum Imperium obtineret hæreſi percitus, multa execranda commiſit. Inter cetera hoc tentauit, vt Mediolani Templa Gẽtium cultui reſtituerentur. Qua de cauſſa miſit armatos milites, & Symmachum Præfectum, vt Baſilicam Beati Ambroſij adirent, & obtine-

rent. Vir Dei gregis verus Paſtor, tantum ſcælus eſt deteſtatus; & occurrens turmis orationibus, ac pſalmis, illis reſtitit. Rem geſtam ſcribens,& cauſſam huius facti aſſignans, quæ nunc recitauimus adducit, oſtendens a Principe temporali, in templum Dei nullum ius haberi, ſumiſſe loquẽs ſemper,& verbis vtens, vt dicunt, affectus plenis. Sic ſcribit. *Conuenior ipſe a Comitibus, vt per me Baſilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem iure ſuo iuſſiſſe tradi debere, vt pote in cuius poteſtate eſſent omnia.* hic iacit fundamentum, quo Imperator templum petebat, illud autem erat ius Principatus, ac Dominium Principis. *Reſpondi ſi a me peteret quod meum, eſt, ideſt fundũ meũ Argentum meum, & huiuſmodi meum, me non refragaturum, quamquam omnia, quæ mea ſunt, ſint pauperum. verum ea quæ Diuina ſunt Imperatoriæ Maieſtati non ſunt ſubiecta. Si patrimonium petit, inuadite; ſi corpus occurram. vultis in vincula rapere; vultis in mortem: voluntas eſt mihi. Non ego me vallabo circumfuſione populorum, nec altaria tenebo vitã obſeruans, ſed pro altaribus gratis immolabor.* Videas obſecro quomodo (vt dixi) humilitate, & Caritatis ardore ſit refertus ſermo. Ait ſe daturum bona. Argentum, Aurum, & vitam. Non quod Principatus iure hæc poſſit ſibi arrogare Princeps, vt hic, & alibi fuit demõſtratum. bona hæc pauperũ eſſe atteſtatur; vitæ autẽ dominus eſt Deus. Princeps non eſt dominus bonorũ ſubditorũ, ſed ſubmiſſionis, & Caritatis officio ait omnia ſe daturũ. Paucis interpoſitis addidit. *Noli te extollere, ſed ſi vis diutius imperare eſto Deo ſubiectus ſcriptum eſt enim reddite quæ ſunt Dei Deo; & quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Ad Imperatores Palatia pertinent, ad Sacerdotes Eccleſiæ, publicorũ tibi mœniũ ius commiſſum eſt.* His verbis docet Imperatorum poteſtatem limitibus ſuis eſſe concluſam; verſari nimirum circa temporalia, non autem circa Eccleſias, quæ ſunt Dei domus. reprimit Valentiniani inhoneſtam, iniuſtamq. voluntatem, & reijcit illius errorem. Quoniam domus Principum ſunt Palatia; habitacula Dei ſunt Eccleſiæ. Cura Imperatorum eſt murorum prophanorum. Cuſtodia Sacerdotum, eſt Eccleſiarum Deo dicatarum. Ex ijs verbis, non ſequitur (o vir doctiſſime) igitur Papa vt Papa non habet iuriſditionem temporalem. Aliena eſt hæc deductio à ſcopo Patris Ambroſii, & a verborum ſenſu. A ſcopo quidem quoniam conſilium eſt retundere illius Imperatoris nimiam audatiã, Eccleſias prophanare ſatagentis, illaſq. ſibi proprio iure iniuſte arrogantis. Siquidẽ nec leges admittunt, nec iura Principatuũ id poſſunt Principibus condonare. A ſenſu autẽ, quoniã dumtaxat vult illis verbis a Principe temporali, ſolũmodo rerũ temporaliũ curã haberi. Loquitur de Sacerdotibus generatim, quorũ intereſt genere curã Baſilicarũ, & illas cuſtodire; nõ autẽ de Sũmo Sacerdote, cõparando auctoritatẽ, ac poteſtatẽ, vtriuſq. Deinde quibuſdam

adiectis.*Reſpondi ego,quod Sacerdotis eſt,faciã;quod Imperatoris eſt,faciat Imperator.*Ecce comparat ibi officiũ Sacerdotis,cũ officio Imperatoris, non autem cõfert Imperatoris auctoritatem, cum Pontificia poteſtate. Quare locus iſte nihil adiumenti affert Catharino, Soto, ac ijs, qui ex eo arbitrantur colligi poſſe rationem, aptam ad probandum, Papam, vt Papam, nullam habere rerum temporaliũ poteſtatem. Concludamus ijs, ad rem propoſitam redeuntes, Principes Iure Principatus Eccleſias poſſidere non poſſe, ac illas ſibi arrogare. Hoc relicto diſputationis membro,inquiramus, an agri, & bona immobilia, ſint immunia adeo a iuribus Principatuum,vt Princeps iure ſuo vtens, nullum illis poſſit imponere onus,& quæ vulgo Collectas dicunt.An ve agri ipſi ſubdantur illorum iuribus.

An Princeps iure ſuo poſſit bonis immobilibus Eccleſiæ Imponere onera.

Caput VIII.

ECcleſias Deo Op. & Max. dicatas iuribus Principatuũ non ſubdi, quemadmodum æquo animo concedent omnes,ita forte ſuſpicari poterunt,ſi non negabunt, agros ſaltem illorum ditioni ſeu iuribus ſubdi. Quæ propoſitio, dum ſcilicet dicimus, bona mobilia ſubduntur Principum iuribus, duplicem recipit intellectionem, geminumq.in nobis poteſt parere ſenſum. Vel quod agros Princeps poſſit ſuos facere. Vel quod onera, ac vt dicunt Collectas, illis poſſit imponere.Ideo ſub vtrauis intelligentia eſt diſcutienda propoſitio. Et primo ſub primo ſenſu accepta.Dicamus igitur libere huiuſmodi bona, & ipſa quoque immunia eſſe a Principum iuribus. Veluti ſi dicamus,quod Princeps nequit illa ſuo iure arrogare, legeſue vt dicunt STATVS id ei minime poſſunt elargiri. Res hæc quoniam eſt fere nota, paucis erit contenta rationibus. Accipiamus primo argumentũ,quo vſus eſt Sanctus Ambroſius,deſumptum ex ſacra hyſtoria Regum, & tale eſt.Vinea erat Nabotho Iezrahelitæ,qui erat
3.Cap.21. in Iezraehel,iuxta Palatium Acab Regis Samariæ. Incidit in animũ Regis,Succiſis vitibus, hortum conſtruere ex illa Nabothi vinea ad holera ſerenda. Petijt Acab a Naboth vineam, cui Regiæ petitioni ſic reſpondit *Propitius ſit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorũ tibi.*Iuſta reſpõſione adeo indignatus eſt Acabus vt lectũ aſcenderit;

aſcenderit, & faciē conuerterit ad parietē, ne carós ac domeſticos aſpiceret;&cibos in alimētū sūere recuſauerit.Impia & nequā vxor Acabi Iezabel,Nabothū innocentē,conſilio,& aſtu eiuſdem Reginæ, ab iniquis teſtibus falſi criminis accuſatum, lapidibus obrui iuſſit. Quo mortuo vineam poſſedit tandem Acabus. Locum hunc conſiderans Pater Ambroſius,ait.Indignatus Rex ille relatione iuſta,cum ius alienum eſſet ei negatum.Colligamus rationem, iniuſte petebat Rex Acabus, quia ius alienum poſtulabat; non ergo iure proprio poterat Rex petere alienum ius. Si proprio iure Rex hoc conſequi nequibat, & iniuſte efflagitabat: igitur multo minus poterit Eccleſiæ bona dicata,iure ſuo inuadere, ac poſſidere. Lex quæ repugnat iuſto,non eſt lex. Nam, vt iam diximus, lex eſt Sanctio Sancta, ſuū cuique tribuens.At inquit Pater Ambroſius, iuſte fuiſſe ei negatum alienum ius. Qua in re illos conuenio ſcriptores, qui fucata quadam doctrina nituntur perſuadere, omnia licere Principi iure Principatuum, ſiue iniuſta ſint, ſiue legi Diuinæ repugnent. Non animaduertunt ij, nullam eſſe legem, quæ iuſtitiæ opponitur (ſi lex debet appelari vere, non autem in honeſta, ac iniuſta voluntas) ac legi Diuinæ. Scutum, quo tegitur impietas, cudunt illi, qui ſecus ſentiunt, & diuerſum ſcribunt ab hac veritate; non autem ius Principatus, legeſue vt dicunt STATVS, deſcribunt, Si leges debent dici, ac eſſe, ab illis neceſſe eſt ea contineri, quæ ſunt eſſentialia legibus, & quibus leges conſtituuntur in eſſe; atqui vti homo,nulla alia cauſa, nulloue alio principio conſtituitur in eſſe hominis, niſi rationalitate; ita leges, iuſtitia conſtituuntur in eſſe.Si confuſio poteſt dici ordo; turpe, honeſtum: lex quæ iniuſta iubet, lex dici poterit. Legem humanam veluti partum legis Naturæ, hanc vero legis Diuinæ ſimulacrum eſſe, iam patefecimus. Eſt ordo in Deo, in Natura, ac mente humana.Ordinis in mente humana exiſtentis rectitudo depen det a rectitudine, quæ reperitur in ordine Naturæ. Hæc vero rectitudo pendet ab ordine, exiſtente in mente Diuina. Reuerendus numquamue ſatis laudatus Donus Claudius Sangeruaſius Patritius Brixiēſis,ordinis noſtri Canonicus,qui morum probitate,vitæq. integritate, ſtudijs bonarum artium ac ſacræ Theologiæ clarus,& Sancti Saluatoris cænobio noſtro Brixiæ, & Sancti Marini Arimini, non ſemel, ac alibi præfectus fuit, vt nunc præeſt, humanas leges ſimiles riuulis a Fonte ſcaturientibus facit. Quemadmodum riuuli puriſſimi ac limpidiſſimi ſunt,vt ab oculis fontium emanant,ac cum illis ſunt coniuncti. vt vero diſtant terram irrigando claritatem ammittunt, & puritatem,a terre fæcibus infecti. Sic humanæ leges vt a Diuina prodeunt, & cum illa coniunctæ iacent ſunt iuſtæ ac Sanctæ leges.Vt autem ab illa diſcendunt humani affectibus obliquis miſcen

tur, perdunt rectitudinem, & illarum bonitatem, & ſunt prauæ hominum ſententiæ quæ refragantur Diuinæ. Hæc eſt legis vita, vt retro, nec ingrato forte examine rationis, perpendendo rem, de monſtrauimus. Hæc itaque cum ita ſe habeant, qui obſecro fieri nam poterit, vt Principi liceat ſuo placito, proprioq. capite vitam ducere; aliena inuadere, vel detinere; ius ſuum alijs non tribuere: falſa illa paræmia ductus, nimirum Principatus iure id ſibi licere? quotieſcũq. ab ordine Naturæ, ac Dei ordine, iuſtitiaq. declinat, errat proculdubio. Nec quis dicere debet, id poſſe Principem iure Principatus. Sunt fabulæ aniles iſtæ, ab indoctis, aut adulatoribus repertæ, qui ignorantes, quid nomine iuris ſit accipiendum, hæc ſentiunt. Si enim nomine *iuris* accipiunt leges, ad Principatum attinentes; lex vero ſit ordini in Diuina mente exiſtenti, reſpondens. Oppoſitum facit in adiecto illa enuntiatio, cũ dicimus. Iure Principatus poteſt agere cõtra ius, declinãdo a Diuina lege, & Naturæ. Ius certe nõ erit, ſed iniuſtitia & iniquitas. Haſce autẽ leges, Principatus non habent nec habere poſſunt. Sin autem nomine *iuris* accipiunt poteſtatem ij, qui talia aſſerunt; adhuc eidem luto hæremus. Quandoquidem tale ius a Deo prouenit, vt ſecundum Dei legem, non contra eam Princeps operetur. Abuſus erit legis, & poteſtatis Principatus, ſi aliter agat quam iubeat iuſtitia, Princeps. Ecce ſint duo Principes in Italia, exẽplis cauſſa (nec enim hæc ſcribo, niſi vt exemplo quid mihi velim explicem, non autem quod ſimile aliquid actum nouerim) inter quos ſit lis, de aliqua Prouincia, aut Prouinciæ parte, ad tribunal ſuperioris Principis, nimirum Imperatoris, Cuius Maieſtatis interſit huius controuerſiæ proferre iudiciũ. Reus ſit impotentior populis, ac prouincijs. Ab vno, & altero poſſit copijs adiuuari Imperator, atque ſe, ac ſuas iuriſdictiones, quas habet in Italia tueri. Poſſit quinetiã timere, ſi vnus horum fortior fiat, ille ſcilicet qui ſuperat alium; in aliquo belli aduentu ab ipſo deficiat, & alteri Principi Prouincias Imperij inuadenti, copijs præſto ſit. Hæc ſecum excogitando, & animo reuoluendo, ſententiam proferat contra actorem iniuſte, ea ratione ductus, quod vni detrahendo, & alteri addendo, ſibi conſulet, rebuſq. proprijs opportune proſpiciet. Nam quem ditat habebit ad parendum ei hoc nouo beneficio, & obligatione deuinctum. Depreſſus autem non erit ei timendus, quoniam inimicus ditior factus erit eidem timori, atque formidini. Res Imperij magis tutæ hac via factæ, tranquillitate fruentur. dicat mihi quis obſecro, an liceat iure Principatus talia committere? Malchiauellus qui omnia ſuſdeque fert. Qui iuſte & iniuſte omnia licere Principi pro ſui commodo agere affirmat, hoc etiam aſſerere poterit. Princeps tunc eſt homo, & homo iudex. ideo iuſtitiam. & ius ſequi debet. At ius tale iuditium

abhorret.

abhorret. Lex autem Naturæ inquit. Quod tibi non vis, alteri ne feceris Nemo inſons lædendus. Alter inuigilabit ne quod iniuſte poſſidet, alteri cedat, timẽs ne vires eius augeantur eius cui fit reſtitutio, & labentibus annis, damni illati ſibi, vindictam ſumat. Et ſic retinet iniuſte, & contra ius, & iuſtitiam alienis fruitur. Alter excitabit bella in Regno alterius, excitataq; fouebit, vt vires eiuſdẽ paulatim imminuantur, qua retutiori animo propria poſſideat. Alter vicini Principis vires ſecum mente reputando, ægre illas ferens, ei erit impedimento, ne maior fiat, vt magis poſtea ſit ille ſibi timendus. Laborabit alter, ne quis ſuccedat defuncto Principi mortuo, Prouinciam ſibi proximam poſſidenti, cum æquales ſint timendi, maiores vero ſint formiduloſi. hæc ne iuſte fiant Iure Principatus? voluntatis corruptæ ſunt effectus, non autem Iuſtitiæ. Dum ij, quæ diximus, ſentiunt iure ſtatus licere, non animaduertunt præter ea, quæ retro hic ſunt dicta, quod iuris Principatus ideam, & characteriſmum non ius ſtatuunt, non legem, non phas; ſed barbariem quandam, immoderatam voluntatem, iniuſtam mentem, ac ipſam met impietatem. Redeamus ad rem propoſitam, & dicamus, quod ſi bona laicorum non poteſt Princeps Iure Principatus ſua facere, multo minus Eccleſiæ agros, ac alia huiuſmodi bona. Confirma, quia quæ Deo ſunt dicata, a iuribus Principum ſunt immunia; at agri, domus, ac talia Eccleſiarum bona, ſunt Deo dicata; igitur a iuribus Principum erunt libera. Maior eſt apertiſſima his, quæ ſcripta ſunt a Patre Ambroſio, a nobis nunc relata. Minor eſt manifeſta. Hæc omnia leguntur in decreto Bonifacij Papæ, cuius exemplum eſt iſtud. *Nulli licet ignorare, Omne quod Domino conſecratur; ſiue fuerit homo, ſiue animal, ſiue ager, vel quicquid fuerit conſecratum ſanctum, ſanctorum erit, & ad ius pertinet Sacerdotum. Propter quod etiam omnis, qui quæ a Domino, & Eccleſia eui competunt aufert, vaſtat, & inuadit, vel eripit, & vſque ad emendationem Eccleſiæq. ſatisfactionem, vt ſacrilegus iudicetur, & ſi emendare noluerit, excommunicetur.* Quæ Deo ſunt dicata ſacra ſunt; talia autem vſui laico nullo iure poſſunt adaptari, nec iuri temporalis Principis, aliqua ratione ſubdi. Sacrilegos illos appellat, qui talia bona ſibi arrogant. At ſacrilegium quis non fatebitur eſſe, illa obliquitate rationis, contra legem ſacra prophanando? His non contentus. Summus Pontifex, vt grauitatem delicti oſtenderet, & cuſtodia talia bona muniret, excommunicationis pœna illos eſſe puniendus decernit, qui bona huiuſmodi Eccleſiæ non reddiderit. Gregorius quoque huius nominis ſeptimus hac eadem pœna excommunicationis illos plectendos ſtatuit, qui bona Eccleſiæ a Principe ſuſcepetit, niſi Eccleſiæ reſtituat. Conſidera obſecro

12. q. 2. ca. nulli.

ra obſecro , excommunicationi ſubiacere ſancit , eos , qui bona Eccleſiæ a Principibus ſeu a Regibus acceperint , & Eccleſiæ illas non reſtituerint . Porro ſi Princeps poſſet iure ſuo Principatus, talia bona ſibi arrogare, iuſte qui recipit, illa poſſideret , & nec reſtituere teneretur,nec excõmunicationis pœna eſſet damnandus. At quoniam Princeps nullo iure huiuſmodi bona poteſt ſibi arrogare(quod ſi hoc faceret, iniuſte ageret; & quæ eius non ſunt,alijs elargiretur) ideo recipientes Eccleſiæ bona a Principibus,reſtitutioni eſſe obnoxios, lege decernit Gregorius Papa . Pius quoque ſacrilegos illos

1.q. 2. cap. prædia.

appellat, qui bona Deo dicata Eccleſiæ ſcilicet , uſui proprio deſtinant. Quæ vero pœna ſacrilegis ſit aſſignata,ſi ſecundum ius Cæſareum loquamur ; ſeu ſecundum ius Pontificium; Gloſſa conſulenda eſt,in eodem loco,in verbo iudicetur.Concluſio igitur hæc ſit Quod Iuribus Principatus Princeps non poteſt ſibi arrogare prædia , bonaq. Eccleſiarum immobilia,quoniam quæ Deo ſunt dicata, aliena ſunt a Iuribus Principum.Hac abſoluta quæſtionis parte, ſecundam aggrediamur. An Eccleſię bona ſubijciantur Principum iuribus , ratione Tributorum Adeo vt poſſit Princeps proprio iure Collectas (vt dicunt)illis imponere.

Principatus iuribus collectas bonis Eccleſiæ imponendas non eſſe.

Caput IX.

SVſpicabitur forte aliquis Principatuum Iuribus immobilia bona ſubijci,Tributorum, ac onerum ratione.Cuius rei ea poterit eſſe perſuaſio , quoniam dicebat Pater Ambroſius . *Si aurum meum , ſi fundum meum, ſi argentum meum , a me petet, reſpondi non refragaturum .* & paulo inferius aiebat . *Tributum eſt Cæſaris, & non eſt negandum.*Si ergo petendo Princeps Aurum,& Argentum,ei non ſunt hæc neganda; igitur onera imponere,& exigere poterit iuribus Principatus, a bonis eccleſiæ. Præterea iuſſit Dominus (vt apud Sanctum Mattheum legimus) Tributum dari pro ſe , & Petro; igitur Eccleſiæ bona oneribus & collectis (vt dicunt) Principum Iuribus erunt ſubiecta . Si enim Dominus ſe ipſum non eximit a Tributo,& onere, multo minus prædia erunt immunia.Tertio (vt c.aduerſus legitur) deficientibus bonis Laicorum, bona Eccleſiæ

Ex de im. Eccleſ.

ſupplere

ſupplere debent,igitur poterit Princeps bonis Eccleſiæ aliquando onera imponere. His itaque perſuaderi poſſe videtur, Principatuũ Iuribus ſubijci Eccleſiæ bona,adeo vt ſuo iure vtens Princeps, poſſit Collectas imponere, & Tributa exigere. Sentẽtia hæc noſtra tempeſtate apud nonnullos adeo inualuit, vt pro conſtanti habuerint, iuſte a Principibus id poſſe fieri. Quis vero omnium primus hanc inuexerit ſententiam in ſcripta; cuius ve fuerit proprium repertum iſtud, haud noui. Id tantum dicam, illam a veritate omnino eſſe remotam, & qui talia comminiſcuntur, commentaq. ſcriptis commẽdant, errandi Principibus præbent anſam, non autem proprio iure vtendi. Meum erit negotium in præſentiarum, oppoſitum in gratiam veritatis demonſtrare. Ad hoc autem efficiendum, accipiamus primo id, quod legimus in ſacra Geneſi a Pharaone geſtum. Narrat ſacer hyſtoricus, quod dum magna penuria anonæ laboraret Aegyptus, populi fame oppreſſi, cum totam expendiſſent pecuniam in frumento emendo, ad Ioſephum venerunt alimoniæ emendæ gratia. Ceterum quoniam pecunijs exhauſti erant populi illi, non tantum armenta, verum & agros pro frumento dederunt. Res eo deuenit, vt vendentibus ſingulis proprios agros, nimia famis anguſtia coacti: vt opera Ioſephi, omnis Aegypti terra, omneſq. populi a nouiſſimis terminis illius Regionis, vſque ad extremos Pharaoni ſubijcerentur. Ab hac calamitate, & anguſtia exemit Pharao Sacerrdotes, ac illorum prędia quæ ipſis ab eodẽ data fuerant. illiſq. ex publicis horreis alimẽta præbebantur. Ex hoc loco hanc colligo rationem. Pharao qui diuinæ legis obſeruatione non viuebat; Sacerdotibus, & illorum agris onera non impoſuit, dum totam Aegypti terram in ſeruitutem redegit; igitur multo magis erunt immunes agri Eccleſiæ, ab oneribus; nec Princeps proprio iure poterit illis onera imponere. Ratio hæc fuit patrum in Lateranenſi Concilio. Confirmatur quoniam ab eodem Concilio decretum fuit ſub anathematis pœna (cuius decretum refertur c. non minus) ne Princeps quauis de cauſa onera imponere poſſit Eccleſiæ bonis. ex adducto loco ſacri Concilij hæc colligo. Primum quod anathematis pœna interdicitur Principibus, onera imponere bonis cEccleſiæ. Generatim loquendo de oneribus, & Principibus, ait. *Conſules & Rectores Ciuitatum, nec non alij, qui poteſtatem habere videntur.* Quæ verba omnes ampleсtũtur, qui populis præſunt, & imperant. Loquendo de impoſitionibus, eas nomine onerum appellat. Quod nomen eſt genericum, continẽs omnes ſpecies impoſitionum. Inhibendo autem onera, præceptum omnia negat onera & ſemper. Adeo vt ſiue ſit neceſſitas, ſiue hæc abſit, numquam poterit Princeps proprio vtens iure, onera bonis Eccleſiæ imponere. Et ideo ſubtexitur. *quod vbi fuerit neceſſitas, ſi*

Clerici

Clerici cum Epiſcopo, expedire cognouerint, vbi laicorum facultates non ſuppetunt, aliquid ſponte tribuere abſque vlla exactione. neceſſitate magna vrgente Concilium relinquit hoc voluntati clericorum & Epiſcopi. His non contenti Patres, vt omnibus conſpicuum fieret, quod nullo euentu poſſunt onera imponi a laicis Eccleſiarũ bonis; addiderunt verbum illud *ſine vlla exactione.* Relinquit hoc vt dixi Cõcilium voluntati, ac arbitrio clericorum. Et ſi ab illis, aliquid tribuetur, ea lege eſt accipiendum, vt nullum habeant ius Laici exigendi. Colligo ſecundum, quod nec cauſſa publicæ vtilitatis poſſunt imponi Collectæ a Principibus, & a Republica bonis Eccleſiarum. Inquiunt verba conclij *Siue quidem foſſata, ſiue, expeditiones, ſiue alia quælibet.* pondero verba. *Foſſata* vt obſeruat etiam Panormitanus in eodem titulo, ad bonum publicum, ad communemue vtilitatem actinent. Cum ergo harum rerum gratia inhibeat Concilium Collectas, ac onera imponi; ſane nec Pontium, nec Viarum occaſione, poterunt imponi onera Eccleſiæ bonis, cum in his omnibus eadem ſit ratio, in eodemq. ſemper materia verſetur diſcrimine. Inſuper in generali Concilio Lateranẽſi ita decretum fuit. *Aduerſus Conſules & Rectores Ciuitatũ, vel alios viros, Tallijs ſeu collectis. exactionibuſq. alijs aggrauare nituntur. volens immunitati Eccleſiæ Lateranenſe Concilium prouidere præſumptionem huiuſmodi ſub anathematis diſtrictione prohibuit tranſgreſſores. & fautores eorum excommunicationi ſuicacere præcepit, donec ſatisfactinem impenderint competentem.* in hoc Cõcilio inhibentur Talliæ Collectæ, & exactiones omnes. Vocibus illis *Tallijs, ſeu Collectis* adijecerunt Patres *& alijs ex actionibus.* Vt complecterentur omnes impoſitiones; Cum autem quis negat genus, negat & ſpetiem. Si nego animal, nego Leonem, Capram, Canem, & Equum. argumento a genere ad ſpetiem (vt inquiunt Logici) negatiue, eſt efficaciſſimum. Inhibentur quinetiam omni tempore. vt retro nunc dictũ fuit, quoniam neceſſitate vrgente, nec onera illis imponi poſſe, decernit generale Concilium, licet Laicorum non ſufficiant facultates. Relinquitur arbitrio Clericorum, vbi communis vtilitatis cauſſa, vt puta in Pontium reſtauratione, ac murorum ciuitatis, Collectæ eſſent imponendæ. Verba Concilij ſic legunt. *Ad releuandas vtilitates, vel neceſſitates communes.* Remouet omnem obligationem ſoluendi, & tribuendi a Clericis, illis verbis *Abſque ulla coactione, &* illis. *Laici humiliter, & deuote recipiant cum gratiarum actione.* Si iure ſoluerent, gratiarum actio nullum haberet locum, nec humilis & deuota receptio. Additur hic. Quod etiam in hoc euentu non temere, aut facile Clerici ſuccurrant, ſed prius conſulendus ſit Romanus Pontifex, cuius intereſt communibus utilitatibus proſpicere Hoc etiam animaduertit Panormita. in eodem loco. Hæc decreta ſi

abhor-

recte ponderaſſent nonnulli Scriptores; calmo, & labori pepercisſent, & ſcriptis oppoſitum commendando, non dediſſent anſam vertendi principatum in tyrannidem, dum bonis Eccleſiæ volunt a Principe onera poſſe imponi. Alexander Papa huius nominis quartus Innocentij quarti ſucceſſor. cuius vita ſanctiſſima ab omnibus laudatur; Diuino numine afflatus, præſagiens fore, vt nonnulli nimis proprium ius augentes, Eccleſiæ immunitatem imminuerent matura cum illuſtriſſimis ſacri Conciſtorij Cardinalibus habita deliberatione, inhibet Tallias, omnes ve exactiones alias, bonis, domibus, ac perſonis Eccleſiaſticis imponi, a quibus & immunes facit agros ab Eccleſia aquiſitos. An vero loquendo de huiuſmodi prædijs, generatim ſit verum hoc, tum de ijs, quæ onera habebant, tum de ijs quæ carebāt onere, nō eſt hic diſſerendi locus. Sufficiat nobis a Sanctiſſimo Alexādro decerni, quod iure proprio Principes Tallias Prædijs, ac bonis immobilibus, & mobilibus; aliasue exactiones nequeant imponere. Quam conſtitutionem a Bonifacio octauo confirmatam fuiſſe legimus, c. quamquam. Quo in loco excommunicationis pœnam ipſo facto incurrere illos decernit, qui exactiones pedagia, & alia huiuſmodi a rebus, vel a perſonis Eccleſiaſticis exigere, aut proprio nomine, aut alieno tentauerint. Ad hæc idem Papa ſecum reputans, quod Clerici Laicis ſolent eſſe infeſti. Et experientia duce notum eſt, nonnullos aliquando reperiri, qui proprijs finibus non contenti nituntur in vetitum cupiuntq. negata; ad illicita fræna relaxantes, illicite vtuntur poteſtate, a Deo illis elargitat Clericos, & bona Eccleſiaſtica. ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna hos qui talia egerint, vult, atq. decernit eſſe punitos. Præcipitq. prælatis in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub pœna depoſitionis, diſtricte mandando, ne talibus aſſentiāt. diſcant qui oppoſitū ſentiunt, an Iura Principatus ſint proprijs concluſa limitibus. Conſiderent an licite Princeps temporalis, poſſit bonis Eccleſiæ onera imponere. Inquit Chriſti Vicarius. *finibus ſuis non contenti, nituntur in vetitum, & ad illicita frena relaxant.* quando hæc? Cū ſcilicet in Clericos, Eccleſiaſticas perſonas ac bona, ius ſuum volunt exercere, onera imponendo. Quæ poteſtas eis eſt interdicta, & ideo ſequitur. *Eccleſiarum Prælatis Eccleſijs Eccleſiaſticiſq. perſonis regularibus, & ſecularibus imponunt onera grauia ipſoſq. talliant, & eis collectas imponunt. Ab ipſis ſuorum prouentuum, vel bonorum dimidiam, decimam, ſeu vigeſimam, uel quamuis aliam portionem, aut quotam, exigunt, & extorquent; eoſq. moliuntur multifarie ſubijcere ſeruituti ſuæq. ſubmittere ditioni.* His Pontifex Summus oſtendit Ius Principatus proprijs finibus, ac terminis contineri; & ideo ſi onera, aut collectas Princeps laicus Eccleſiæ bonis imponet, tunc terminos excedens, illicita cōmittet. Vel vt inquit ipſe, ad illicita ha-

Ex de im. Ecc. c. clericis.

ta habenas relaxbit, quoniam propriæ ditioni ſubijcere Eccleſiaſtica bona, perſonaſue Eccleſiaſticas quæ certe eius non ſunt iuriſdictionis, aut Iuris Principatus. Conſtans, & Conſtātinus Imperatores, veritatis rationibus ducti, immunia fecerunt Eccleſiæ bona, vt eſt videre in c. in qualibet ciuitate. Cognouerunt ipſi, magis religione, quam corporis laboribus, Imperium & Rempublicam contineri. Et quæ Deo ſunt dicata, iura Principatus ignorare, ſed aliud ius cognoſcere, alteri ve Principatui ſubijci. Valens, ac Iuſtinianus, idem decreuerunt, vt ibidem a Gratiano relatum legimus. Quare ſi Diuina Oracula: ſi ſacra Concilia: ſi rationem ſequemur, quam ſane ſequi neceſſe eſt; dicere cogimur, bona Eccleſiæ immunia eſſe a Principatus iuribus; nec principes ſeculares poſſe illis Collectas imponere, etiam publicæ vtilitatis cauſſa, vt muros ciuitatis & pōtes reſtaurando, ac ſimilia faciendo, quemadmodum adducta Decreta nos docent, vt retro obſeruauimus. Nec poſſunt cogi Clerici, immo nec ſponte dare & tribuere, niſi Papæ aſſenſu. Hoſtienſis, qui alicubi oppoſitum ſenſiſſe viſus eſt, re maturius, ac diligentius inſpecta, recantauit. Anxium reijcio lectorem ad Panormitanum, de immu. Eccleſ. c. non minus. Hæc mihi adducta ſufficiant. Ceterum quoniam non ſufficit veritatem demonſtraſſe, niſi oppoſitis etiam ſatisfiat rationibus: eas nunc ſigillatim repetendo diluam. Prima erat accepta a verbis diui Ambroſij, dicentis. Quod ſi Imperator petijſſet Aurum, Argentum, ac fundum proprium, ei hæc dediſſet. ex hoc loco ſic colligunt. Principi petenti Aurum, & Argentum talia non ſunt neganda; igitur onera poterit imponere bonis Eccleſiæ. Male colligunt profecto, qui ſic arguunt. Verba illa ſunt, vt diximus, humilitatis & affectus notæ. Scilicet quod licet petenti talia iniuſte, iuſte neganda eſſent, nihilominus ei conceſſiſſet. Quod vero hac intelligentia, ſint accipienda verba Patris Ambroſiij, inde ſit conſpicuum: quod de huiuſmodi bonis ait, eſſe pauperum bona. Porro ſicut argumento ſumpto a Naboto Iezraelita, iuſte negata fuit Acabo vinea iuſte etiam neganda erant illa bona Eccleſiæ, & multo magis quoniam ſunt Deo dicata. Ea tamen humilitate, & animi affectu dediſſet. Ad argumentum reuertendo, negamus illationem. Non ſequitur Pater Ambroſius, humilitate, & animi affectu, Imperatori iniuſte petenti Aurum, & Argentum, dediſſet huiuſmodi bona; igitur Princeps poteſt imponere onera rebus Eccleſiæ. Negatur hæc illatio. Imo ſi res diligenter conſideretur, ex illo loco contrarium colligitur. Pater Ambroſius iniuſte petenti, quæ erant Eccleſiæ, concedere paratus erat, non iure; ſed humilitate, & animi affectu. Igitur iure Princeps non poterit Collectas exigere, aut petere a perſonis Eccleſiaſticis. Erat additum. Tributum eſt Cæſaris,

23. q. 8.

ris, ideo tributum non eſt negandum. Facilis eſt reſponſio Tributũ eſt Cæſaris; in rebus,& perſonis laicis. Ab ijs Tributũ dandũ eſt Cæ & ei non erit negandum;non autem a perſonis Eccleſiaſticis.Quæ ſequitur ratio,licet aliquid concludere. Videatur, nihilominus & ipſa quoque exilis eſt admodum, atque ineficax. Verba illius loci ſunt perpendenda, quæ ſunt hæc, ex diuo Mattheo accepta. *Et cum uenisſent Chapharnaum, acceſſerunt qui Didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei. Magiſter ueſter non ſoluit Didrachma? ait, etiam. & cum intraſſet in domum, præuenit eum Ieſus dicens Quid tibi uidetur Simon? Reges terræ a quibus accipiunt Tributum, uel Cenſum? a filijs ſuis,an ab alienis? & ille dixit. Ab alienis. dixit illi Ieſus.Ergo liberi ſunt filij. Vt autem non ſcandalizemus eos.Vade ad Mare,& mitte hamum. & eum piſcem qui primus aſcenderit.tolle,& aperto ore eius,inuenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me,& te.* liber erat Dominus, ab huiuſmodi onere. Nihilominus iubet Petro, vt piſcatum eat, capiat piſcem habentem ſtaterem in ore eius, ideſt numum Argenteum, (ſiclus erat habens obolos viginti. Drachma quarta pars ſtateris, habens obolos quinque. Didrachma duo dracmata habens obolos decem obſeruat Hugo in eodem loco exponendo) & ſoluat pro vtroque. Non colligitur ex hoc, quod Eccleſiæ bonis poſſint imponi collectæ. Quoniam hic eſt ſermo, non de bonis, ſed de perſonis. Didrachma Cenſus erat, qui ſoluebatur pro capite. Per Cæſarem Auguſtum, Iudea facta fuit populi Romani Tributaria. Hinc Lucæ II. ſic legitur. *Edictum eſt a Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus Orbis.* Hæc deſcriptio prima facta eſt a Præſidie Syriæ Cyrino. *Et ibant omnes, vt profiterentur ſinguli in ſuam Ciuitatem.* Huic Iugo prius collum ſubmiſit Iudea, Pompei viribus. Ab hoc Tributaria licet facta fuiſſet, nihilominus capitale Tributum non reddebat. Singulæ tantummodo Ciuitates, quadam pecuniæ ſummam ſoluebant. At ſub Auguſto viritatim Tributum ſoluebant. Onus illis nimis graue, & moleſtum, vt alibi expreſſimus, cauſſam moleſtiæ adducendo. Quare locus iſte nil prodeſt oppoſitum ſentientibus. Primo namque hic ſermo eſt de Triboto capitali, non de Collectis, & oneribus, bonis immobilibus imponendis. A Tributo autem capitali, immunes eſſe perſonas Eccleſiaſticas nullus negabit. Præterea ſi concederetur, hic de Collectis eſſe ſermonem, locumq. hunc poſſe adaptari talibus oneribus, adhuc nihil coucluderet, immo oppoſitum ex illo colligeretur. Nimirum vti Dominus immunis erat, ſic & bona Eccleſiæ immunia ſunt habenda. Vrbanus Papa perpendens hunc locũ concludit Eccleſiam de exterioribus ſoluere tributa Principibus. Ait Summus Pontifex Tributa Imperatoribus non eſſe neganda, at hæc quæ iuſte illi debentur ſunt, quæ ſcilicet pro pace tuenda, & pro defenſione

Cap. 17.

Hug. Car.

Eccleſiæ ei ſunt tribuenda talia auté non ab apice,quia caput piſcis non eſt ſolutũ pro tributo. Non tota Eccleſia ex vtrouis ſtatu miſta. Laicorum nempe, & Clericorum, quia totum piſcem dari non iuſſit Dominus, ſed ſtaterem in ore exiſtentem ideſt a laicorum ſtatu, Siquidem vt caput neſcium eſt oneris, ita & membra capitis naturã ſequentia libera erunt.Confirmemus hæc verbis Gloſſæ illius Capitis, in verbo *exterioribus* inquit Gloſſa.*Ideſt nõ de rebus Eccleſiæ.Nã ex quo ſemel datũ eſt Eccleſiæ ſanctũ ſanctorum erit Domino*. vt xij. q. 2.nulli & ſupra c. conuenior. Hæc Gloſſator. Quare argumentũ nullum erit.Poſtrema ratio propria ruit imbecillitate. Siquidem(vt retro dictum fuit (deficientibus Laicorum bonis, adhuc Reſpublica ſiue Princeps,iure ſuo onera bonis Eccleſiæ nequit imponere.Quomodo autem tunc Clerici tribuere debeant, illic etiam pateſecimus. Hæc de Collectis & Oneribus ſummatim ſint dicta. Ad Decimas ſermonem conuentamus.

Decimas iuribus Principatuum non ſubijci. Caput X.

DE Decimis nunc ſit diſceptatio. Quæ ſane haud exiſtit indigna.Quorundam ſcriptis falſa irrepſit ſententia,& grauis error fere inualuit,vt Reſpublica, ſeu poteſtas laica, ſeu Princeps ſæcularis iure ſuo poſſit Decimas in vſus proprios conuertere, illiſq. ad propria vti negotia,ea ducti ratione.Quod cum Decimæ ſunt inſtitutæ ad ſuccurrendum neceſſitatibus Sacerdotũ, vbi Sacerdotes non eguerint,cur obſecro non poterit Princeps decimis vti ad ea,quæ ſibi neceſſaria videbuntur, & ſubiectos ab illarum ſolutione liberare?Error eſt vt dixi nunc, & omnino reijciendus, quod ſum nunc oſtenſurus.Id vt rectius efficiam,primo quid ſit *Decima* explicabo.Natura namque definitionum hæc eſt propria,vt illis,rerum quidditas omnibus fiat conſpicua, & dubitationes etiam diluantur,vt docebat Ariſtoteles, de naturali auditu dum de loco diſputat; ac rerum proprietates appareant. Quid igitur ſit *Decima* explicemus. Verum quoniã præceptis Ariſtotelicis monemur,æquiuoca prius eſſe diſtinguenda,demum definienda.Et nomẽ iſtud tale exiſtit,opere pretium erit,ſi primo vocem hanc in ſuas ſecabimus ſignificationes,mox definitionem attulerimus. Diuus Hieronymus in Ezechielem, doctrina cuius Patris refertur de Decimis c. primo. Decimarũ haſce numerat ſpecies dicens. *Decimã partem omnium fru-*

gum Leuiticæ Tribui populus ex lege debebat. Rurſus ex ipſis Decimis leuitæ, hoc eſt inferior miniſtrorum gradus, Decimas dabat Sacerdotibus. Erant quippe & aliæ Decimæ, quas vnuſquiſq; de populo Iſrael in ſuis horreis ſeparabat, vt comederet eas, cum iret in Templũ, in vrbe Hieruſalem, *& in veſtibulo Templi Sacerdotes & Leuitas ad conuiuiũ inuitaret. Erãt autem & aliæ, quas pauperibus recondebant.* Hæc S. Hieronymus. Triplex igitur, ad capita redigendo, hæc omnia, ſummatim erit genus Decimarum. Secundo, & tertio relicto, primum accipiamus. Hoc enim eſt, de quo exiſtit lis, & controuerſia; de quo ve eſt inſtituta diſceptatio. Decimæ igitur primo modo acceptæ definiũtur ſic ab Hoſtienſe, cuius doctrinam refert, & ſequitur Syluester, *Decimæ eſt omnium bonorum mobilium, licite aquiſitorum pars decima, Deo data, Diuina inſtitutione debita.* Quid vero Dei nomine ſit intelligendum, reſpõdet Syluester. Quod Dei miniſtri ſunt accipiendi, non autem Deus. Quæ definitio licet grauiſſimis viris fuerit accepta, mihi tamen nũquam probari potuit. Nec artem ſapit (bona venia ſint hæc dicta, & omni horum Doctorum, ac aliorum, qui eam ſunt amplexi reuerentia) nec cumulate, quæ ſint Decime & quid explicat. Quid mihi velim aperio. Vna conditionum definitionis præcipua, hæc eſt. Quod termini voces ve, quibus traditur, ſint conſpicuæ, & patentes. Cum definitionis opus, ac finis ſit rem ignotam patefacere, ſi in illa obſcuri, ac æquiuoci collocarentur termini (vt logicorum more loquamur) ſeu voces, proculdubio definitio arti definiendi repugnaret. At hæc definitio, ſi ſequamur horum doctrinam, terminis æquiuocis eſt aſſignata. Cum dicunt *Decimæ, eſt omnium bonorum mobilium licite quæſitorum pars decima, Deo data.* & vocabulo *Deo.* volunt Dei miniſtros accipi. Adhæc nimis compoſita eſt, & per conſequens nimis arcta, vt non omnibus ſpeciebus Decimarum poſſit accommodari. Res enim quanto eſt ſimplicior, tanto pluribus cõpetit. Quanto cõpoſitior, paucioribus congruit. At hæc maiorẽ habet compoſitionẽ, quam rei definitæ requirat natura, ideo non complectitur ſui ambitu omnes Decimarũ ſpecies. aiunt *bonorum licite aquiſitorum.* aduerbiũ illud *licite* ſuperflue additur, & iccirco definitio nõ cõplectitur omnes decimarũ ſpecies. Siquidẽ nõ tãtũ bonorũ licite aquiſitorũ, ſed illicite etiã aquiſitorũ Decimæ ſunt offerẽdæ. quod quo pacto ſit intelligendũ docet S. Tho. 2. 2. q. 87. ar. 2. ad 2. Alexãder Papa huius nominis Ter. Maſſilienſi Epiſcopo ſcribẽs, bonorũ quæ a Iudeis poſſidentur, Decimas ſolui decreuit, illis verbis, quæ referuntur eodẽ titulo. *De terris quas Iudei colunt, tuæ prudentiæ reſpondemus ad Decimas perſoluẽdas, vel poſſeſſiones penitus renontiãdas, cũ omni diſtinctione cõpellas; ne forte occaſione illæ Eccleſiæ valeãt ſuo iure fraudari.* Gloſſa in eodẽ loco ait. Ratione prædiorũ sũt ſoluendæ decimæ nõ perſonarum

In ſum. de deci.

In ſum. verbo deci. parag. 2.

ſonarum

ſonarum. Siue ergo poſſeſſor ſit bonæ fidei, ſiue malæ fidei, decimæ ab illo ſunt ſoluendæ bonorum quæ habet. Fuſius Dei Opt. gratia de hac re ſumus dicturi. Peccat quinetiam definitio hæc, in aſsignando

Cap. 28. illo, cui ſoluantur Decimæ. Siquidem Deus eſt illæ, cui Decimæ

Cap. 18. ſoluuntur. Probo hoc Leuitici libro hæc leguntur. *omnes Decimæ terræ ſiue de frugibus ſiue de pomis, arborum Domini ſunt, & illi ſanctificătur.* in libro Numerorum dicebat Dominus, quæcumque ſibi oblata

16. Cap. fuiſſent, omnia in uſus Sacerdotum mox cedere, & inter hæc Deci-

Ex. eo. tit. marum facit mentionem. Has vero ſibi offerri iuſſerat in Leuitico. ex Deutoronomij autem ſcriptura offerri Decimas colligimus, Domino, in recognitionem vniuerſalis Dominij, vt in libro Leuitici. Quam ſententiam legimus etiam, c. tua nobis. hac itaque relicta definitione, quæ fuit etiam Ioannis de Triburgo, & Raymondi tota, meliorem aſſignare tentemus. Dicamus itaq. Decimæ, *eſt ſolutio ex Diuina inſtitutione, omniumbonorum mobilium, Deo faciend a decupla proportione, in ſignum vniuerſalis Dominij, a colentibus ipſum Deum, cedens in vſum Miniſtrorum Sacrarij.* in hac definitione ſingulæ neceſſariæ cauſſæ apparent. quid ſoluatur, quis ſoluat, cui fiat ſolutio, curue ſoluătur, & quomodo Sacerdotibus debeantur. ſingulas more meo particulas definitionis reſoluendo explico. Vt magis natura rei definitæ, fiat conſpicua. Plurali numero definiuntur *Decimæ.* Quoniam quæ offeruntur Decimæ, ſunt in triplici differentia. Prædiales, Perſonales, ac Miſtæ. Noui Hoſtienſem in duo ſecare membra Decimas, ea forte ductus ratione, quoniam diuiſionum lex eſt, vt per membra oppoſita fiat. Verum nouiſſe debuerat, quod lex illa in veris diuiſionibus ſibi vendicat locum, quando ſcilicet genus diuiditur in ſuas ſpecies, per oppoſitas differentias. Diuidat quis corpus; illud ſecabit in corpus animatum, & inanimatum; animatum autem in ſenſitiuum, & inſenſitiuum. Animal in rationale, & irrationale. At hic talis diuiſio ſuam non habet ſedem, cum ægre diuiſio fieri poſſit bimebris, complectens ſpecies. Eſt potius cuiuſdam multiplicis generis ſpecierum adnumeratio. Reuertamur ad id, vnde dilu xit oratio, dicamuſq. triplicem eſſe Decimarum ſpeciem. Prædiales Perſonales & Miſtæ. Illæ Prædiales dicuntur, quæ oriuntur ex terea, vti Frumentum, Fabæ, Millium, Hordeum, ac omnia grana, quæ Bouum cultura, vel ligonibus a Colonis ſeruntur, & colliguntur. Fœnum præterea ligna, & lignorum fructus. Leuitici hæc ſunt ver-

Cap. ult. ba. *omnes decimæ terræ ſiue de frugibus ſiue de pomis arborum. Domini ſunt, & illi ſanctificantur.* In Paralipomenon cum Ezechias Rex eliminatis falſæ Religionis Idolis, & eiectis Gentilitatis inanibus cultibus, conſilio inito cum maioribus ac Principibus Paleſtinæ, decreuit vt Phaſe Domino Deo Iſrael Ieruſalem celebraretur. Curſores

cum

cũm epiſtolis iuſſu eiuſdem Regis totã Prouinciam peragrando, omnes reuocarunt ad Ciuitatem Sanctam, ad Diuinũ cultum exercẽdum diuiſit Sacerdotes, & Leuitas in claſſes ſacerdotales, vt vnuſquique in proprio eſſet officio. Vt vero Altari & Sacrario operam nauare poſſent, præcepit populo, vt partem illorum propriam nimirum Decimas eis darent. Quo audito mandato, inquit ſacra hyſtoria. Primitias omnium fructuum, & Decimas obtulerunt animaliũ. Fœna quinetiam ex terra orta, huic ſubduntur legi. Perſonales, quæ negotiatione, & artibus, ac induſtria humana comparantur, nec nõ ſcientijs. Vti arte medendi, docendi, Militia, venatione, Piſcatione & quouis negotio. Perſonales ideo ſunt debitæ, quoniam vbi deſunt Prædiales, Perſonales neceſſe eſt vt adſint. Siquidem cum inter illos viuant Altaris miniſtri, Altaris ſtipendio viuere debent. Monſtrum autem eſſet, populũ diuitijs affluere, & Clericos Dei Miniſtros oſtiatim victum quærere: ac iure naturali poſtpoſito, atque neglecto, Laici ſibi Ipſis miniſtrantibus alimenta Cæleſtia, quæ ad victum ſunt neceſſaria non miniſtrarent. Miſtæ autem ſunt hæc, Bouum, Ouium, Apium, ac brutorum animalium. hæc enim cum humana cu ra, & ijs quæ ex terra oriantur, viuant; ideo miſtæ dicuntur tales. Decimæ. Species harum Decimarum ex ſacra littera, & ex decretis Sũmorum Pontificum colliguntur. Ex Leuitico & Paralipomenon libris fructuum, & frugum ac animalium Decimas Domino offerri iã diximus. Alexander hęc decreuit. *Mandamus quatenus Parochianos veſtros monere curetis, & ſi opus fuerit ſub excõmunicationis diſtrictione compellere, vt de prouentibus molendinorum, piſcariarum, fœno, & lana, Decimas Eccleſiis, quibus debentur cum integritate perſoluant.* Hic mentio fit Decimarum artium, animalium, & eorum quæ ex terra oriuntur ſponte. fœni ſcilicet. c. Nuntios titu eodem lex loquitur de omnibus fructibus non tantum arborum, ſed frugum, quæ ex terra naſcuntur. Appellatione enim fructuum, & qui ab arboribus, & qui a terra producuntur, paſſim intelliguntur. *Mandamus* (hæc ſunt verba legis) *quatenus Parochianos tuos de Apibus, & de omni fructu Decimas perſoluere.* fit hic mentio Apum, nedum fructum c. cum homines. *de frugibus ix partibus ſibi retentis Decimam Eccleſiæ cuius Parochiani ſunt ſoluere teneantur.* Diuus Pater Auguſtinus, cuius doctrinã legimus c. Decimæ hæc ſcripſit. *De Militia de negotio, de artificio redde Decimas.* Artis Militiæ, & negotij mentionem facit Pater Auguſtinus. Erunt igitur Decimæ, ſolutio bonorum, ſiue quæ ex terrã oriũtur, ſiue quæ induſtria, & intellectu negotijſue aquiruntur, ſiue quæ tum artis, tum Naturæ auxilio noſtra exiſtunt. Hui dicet aliquis, quĩ fieri poteſt, vt omnium bonorum, quouis modo aquiſitorum, ſiue Militia, ſiue negotiatione, ſint ſoluendæ Decimæ? Miles in Vrbis depopu-

populatione,in prælio iniuſto, multa aquiſiuit. Alter poſſidet iniuſte agrum talium bonorum non eſt reddenda Decima. Dicebat namq. Salomon. *Honora Deum,de tua ſubſtantia*, non autem de aliena. Huic dubitationi vt ſatisfiat,diſtinctione eſt opus. Hæc autem talis exiſtit, Decimæ quæ ſoluuntur, bonorum illicite comparatorum, ſeu quæ male poſſidentur;ſunt in duplici differentia. Vel enim hæc bona a prædijs proueniunt, quorum ſoluitur Decima. Vel ſunt Perſonales Decimæ, bonaque perſonalia. Si de primis ſit ſermo; ſolſoluendæ ſunt a quocunque poſſeſſore. Nam cum ſolutio rei non reſpiciat perſonam poſſidentem,ſed rem quæ poſſidetur;iccirco ſiue Paganus ſiue Iudæus;Siue iuſte,ſiue iniuſte poſſideatur; ab illo ſunt ſoluẽdæ Decimæ, qui poſſidet, vt c.de terris,ſupra comprobauimus. Hoc Ray. ſ. Vi. Hoc & Goffredus. Adde, quod ſi terræ ſemine ablato, & rapto etiam ſatæ fuiſſent,nihilominus ſoluendæ ſunt decimæ. Si vero di perſonalibus loquamur; non eſt vniuerſaliter ac ſimpliciter proferenda ſententia. Vel enim quæ illicite poſſidentur reſtitutioni
Ex eo.tit. ſunt obnoxia,vel minime. Si de primis loquamur; licet translatum ſit dominium, tunc dicendum eſt, quod talium bonorum Decimæ non ſunt ſoluendæ; vt probat adductum argumentum. Si autem reſtituere non tenetur poſſidens, licet ſint peccato talia bona comparata,vti arte meretricia, hiſtrionatu,ac ſimilibus; pie dicendum,quod Eccleſia,ne peccatum videatur approbare, Decimas non debet recipere vbi crimen notum,ac manifeſtum erit. Quod ſi occul-
2. q. 87. tum fuerit, poterit præteritas Decimas recipere, vt Innoc. ac Ray. aiunt.quod etiam voluiſſe viſus eſt Sanctus Thomas. Ex inſtitutione autem Diuina ſunt perſoluendæ Decimæ, quoniam præcepit Deus. In libro Exodi inter alia præcepta hoc vnum fuit. *Decimas tuas & Primitias tuas non tardabis reddere.* Non tantũ præcepit Dominus vt primitiæ redderentur:ſed quod ſtatim,ac ſine mora. ſignum euiden-
Cap.vltimo tiſſimum quod præceptum Decimarum,maximum fuit. In Leuitico quoque (vt vidimus) præcepit populo, quod Primitias bonorum ſuorum redderet. In Deuteronomio huius precepti ſit mentio illis
Cap.12. verbis. *Non facietis ita Domino Deo veſtro ſed ad locum, quem elegerit Dominus Deus veſter, de cunctis Tribubus veſtris,vt ponat nomen ſuum ibi, & habitet in eo,venietis & offeretis in loco illo holocauſta,& uictimas ueſtras.Decimas & Primitias manuum ueſtrarum,& vota atque donaria*
Cap.penul. In Malachiæ Prophetia. *in ferte omnem Decimam in horreum meum.* Has voluit ſibi offerri Deus duplici de cauſſa. Prima ſcilicet in ſignũ vniuerſalis Dominij quemadmodum ex diuina ſcriptura, & ex Innocentij tertij Papæ ſcriptura obſeruauimus. Atque vt eſſent ſtipendium Miniſtris Altaris, in vſumq. illorum cederent.hæc ſunt Domini verba. *Dixitq. Dominus ad Aaron. In terra eorum nihil poſſidebitis, Nec*
habe-

habebitis partem inter eos.Ego pars,& hæreditas tua, in medio filiorum Iſrael filijs autem Leui *dedi omnes Decimas Iſraelis in poſſeſſionem, pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi, in Tabernaculo fœderis : vt non accedant vltra filij Iſrael ad* T*abernaculum,nec committant peccatum mortiferum. ſolis filijs leui mihi in Tabernaculo ſeruientibus, & portantibus peccata populi. legitimum ſempiternum erit, in generationibus veſtris.* N*ihil aliud posſidebunt, Decimarum oblatione contenti,quas in vſus eorum, & neceſſaria ſeparaui.*In Paralipomenon loco retro citato. P*ræcepit* Po*pulo habitantium* Hieruſalem*, vt darent partes Sacerdotibus & Leuitis, vt poſſent uacare legi Dei.* ex his locis colligiturDecimas a Deo miniſtrantibus Altari ſuo fuiſſe aſſignatas.& ex cōſtitutioneDiuina eſſe perſoluendasVerba Paralipomenon aiunt. V*t darent partes Sacerdotibus & Leuitis, vt poſſent vacare legi Dei,* & ſtatim ſubtexitur. *Quod cum percrebuiſſet in auribus multitudinis, plurimas obtulere Primitias filij Iſrael.Frumenti Vini & Olei* M*elis quoque : & omnium quæ gignit humus Decimas obtulerunt.* Decimas omnium quæ a terra producuntur, inquit ſcriptura,obtulerunt filij Iſraēl.hæc autē pars appellatur Leuitarum in eodem loco. & in libro Numerorum ſcriptum eſt.*filijs Leui dedi omnes* Decimas *Iſraeiis in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſeruiūt.*Quod vero ſanctificentur quæ offerūtur Domino,Leuitici ex capite vltimo elicitur.*Omnes Decimæ terræ ſiue de frugibus ſiue de* Pomis *arborum Domini ſunt & illi ſanctificantur.* Offeruntur Domino in ſignum Vniuerſalis Dominij. Si enim Populus Principi Tributum reddit terreno; DominoDeo cur non ſunt reddendæDecimæ,vt quemadmodum Tributo Dominium ſæculare cognoſcimus; ita Decimis Dominum Omnium & Dominium Vniuerſale recognoſcamus? *Domini eſt terra & plenitudo eius.Orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo.* cecinit Rex i lle Sanctus, magnuſq. Proheta. Et iccirco pars Domini appellantur decimæ. Loquens Dominus cum Arone Sacerdote aiebat.*In terra eorum nihil poſſidebitis;nec habebitis partem inter eos.Ego,&pars hereditas tua in medio filiorum* Iſrael*.* Pars hæc,eſt Domini Hāc autē Sacrario ſeruiētibus deſtinauit ipſe met.& iccirco legitūr in eo loco. *Nihil aliud posſidebunt Decimarum oblatione contenti, quas in vſus eorum, &neceſſara ſeparaui.* Et paucis interiectis. P*racipe*L*euitis atque denuntia.Cum acceperitis a filiis Iſrael Decimas, quas dedi vobis*, Magnum certe, atque mirandum. Iubet Deus, ſibi offeri Decimas, qua oblatione ſanctificantur,quæ offeruntur vt quæ eius exiſtunt, ſint pars Sacerdotum Altariſue Miniſtrorum. Vnuſquiſq. Princeps proprijs militibus ſtipendium tribuit Cæſar, Hyſpaniarum Rex, Dominium Venetū, ac cæteri omnes Principes militibus ſuis ſtipendium erogant. Dei milites ſunt Sacerdotes.Præcepit Decimas ſibi offerri, vt ex proprio ærario pecuniam hauriret,

qua ſuis militibus tribueret ſtipendia. Nullam partem poſſideri ab hac Tribu permiſit Dominus. Prohibuit illi poſſeſſionem portionis alicuius, vt & excellentius honoraretur, & alias excederet diuitijs. Siquidem cum iusſiſſet, vt vnaqueque ex Tribubus Decimam par-
2. 1. q. 87. tem ei tribueret vnicuique nouem ſupererant partes Decimam dando. hæc vndecimam habebat, aliæ vero nonam partem dumtaxat. Idque, vt dixit diuus Thomas, quoniam qui nobiliori addicti curæ, & præſtantiori ſeruituti erant dediti, ij laudabilius viuerent; & ſi fortaſſe aliquo impedimento exacte, & abſolute, vt præceptum erat, ab omnibus non ſoluerentur Decimæ, Altaris Miniſtri alijs non eſſent interiores. diuus Paulus ad Corinthios ſcribens, de re
1 Cap 9 propoſita differens, aiebat. *Quis militat ſtipendijs ſuis vmquam? Aut quis plantat vineam, & de fructibus eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? numquid ſecundum hominem hæc dico. an hæc lex non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi non alligabis os Boui trituranti. Numquid de Bobus cura eſt Deo? An propter nos hoc vtique dicit. Nam propter nos ſcripta ſunt, quoniam debet in ſpe qui arat arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt. Si nos carnalia veſtra metamus?* Quibus verbis Apoſtolus nos apertiſſime docet, iure Decimas, & oblationes eſſe Miniſtrorum Altaris, ſiquidem Sacrario ſeruientes, ijs quæ offeruntur Sacrario, viuere debent. Ex inſtitutione itaque Diuina a colentibus Deum offeruntur Decimæ ipſimet Deo, in Vniuerſale Dominium Diuinæ Maieſtatis, quæ cedunt in vſum Miniſtrorum Altaris, quoniam Sacrario ſeruiunt. Pars hæc, quæ Domini eſt, ab illo Altaris Miniſtris vt proprium illorum ſtipendium data fuit daturaq. quotidie. Hæc cum in veteri Lege conſpicua, & apertiſſima ſint. Ambiget aliquis, num in Lege noua Euangelica, ſit aliquod præceptum Decimarum. An vt vetus obſeruetur. An potius abrogatum fuerit. Hoc eſt a quo tota lis fere pendet; & quod veritatem conſpicuam facere poterit, vbi fuerit diſcuſſum, atque dilucidatum. Diuus Thomas (vt negotium aggrederetur) eleganter de hac re differit. Accipit Beatus vir præcepta Moſaicæ legis, illaq. diſtribuit in tria genera. Iudicialia, Moralia, Cæremonialia. Cum itaque in triplici differentia ſint veteris Legis præcepta, hoc quo Decimæ præcipiuntur, tum Iudiciale, tum Cæremoniale dici poterat. Iudiciale quidem, quoniam inſpecta populi illius conditione, talis quantitas fuit limitata. Qui cum in duodecim Tribus eſſet diuiſus, duodecima Leuitarum tota Dei miniſterio mancipata, arua non poſſidebat, quæ victum poſſent ſuppeditare. Hac de cauſſa ſancitum eſt, vt cæteræ Tribus partem decimam ei tribuerent, qua poſſet viuendo in miniſterio perſeuerare. Cæremonialis vero, quoniam aliquid futurum indicabat hoc præceptum,

ceptum,(omnia in figura contingebant illis, dixit Apoſtolus Paulus)& myſterium præſignabat.Decima,eſt perfectionis ſignum. Si numerorum naturam vix oculis mentis intueamur, hoc cognoſcemus. Monas eſt numerorum principium,radix,& fons. In ſe deducta, omnes parit numeros. quos ſi conſiderebimus, videbimus,omnes numero denario comprehendi, & vnitatem deductam ſemper ad denarium peruenire,ac ibi, tamquam in proprio termino quieſcere. Vltra hunc numerum progredi non licet. Addas denario numerum,ſemper vnitates,quas denarius primus complectitur,adijcias eſt neceſſe. Qui ſoluit Decimam,Nonam retinendo,& Decimã offerendo, typo quodam oſtendit,ac teſtatur imperfectionem in ſe exiſtentem, ſuam eſſe:Perfectionem vero, a Deo prouenire. Populus Hæbreus indicabat Decimarum oblatione, a Chriſto Domino noſtro, futuram perfectionem hominibus largiendam fore. Proprie igitur loquendo, Iudiciale fuit præceptũ, in veteri lege,& quoquomodo Cæremoniale.Cum itaque præceptum, fuerit Iudiciale, talia vero præcepta ſub lege gratiæ non obligent, eſt de iure Naturæ. Quoniam id iubet ius Naturæ,vt qui cultui Diuino eſt intentus, Altarique miniſtrat; huiuſmodi labore viuat.Quemadmodum Principi publicę vtilitati inuigilanti, & militibus iure naturæ ſtipendia reddi debẽt.In lege quinetiam ſcripta,hac eadem ratione, hoc præceptum,de iure naturæ poterat appellari. Et ſi Miniſtris illius Legis Decimæ erant ſoluendæ, iure Naturæ a populo Hæbreo, multo ſane magis a populo Chriſtiano.Scriptum eſt enim. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plusquam Scribarum & Phariſeorum,non intrabitis in Regnum Cælorum.*ſi vero ſpectemus quantitatem ſtipendi, Decimam ſcilicet partem,dicemus hoc eſſe de iure Eccleſiæ. Hæc Diui Thomæ poſitio non caret difficultatibus. Primo,vt hinc ſumam principium,Iuris Pontificij interprates;Antonius de Butrio, Panorm.Hoſtiens. Archi.ac plerique cæteri de iure diuino eas eſſe contendunt. Hinc nacti occaſionem corripiunt Theologos, aſſerentes ius Decimarum minui poſſe. Quod autem Decimarum ſolutio ſit de iure Diuino ita perſuadere conantur.Alexander Summus Pontifex,huius nominis tertius,Remenſi Epiſcopo ſcribens, hæc habet. *Cum Decimæ non ab homine,ſed ab ipſo Domino non ſint inſtitutæ, quaſi debitum exigi poſſunt.*Dixit autem *quaſi debitum*, non quod abſolute non ſint debitæ iure Diuino inquit Hoſtienſis,quem ſequitur Ioan. An. ſed quoniam Eccleſia non contraxit cum Colono. ideo non tenetur Colonus ex contractu, ſed ex quaſi contractu. Quæ expoſitio, an recte verbis congruat,aliorum eſto iudicium.Gloſſatoris interpretatio exiſtit accommmodatior,inquiens; voculam illam *quaſi* hic nõ accipi ſimilitudinarie, ſed vt veritatis expreſſiua.Phraſis Diuina hac

Cap. in aliquibus de deci.

Cap. Parochianos tit.

dicendi modula vtitur. Apud diuum Ioannem legimus. *Quaſi vnigeniti a patre plenum gratiæ, & veritatis*. Adhæc c. in quibuſdam Regionibus hæc leguntur. *Ille quippe Decimæ neceſſario ſoluendæ ſunt, quæ debentur ex Lege Diuina.* Innocentius Tertius quoque Vercellarum Epiſcopo hæc ſcripſit. *Imperialis conceſsio, quantuncumque generaliter fiat, neminem poteſt a ſolutione Decimarum eximere, quæ Diuina conſtitutione debentur.* Inquit Papa *Diuina conſtitutione*. non autem lege Naturæ. Præterea in ſacro Sancti Matthei Euangelio legimus, quod Dominus mittens Diſcipulos ſuos ad prædicādum, præcepit eis, ne Peram, & Saculum portarent. Etenim quoniam populis erāt miniſtraturi ſpiritualia, e contra a populis temporalia, erant illis miniſtranda. Dicebat Dominus, huius rei cauſſam aſſignans. *Dignus eſt operarius cibo ſuo.* Qui locus (vt etiam Beatus Thomas adnotauit quæſtione retro citata) Decimis neceſſario conuenit. Nam ſicut in Lege ſcripta oblata Deo, Decimæ ſcilicet, & Primitiæ Sacerdotum erant, quoniam Altaris erant Miniſtri, in Lege gratiæ, in qua perfectius & auguſtius eſt Sacerdotium, multo magis Decimæ Sacrario ſeruientibus erunt perſoluendæ, in illorum vſum, ac alimoniam, Dicens Dominus, quod Saculum, ac Peram ſecum minime deferrēt, quia operarius ſuo cibo erat dignus; Decimas, & oblationes ſimul præcepit offerri, vt illis alerentur Altaris Miniſtri. Confirmemus hæc (& poſtrema ſit ratio) dictis Pauli Apoſtoli ad Corinthios, de hac re diſputantis. Gentiū Prædicator, vbi varias adduxit rationes, tandem (quemadmodum Beatus Athanaſius locum illum explicās; adnotauit) id quod erat omnium fortius, poſtremum poſuit, & tale eſt. Præcepit Dominus in Lege veteri, offerri Decimas in victum, & alimentum Altaris Miniſtrorum. Ita præcepit in lege noua, vt qui Sacrario inſeruiunt, ijs viuant, quæ Sacrario offeruntur. Hæc autem ſunt Decimæ, ac Primitiæ, quas ſibi offerri præcepit in Lege antiqua. Cum itaque, & ſacris litteris, & teſtimonio Summorum Pontificum; a quorum interpretationibus, & declarationibus Iuris Diuini, nec latum quidem, vt aiunt, vnguem licet diſcedere, vt legitur c. de libellis; quorumue eſt, ea quæ ſunt obſcura, dilucidare, & aperta reddere, Decimæ ſint ex Diuina inſtitutione; difficile eſt videre, quomodo dictum fuerit a Sancto Thoma, eas eſſe de iure Naturæ. Syluester in ſua ſumma, in ea apologia, quam habet pro Theologis, a Iuris Pontificij doctoribus damnatis; fatetur Decimas eſſe de Iure Diuino, & naturali, vt vero litem ortam dirimat: ait. Decimas bifariam concipi poſſe. Vel ratione Miniſtrorum, in quorum vſum, & alimentum Decimæ ſunt inſtitutæ. Vel ratione quantitatis determinatæ. Si primo modo accipiantur, ſunt de Iure Diuino, Si ſecundo modo, ſunt de Iure Eccleſiæ. Sylueſtri

Ex de im. Ecc. c. clericis.

doctrina hæc, niſi aliquid ei addatur, non tuebitur diui Thomæ placita, illaue minime vindicabit ab argumentis adductis. Vult vir Beatus, quantitatis limitationem eſſe de iure Eccleſiæ. Vt vero ſunt merces, eſſe de Iure Naturę quam doctrinam Iuris Pontificij profeſſores, videntur reijcere. Gaietanus vir ſummi ingenij tentauit aliter Summorum Pontificum Decreta interpretari, doctrinamq. Beati Thomæ cum illis legibus conciliare. Dubitās Vir Illuſtriſſimus, cur dictum fuerit, Decimas eſſe ex Eccleſiæ conſtitutione, cum a Beatiſſimis Pontificibus decretum fuerit, illas eſſe ex Diuina conſtitutione, ſic reſpondet. *Proculdubio conſtat Deum in ſua Diuina Lege Decimas dandas decreuiſſe. nec hoc inter fideles vertitur in dubium. Sed Diuinum Decretum poteſt referri ad Populum veteris Teſtamenti, & ad Populum nouæ Legis. Et ſi ad primum referatur, habet vim obligatiuam. ſi ad ſecundū habet vim exemplarē. Ita quod ſenſus huiuſmodi Decretaliū eſt: quia Deus in veteri Lege obligauit Populū ſuū, dedit nobis exemplū ſimilis obligationis ſuſcipiēdæ ab Eccleſia, æquo animo tamquā iuſtæ ac rationabiles.* hæc Gaetanus. Cuius viri doctiſſimi interpretatio, qua ratione poſſit legibus illis Pōtificijs maritari (vt ingenue fatear) nō poſſū intelligere. legibus illis docent, ac præcipiunt Papæ, Decimas exigendas, quia ſunt ex Diuina cōſtitutione. Porro cū doceāt Ius, quo exigi poſſint Decimæ, quo ve obſtringi queāt debitores, ad illas perſoluendas, nō poſſumus dicere, quod ſint exēplaria quædā, nos excitantia ad illas ſuſcipiēdas æquo animo, tamquā pias, ac rationabiles. Ad hæc limitatio, & determinatio quantitatis, eſt ab Eccleſia, ſecūdū B. Thomā, res vero ſoluēda debetur Iure Naturę. At Pontificū Iura nō de limitatione quantitatis, ſed de re ſoluēda loquūtur. Quare nō exēplariter erunt intelligēda (verbis illius vtor) ſed formaliter de re debita, non autem de modo recipiendi hanc obligationē libenter in Eccleſia. Immo ſi exemplaria ſunt, atque Characteriſmus ſoluendi, leges illæ, quæ de decimis ſoluendis loquuntur; de re ipſa erunt intelligendæ non autem de receptione ac modo ſoluendi cum de re ſoluenda loquantur. atq. vti in Lege veteri fuerunt ex Diuino præcepto, cum leges illæ Pontificiæ decernāt ſoluendas eſſe Diuina conſtitutione, in Eccleſia proculdubio, & incunctanter erunt ſoluendæ Diuino inſtituto iubente. Qua propter cum hæc paruum prſiont, alia eſt ineunda ratio dicendi. Crederem ego Decimarum ſolutionē eſſe ex Diuino præcepto. At ſolutionē illius, aut huius quantitatis, eſſe ab Eccleſiæ determinatione. Quæ concluſio fuit S. Thomæ, quæſtione adducta, dū ſatisfacit ſecūdæ rationi, quæ erat talis Illa ſola homines ſeruare tenentur, tēpore gratiæ, quæ a Chriſto per Apoſtolos ſūt mādata; Matthei vltimo legimus. *Docētes eos ſeruare omnia, quæcūq. mādaui vobis.* Et in Actibus Apoſtolorum ab Apoſtolo Paulo dictum Cap. 20.

ctum fuiſſe legimus. *Non enim ſubterfugi, quo minus annuntiatiarem vobis omne conſilium Dei.* At neque in doctrina Criſti, neque in doctrina Apoſtolorum, aliquid continetur de Decimis, igitur tẽpore gratiæ, non tenemur ad ſolutionem Decimarum. Huic occurrens argumento, hæc dixit. *Ad ſecundum dicendum, quod præceptum de ſolutione Decimarum, quantum ad id quod erat morale, datum eſt in Euangelio, a Domino. vbi dicit dignus eſt operarius mercede ſua & etiam ab Apoſtolo. vt patet prima ad Corinthios, ſed determinatio certæ partis eſt reſeruata ordinationi Eccleſiæ.* Quod vero attinet ad Beatũ Thomam, nulla eſt controuerſia inter eius dicta, & Pontificum Decreta. Dum ait, eſſe de Iure Naturæ. his non vult, quod non poſſit eſſe de præcepto Dei. Nam cum Lex Naturæ ſit effectus Legis in mẽte Diuina exiſtentis dicendo eſſe de Iure Naturæ, ibi effectum pro cauſſa accepit. Qui mos dicendi receptiſſimus eſt, tum apud Phyloſophos; tum apud Theologos. Et e contra. Damaſcenus loquens de Syndereſi, appellauit eam nomine Conſcientiæ. Baſilius Magnus Naturale Iudicatorium. Beatus itaque Thomas dicens Decimarum ſolutionem modo eſſe de præcepto Diuino: modo de Lege Naturæ ſi recte eius verba intelligentur, idem ſemper ſenſit accipiens Ius Naturale Diuinum loquenſq. eo modo quem diximus. His itaque expoſitis, nunc demum ad id quod fuit probatum reuertamur. An Princeps poſſit Decimas in proprios vſus conuertere, & populos ab illarum ſolutione liberare.

Principem non poſſe conuertere in propium vſum Decimas iure Principatus nec ſubditos ab illarum ſolutione eximere.

Caput XI.

Conſpicua in fallor eſt concluſio, quam probandam ſuſcepimus, ijs quæ hactenus ſunt diſputata, ſi partem primam ſumamus, quod ſcilicet nulla ratione liceat Decimas ſibi arrogare Princeps. At non ita forte manifeſta exiſtit altera pars, quod ſcilicet nequeat ſubditos ſuos ab illarũ ſolutione eximere. Eia vtramuis cumulatioris doctrinæ gratia, & veritatis illuſtrandæ ſtudio, rationibus incipiamus demonſtrare. Prima ſit accepta a Patre Hieronymo, ad Damaſum
16.q.1. Papam ſcribente: cuiuſuerba eſt videre. c. quoniam. *quod autem beatitudo*

titulo tua quæſiuit vtrum vſus Decimarum & oblationum ſæcularibus
prouenire poſſit, nouit veſtra Sanctitas omnino non licere proteſtantibus
hoc omnibus Diuinis auctoritatibus paternonum canonum. Apertiſſime
vult Pater Hieronymus a ſæcularibus Decimas ſibi arrogari, illiſque
vti non conuenire Ait *omnino non licere*. vocabulum illud *omnino*
omnem excludit cauſsā contrariam. Secunda ſit. Idem Pater in Ma-
lachiam, hoc idem ſenſit. Cuius doctrina paucis admodum appoſi- *Cap.3.*
tis, adducitur c. Reuertimini. Alexander tertius Papa Decimas vſui *19.q.1.*
laicorum a quodam Abbate conceſſas iniuſte, & illicite ab eo poſ-
ſideri decreuit: quia Sanctū Domini a ſecularibus nō debet poſſideri,
Quinetiam conceſſionem illam irritam fecit. ſic legimus. c. ad hæc
eodem titulo. In Concilio Lateranenſi idem eſt vetitum illis verbis.
Prohibemus ne laici Decimas cum animarum ſuarum periculo detinen- *Ex eo.tit.c.*
tes, in alios a detinentibus poſſint transferre. Sancta lex inhibet Deci- *Prohibe-*
mas trāsferri in alios, & cum periculo animarum declarat detineri. *mus.*
Præterea de Præſcrip. legimus ab Alexandro tertio idem fuiſſe de- *Cap.cauſsā*
cretum. Declaratur ab illo quod nulla ratione Decimæ in vſum lai- *ex eo.tit.*
corum poſſunt conuerti, nec ab illis detineri. In Malachia Dominus
conquerebatur de Principibus Iſrael. Querimoniæ autem ea erat *Cap.3.*
cauſſa, quod Decimas vſurpaſſent iure Regio, vt in eo loco obſeruat
Lyranus. Geſta hæc narremus. Propheta oſtendit Dominum Sancta
ira motum populum illum afflixiſſe penuria extrema. Contraq. eis
pollicetur bona, ſi Decimas Sacerdotibus reſtituerint. Hæc ſunt Do-
mini verba, quæ etiam referuntur c. reuertimini, a Gratiano, vbi de *16.q.1.*
hac diſſerit materia. *Reuertimini ad me, & reuertar ad vos dicit Domi*
nus exercituum. Et dixiſtis. in quo reuertemur. ſi affliget homo Deū, quia
vos affligiſtis me, & dixiſtis. In quo affligimus te? in Decimis & Primi
tijs. & in penuria vos maledicti eſtis. & uos me configitis gens tota Vocat
Deus errantes ad pœnitentiā & ait. *reuertimini ad me, & ego reuertar*
ad vos. Perinde ac ſi dixiſſet. Pœniteat vos peccatorum veſtrorum &
ego erga vos vtar clemētia, vobiſq. miſeratione mea ignoſcam. Vo-
cat Iudeos ad pœnitentiam. at ipſi vtentes excuſatione, dicebant.
Quomodo defecimus a te? Quomodo a via tua declinauimus? Reſ-
pondet Dominus In Decimis & Primitijs. Ideſt, quia Primitias & De-
cimas veſtris commodis adaptaſtis. vſuiq. veſtro deputaſtis. Lyranus
hæc verba ponderans. *vos configitis me* hæbraici eloquij peritus hæc
ſcripſit In *Hæbreo habetur. Si violentabit homo Deum, quia vos violen-*
taſtis me. Loquitur enim ſcriptura de Deo ſicut de homine, cuius bona
per uiolentiam capiuntur. Decimæ uero ipſæ Dei ſunt, pro ſuſtentatione
ſuorum Miniſtrorum, quæ retinebantur iniuſte a Iudeis laicis. Hæc ad-
ducere volui, vt vnuſquiſq. conſpicere poſſet, a laicis violenter, &
veluti rapina Decimas poſſideri. Quapropter ſimpliciter probatum

ſit,

ſit, Decimas vſui Laicorum non eſſe accommodandas. Quod vero Princeps non poſſit, ſubditos ab illarum ſolutione liberare, facilime pobari poteſt. Innocentius Papa huius nominis Tertius, Vercellarum epiſcopo ſcribens, hæc dixit. *Porro cum laicis nulla ſit de ſpiritualibus concedendi, vel diſponendi trbuta facultas Imperialis conceſſio quantuncumque generaliter fiat, neminem poteſt a ſolutione Decimarum eximere, quæ Diuina conſtitutione debentur.* Imperialis cóceſſio, quæ-nis illa ſit, non poteſt, inquit Papa, aliquem eximere a ſolutione Decimarum, quoniam humana Conſtitutio, Dei præcepto repugnans, irrita eſt, ac omnino nullius roboris. Addiſcant qui aſſerunt, Principatus iure Principibus omnia licere. Et quando res facta fuerit, quæ Dei legi opponatur, an iure Principatus ſit valida. Inquit Beatiſſimus Pater irritam eſſe conceſſionem, & liberationem a Decimarum ſolutione, ab Imperatore factam, quoniam Decimæ ſunt ſoluendæ Diuina Coſtitutione. Illud ſine obſeruatione non eſt pretereundum: quod inquit Papa Nulla de ſpiritualibus diſponendi, laicis eſſe tributam facultatem. Et quantauis ſit Imperialis & generalis conceſſio hæc tamen non poteſt ſubditos a ſolutione Decimarum eximere. Generalis & Cæſarea conceſſio, ait quod ſit inanis. Pari ratione Regum Principumque aliorum, ac Reipublicæ. Si enim maior auctoritas id neqnit efficere, multo minus inferior, id præſtare poterit. Hanc eandem ſententiam legere poſſumus, vel ſaltem non diſſimilem c. Dudum vbi Pontifex idem declarat. Donationem Decimarum a Rege

Ex eo. tit. factam nullam eſſe. irritam facit donationem Eccleſiæ, quæ a Rege, & Regina Hungariæ facta fuerat Hoſpitali. Quia ſacrilegium eſt, a laico ſacra recipere. Nec Rex, Regina poterant ſacra dare, quæ nec poſſidere poterant. Igitur non poterit Princeps eadem ratione Decimas alijs dare, aut ſibi arrogare, aut ſubditos ab illarũ ſolutione liberare. Rationibus probemus vtramque partem concluſionis, & prima harum ſit hæc. Decimæ ſunt Deo oblatæ, in ſignũ Vniuerſalis Dominij, vt retro demonſtrauimus ſacris litteris, & Innocentijs Papæ doctrina ducibus. Quæ autem offeruntur Deo ſacra efficiuntur tali oblatione: igitur Decimæ ſacræ ſunt, & ad ius ſpirituale attinent. Quod ſi ſacræ ſunt igitur non ſubijciuntur Iuri Principatuum. Inſuper ius accipiendi decimas, eſt ius ſpirituale, quoniam quæ Deo offeruntur a Diuina Maieſtate deputantur a in alimentum Miniſtrorum Altaris Dei, & ſacrario ſeruientium. Radix ac origo qua ſoluũtur clericis Deo oblata, eſt quod ijs qui ſeminant ſpirituelia, vt dicebat diuus Paulus, temporalia debent laici rependere, ac miniſtrare: Quod ſi ius Decimarum eſt ſpirituale, vt vere eſt, non poterit Princeps laicus, illas in proprium vſum vertere.

Proba-

tur facilime. Quia Princeps non ſeminat ſpiritualia, non ſeruit Altari, & iccirco Decimarum non poteſt eſſe particeps. Idque tanto firmius eſt, quanto vt retro diximus, quod Principis iuribus ſpiritualia non ſubiacent. Ex ijs etiam haurire poſſumus medium, ad probandum ſecundam problematis propoſiti partem. Nimirum quod Princeps non poſſit, populos ſibi ſubditos, a ſolutione Decimarum eximere. Quoniam cum ſint Deo oblatæ Decimæ, ſintq. ſacræ: iura autem Principatus temporalia reſpiciant; nulla certe ratione poterit Princeps ſubditos ab illarum ſolutione liberare. Huc tendunt Summorum Pontificum adducta Decreta. Quæ hic repetere, eſſet ſuperfluum. Concludamus igitur Decimas a Principe laico in proprium vſum non poſſe conuerti, etiam ſi ſumma adſit neceſſitas; niſi Papa permittat, vt de Collectis ſupra, fuit dictum, cum vtrobiq. eædem ſint rationes probantes; maioremue habeant vim in Decimis. Ratio autem adducta pro ſententia oppoſita, nihil eſt. Nam Decimæ ſub lege Euãgelica non tantũ dantur Miniſtris Altaris ob famulatum illorum ſacrum, verum ob pauperum indigentiam. Teſtis eſt Pater Auguſtinus illis verbis. *Decmæ ſunt Tributa egentium animarum. Quod ſi Decimam dederis non ſolum abundantiam fructuum recipies; ſed etiam ſanitatem corporis, & animæ conſequeris.* Et Pater Hieronymus. *idem ſcripſit*. & diuus Paulus. opportet Epiſcopum hoſpitalem eſſe. Miniſtri veteris Legis, erant tantum Miniſtri Altaris; nouæ autem Legis Miniſtri ad Domini noſtri Imitationem, ſunt Altaris Miniſtri, & pauperum patres. hæc ſummatim de Decimis ſufficiant dicta. Pateat Eccleſias, ac illarum bona Iuribus Principatuũ non eſſe ſubiecta, vt autem promiſſa ſoluam, & ſim in officio meo, reuertar ad cultum Dei, vnde defluxit oratio.

16. q. 1. Ca. decimæ.

Ca. quoniã.

Dei Optimi, & Maximi cultum in Principe fulgere debere.

Caput XII.

Commune bonum, lex ab omnibus dicitur, nec iniuria. imperando, inhibendo, pollicendo, bonos facit. Viua lex eſt Princeps, vt alibi diximus, bonum ideo commune erit. Bonum commune exiſtet, ſi ſui exemplo, bonos alios efficiet. Bonos præcipue efficiet, ad Dei cultum, & Religionem Chriſtianam excitando, hortando, & compellendo.

Omnes debet intendere neruos, vt ad Dei ſanctorumq. venerationem animi ſubditorum inflammentur. Omnibus quidem neceſſarius eſt huiuſmodi actus latriæ, mandatorumq. Dei obſeruatio; at Regi ac Principi, hæc ſummopere ſunt neceſſaria. Sunt in illo humana natura, quam cum ceteris hominibus habet communẽ, Dominium, Regiaque poteſtas. His tribus tamquam ſtimulis, & aculeis punctus ad Deum colendum incitatur. Homines nati ſumus, ſi ortum, & genus noſtrum, vix mente reuoluemus, illico videbimus, omnes teneri ad Deum venerandum. A Deo ex nihilo cuncta ſunt facta. Ex illo nõ ente, nos quoque geniti ſumus. Verum, licet in hoc cum cæteris rebus conueniamus, tamen ſi modum productionis aſpiciamus, ortum noſtrum ab aliorum productione longe diſtare, intelligemus. Alia creando *Dixit*. Sic legimus in ſacræ generationis hyſtoria. *fiat lux. & facta eſt lux. Fiat Firmamentum*. At nos creando, vſus eſt alio producendi modo. *Faciamus* inquit *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. His non contentus, ait ſanctorum geſtorum Narrator, Deum plaſmaſſe hominem manibus ſuis. His verbis nos monens, ſecretiori quadam, & excellentiori virtute, digniori ve productione, hominem fuiſſe creatum. Aratus lumine optimo ductus, id recen ſuit, dicens. Nos Dei genus eſſe, vt refert Apoſtolus Paulus. Cum igitur peculiari, & nobiliori creatione homo fuerit productus noſtrum eſt tanti beneficij memores, Deum colere, venerari, diligere, timere. Moyſes in Deuteronomio hoc populum docuit dicens. *Dominus Deus tuus vnus eſt*. perinde ac ſi dixiſſet. Ipſum ſolum eſſe, cui debetur cultus, & reuerentia, vt pote quoniam ab illo creati ſumus, quo nexu obligationis, tanto magis nos deuincimur, quanto ſingularius ab eo producti ſumus. Id vero vt grati, & memores efficeremus, ſubtexuit dicens. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota fortitudine tua*, His indicando, id quod ſumus, totũ Deo nos debere. Quod ſi quiſquis homo ille ſit, ad Deum laudandum tenetur, *Laudate Dominum omnes Gentes, laudate omnes populi*. dixit ſanctus Rex Dei Propheta, multo magis Princeps, qui Regijs parentibus eſt editus, quorum origine nobilitatem, & eminentiam eſt conſecutus. Qua in re præclare, & prudenter admodum, ſe geſſit Octauianus Cæſar. Qui cum a populo Romano Diuino coleretur honore, ob eius animi, & corporis pulchritudinem: hos non paſſus ſibi exhiberi honores, Sybillam conſuluit Tiburtinam, vt ab illa doceretur, quis eſſet eius productor. A qua certior factus, proprium cognoſcens creatorem, illum eſt veneratus. Atqui non tantum hac ratione Princeps debet exactius Deum colere; verum alijs cum præſit, Dei Optimi Benedicti, ſimulacrum nec obſcurum gerit; qui omnium eſt Dominus, cunctaue regit. Cum vero poteſtas ſuperior,

ſit

ſit magiſtra inferiorum virtutum; obedientiam ac reuerentiam docens, (ſtatim ac dominum, ſuperioremque videmus, intelligimus cui genua curuare, & caput aperire debeamus) ea propter Princi pes ſciens ſe illum eſſe, in quo refulget Dei poteſtas; nouerit etiam eidem Pietatem, & Religionem conuenire. Siquidem vti impietas, ac irreligio, obtenebrat maieſtatem illam, & ſimulacrum diuinæ poteſtatis, propter quam populi proprium Principem honoribus proſequuntur, ita Religio, & Dei cultus, magis ſplendeſcere, & nitere facit Principis maieſtatem, quam populi honoribus efferunt. Qui dominium, & eminentiam in alio intelligit, is ſtatim agnoſcit inferioribus reuerentiam eminenti exhibendam. Inferior cum ſuperiorem cognoſcit; docetur cui caput aperire, & genu curuare debeat. Hæc debet ſecum mente reuoluere Princeps, vt honoretur a populo. Debet memoria retinere ſemper. Principi neceſſe eſſe vt gratus Deum colat. Si enim poſt habita gratitudinis memoria, cultum huiuſmodi neglexerit, is pro certo habeat, in miſeriæ culmen ſe eſſe caſurum. Nabucdonoſor dominium propriæ virtuti aſcripſit, quod Deo acceptum debuit referre; in beſtiam iccirco mutatus eſt. *Septem tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias quod dominetur Excelſus in Regno hominum, & cuicumq. voluerit det illud.* In Apocalipſi legimus. Miniſtros, qui nomine ſeniorum exprimuntur, maturitate actionis, & populi, per animalia deſignati (quoniam aguntur, non autem agunt animalia, populi ducuntur a Principe non autem ducunt Principem) irradiatione in facies ſuas cecidiſſe. Adhæc oleo vnguntur Reges, hinc Chriſti appellati (lege primum, & ſecundum librum Regum) qua vnctione culmen honoris, & reuerentiæ aſſequuntur; inde illud. *Nolite tangere Chriſtos meos*. & illud *Miſit manum in Chriſtum Domini*. Singularis gratia confertur illa vnctione, adeo vt legamus Regem Francorum tactu laborantes Strumæ morbo, vulgo ſcroffolarum ſanari. quando diebus feſtiuis (vt referunt multi, & præcipue Carolus Stefanus, in libro de Agricoltura ſecundo, vbi diſſerit de virtutibus Nicetianæ herbæ) peccata vbi confeſſi fuerint, & Sacroſanctam Euchariſtiam ſumpſerint, Rexq. tangat manibus collum, & fauces illorum, qui hoc morbo grauantur, ſi a medicis offeruntur vt vere infirmi hac ægritudine, dicunt: *Rex te ſignat, Deus te ſanum faciat.* a tali infirmitate ſanantur. In Principe igitur Dei cultus refulgeat, vt ſpeculum in quo populus quid ſibi deſit, ad componendum animum, reſpiciat, vt ille, in quo a Deo collocata fuiſſe beneficia, & poteſtatē in populos, videmus. Huius munus ſit, pro religione certare. Matthatias moriens, hoc teſtamento filijs reliquit. *Nunc confortata eſt ſuperbia, & caſtigatio, & tempus euerſionis, & ira indignationis. Nunc ergo o filij æmulatores eſtote legis: & date animas veſtras pro te-*

ſtamento patrum noſtrorum; & mementote operum patrum quæ fecerunt in generationibus ſuis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum. Salomon dum coluit Deum, cuncta proſpere: omnia fæliciter, euenerunt ei. A cultu Dei deficiente, ad Idolaque veneranda aſſenſum præbente, Regnum ruere cæpit, tandemque in parteis ſciſſum eſt, ac imminutum deſijt. Mulierum Gentilium amore captus, Idolatriæ locum dedit, ut Regum ſancta narrat hyſtoria. Phanũ Chamos Idolo conſtruxit. Moab, in monte, qui eſt contra Hyeruſalem, & Moloc Idolo filiorum Ammõ, aliaue ædificauit templa Dijs Gentilium, vt mulieribus, quas deperibat, gratum faceret. Cuius criminis, his verbis a Deo reprehenſus fuit. *Igitur iratus eſt Dominus Salomoni, quod auuerſa eſſet mens eius, a Domino Deo Iſrael; qui apparuerat ei ſecundo præceperat de verbo hoc, ne ſequeretur Deos alienos. Et non cuſtodiuit, quæ mandauit ei Dominus. Dixit itaque Dominus Salomoni. Quia habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi. Diſrumpens ſcindã Regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum. de manu filij tui ſcindam illud, nec totum Regnum auferam, ſed Tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid ſeruum meum.* Verba ſunt hæc Dei loquentis. Quibus minando Salomoni ait. Regnũ ſe illud eſſe diuiſurum, quoniam ipſe Salomon Religionem, quæ vna eſſe debet, veri & vnius Dei. *vna fides vnum Baptiſma, vt dixit diuus Paulus*, in parteis diuiſerat. Hoc autem facturum ſe eſſe prædixit non Salomonis tẽpore; ſed cum filius eiuſdem regnaret; unamque partem Regni familiæ eius relicturum ſpopondit, Dauidis patris gratia. Videas obſecro. fuit Dauid Religioni, & cultui Dei deditus; ideo a Deo Regno munificentiſſime fuit donatus. hancq. ob eandem cauſſam filij, & nepotes a Deo honore ditati. Salomonis Regnum in partes dicit ſe diuiſurum huius Regis peccato parcit Deus Salomoni, dum viuit. Si quidem hac pœna poſteritatem plectit. Partem relinquit, non autem totum aufert, Dauidis Regis pientiſſimi, & religioſſimi gratia. Religione Regna augentur, ſeruanturq. Irreligione ruunt, atque peſſum eunt. Noſtra hæc ætas id optime intelliget, ſi Chriſtianorum Reges, & Regna intuebitur. Ad Principẽ itaque, vt ſummatim, quæ dicta ſunt, repetamus quæ ad fidem atinent, determinare non pertinet. Munus eſt hoc alterius poteſtatis, nimirũ ſpiritualis. Chriſti Vicario claues tradita ſunt Cognitio iccirco, & diſcretio eorundem eſt illius non autem Principis laici. Paſtorũ electio, & ipſa quoq. eſt poteſtatis ſpiritualis atque promotio; non autem temporalis vt dicunt. Religionis quæ ſunt ordinare, & ſtatuere, non eſt Principis laici, ſed ſummi Pontificis. Munus Principis eſt, quæ decreta ſunt a Papa, & a Concilijs.

lijs obſeruanda populis mandare, illaque obſeruare. Hoc legimus a Catholicis Imperatoribus fuiſſe factum. Iouinianus doctrinam Cõcilij Niceni pro lege habuit, illamq. toto animo amplexus eſt. Gratianus. Valentiniani ſucceſſor, ſtuduit vt eiuſdem Concilij Decreta ab omnibus obſeruarentur, quorum & ille fuit obſeruator, & cuſtos. Munus eſt Principis, quæ ſunt Dei cultus obſeruare; non decernere. Cuſtodire, non determinare. Tueri, non ſtatuere. Eſt miles Chriſti, a Deo armatus, vt ad tutendam Eccleſiam vtatur armis. Quare Iure proprio vtens, his non inſeret ſe, vt verbis Adriani Papæ vtar, niſi pro tutela. Quale autem bonum illud ſit, in cuius gratiam a Deo Principi data fuit poteſtas & iura Principatus reſpiciunt, nũc eſt aperiendum tandem. cum hoc, ſupremum illud non exiſta bonũ.

Explicatur bonum cuius gratia a Deo Principibus poteſtas, eſt data quod vel iura Principatus reſpiciunt.

Caput XIII.

QVi de moribus, & ciuitatibus ſcripſerunt, omnes duplicem aſſerunt eſſe Reipublice finem, vnum proximum; alterũ vero ultimum, ac poſtremũ. Ceterum cum finis habeat rationem boni, (de illius nanque eſſentia eſt bonum,) hinc duplex Reipublicæ, & Ciuitatum oritur bonum. Proximus finis, bonumq. proximum, eſt vt non tantum ſeruentur populi a ferarum incurſibus, & ab inimicorum inuaſionibus; verum vt ijs abundent quæ ad vitam illorum ſunt opportuna ne dũ neceſſaria. Naſcimur (immortale Deus) miſerimi, adeoq. omnium indigentes, vt non mater, ſed nouerca nobis eſſe videatur Natura. Plantas corticibus, & folijs contexuit. Piſces ſquamis: aues plumis, quadrupeda pilis veſtiuit, vt tum a frigore, tum a calore, poſſent propria tueri corpora. Nos vero nudos, tenui pelle, & depilos producit, vt omnes iniurias temporum, ac mutationes illorum, ſentiamus. Armatos generat equos, duriſſimo cornu pedes illorũ calceando. Alia animalia roſtro, alia vnguibus, alia dentibus, alia cornibus armat, vt ſe tueantur, & vim illatam propellant. Percutiat quis Vitulum, aut pullum equinum. Is ſtatim videbit a

Vitulo

Vitulo capite; a pullo equino calcibus impeti. perſentiunt hæc animalia a Natura partes illas fuiſſe armatas, in illorum tutelam. Manu fingat Accipitrem, aut Falconem conſtringere. Animalia hæc roſtro ferire tentabunt, a natura docta, roſtra illorum eſſe arma, quibus illatam iniuriam debent propulſare. Nos miſerimi ſi percutimur, qua parte pro armis poſſumus vti? Feris foueas; Piſcibus Maris ſinus, & ſecretiores aquarum partes; araneis, & formicis, ac beſtiolis quantumuis minimis, propria conſtruxit latibula. Nobis miſillis, quænam tuguriola ædificauit? Cælo natos nos exponit, nulloq. tegumento donauit. Brutis cibos producit, quibus nulla arte, nullo labore, libere veſci poſſunt ipſa. Nobis non cibos, ſed materiam potius ciborum. Siquidem ſummo labore præparantur, conficiuntur, concoquntur, condiuntur. Omnium ciborum præcipuus eſt panis: Frequens illud ſcripturæ ſacræ loquendi inſtitutum, illaque phraſis *comedebat panem in conſpectu Regis*. *Panem noſtrum quottidianum da nobis hodie.* id nos docere poteſt. Appellatione *Panis* omnes intelligens cibos. Bone Deus quos nam labores, non ſubit homo; vt hoc veſcatur cibo? ſudore hominum Bouumq. ſummo labore aratur, & ſaritur. Semen in terram tandem deijcitur. Hoc Solis, Syderumq. calore, & leni Venotorum aura fouetur. Germinat tandem; in ſtipulam, deinde in ariſtam creſcit. Areſcit; inciditur falce; in faſciculos ligatur. fertur ad Aream: trituratur: quo non ſudore? quibusue non laboribus? Ventilabro mundatur: in horreum fertur: mola contunditur. futfur ab adipe ſecernitur: paniſq. tandem conficitur, & concoquitur. Veſcimur carnibu; Piſcibus forſan crudis? Minime. Summo Ignis calore coquuntur, condimentiſq. aptantur guſtui. Cetera aſpiciamus cibaria, & in omnibus agnoſcemus labores humanos. Adhæc exuberat corpus noſtrum excrementis. Sordeſcit horum affluentia. Fit horridum, ac fætet, niſi quottidie mundetur; in varias labimur ægritudines. Eſus; Potus; Vigiliæ; Somnus; ocium, labor; niſi in propria conſiſtant menſura, tantum abeſt, vt nobis proficiant, quod potius obſunt. Mentis quidem ſumus compotes, & locutione donati. Verum his abutimur. Hinc Mendacia; Rixæ; Diſſenſiones; Diſcordiæ, Iræ, Inimicitiæ, Inuidiæ inter notos, ac ignotos.

Ouid. *Non frater a fratre: non hoſpes, ab hoſpite tutus.*

Si ortum itaque conſiderabimus; nos indigere artibus intelligemus, quibus Lanæ, Serica, & Coria præparentur; & tegumenta fiant corporis noſtri. Si propriam imbecillitatem vix aſpicienus, ani-

animiq. elationem dominandi deſiderium mente reuoluemus; pro certo habebimus, artem deſiderari, & opportunam eſſe; bellandi ac conſtruendi arma. Si in victum, in munditiam, in excrementorũ, exuberentiam, in metrum actionum corporis conijciemus oculos; videbimus artes in nobis eſſe debere, quibus medeamur corporibus, illa mundemus, & purgemus a ſordibus, nitida ſanaq. reddamus. Variæ Hinc ortum habuere artes, quæ humano victui ſunt neceſſariæ. In his ſummus ordo, ac proportio inſpicitur. Vna (gratia exempli) lateres facit, altera illis vtitur. Prima materiam conſiderat. Architectus formam, vt dicebat Ariſtoteles. Frena facit Faber ferrarius; Equorum domitor illis vtitur. lanaria adaptat lanas; altera pannos conficit; Sutoria veſtimenta facit. Plato proportionem inter Obſonatricem, & Coquinariam eſſe aiebat (a præceptore didicit diſcipulus Ariſtoteles) quæ inter Exercitatricem, & Medicinam reperitur. Multis igitur indiget artibus, vt humana eius vita ſeruetur homo. indigetq. alijs vt prompte, & ornate, loquatur. Indiget frenis, & Ductore vt actiones, & elocutiones, recte moderetur. Hæ in pluribus reperiuntur. *Non omnia poſſumus omnes*. vnus alio indiget. *Omnis vita, ſeruitium*. & *Manus, manum lauat*. inquit adagium. ad Dei certe conditionem prope accederet, qui nullo indigeret, ſibique eſſet ſufficiens. Sic ſcripſit Ariſtoteles. *Homo ſolus, ſibi ſufficiens. aut Deus, aut beſtia*. Cum itaque vnus alio egeat, homo ſociabile fit animal, ac naſcitur. Bonũm itaque (ex ijs ſequitur) populi proximum, eſſe affluentiam horum quæ ad uitam fœliciter trãſigendam, vt ſupra nunc dictum fuit, requiruntur: quantum re ad corpus attinet. Eſt & alter finis, aliudue bonum, quod in vſu virtutis eſt poſitum; cum medium ſeruamus, ab extremis declinantes, in actionibus noſtris. In gratiam horum, data eſt Principi poteſtas, legeſq. Principatus huc tendunt, quod ſit cuſtos Diuinæ legis, Dei cultus, honoriſq. ac mandatorum eius. Si homicidas, ſi adulteros, ſi fures, ac latrones punit; id facit, quoniam communi bono inuigilat, quod ab huiuſmodi hominibus deprauatur ac læditur, & miles eſt Chriſti, qui pro Lege eiuſdem arma gerit. Hinc prouenit, vt retro dictum fuit, Principi non licere Iure Principatus ea agere, quæ illicita ſunt, & Eccleſiæ præceptis vetita nedum Lege Dei Nullum hic habet Ius Principatus locum, vt in ijſquæ fidei ſunt, quæ ve ad Religionem attinent: niſi ea ratione quam expreſſimus. Collegerũt Principes Sacerdotum Concilium, vt IESVM Dei filium occiderent, eo quod, vt ipſi dicebant, omnes ſequebantur illum, & paulatim Regnum & poteſtatem ammittebant. Pilatus Dominum morte condemnauit audiens verba illa Regen ſe facit, & talis non eſt amicus

2. Phyſ.

In Georg.

cus

cus Cæſaris. ſcelus horrendum fuit; nihilominus prætenſio erat de Regno. Quid dicet Machiauellus, qui omnia licere Principi ait, vt ſe ipſum tueatur? Poteſtas hæc, iuſque huiuſmodi a Deo datum fuit Principibus, vt non ſit contra illum, eiuſque populũ,& Legẽ. fælices erunt populi (humanum loquor) ſi hæc fuerint fæliciter acta. fælices principes ſi auctoritate vtentur limitate, & pro certo habuerint, poteſtatem illam, terminis ſuis eſſe concluſam. Id Pater Auguſtinus Principes inſtruxit, quæ libenter hic adducam, vt tanti Patris doctrina, & auctoritate munita ſit noſtra ſententia.

Quæ ſit Chriſtianorum Principum fællicitas

Caput XIV.

Differt Rex Chriſtianus ab infidelium Rege, atque ſummopere diſtat, hic ductor tantum eſt populi, ille autem peculiari quadam ſupercæleſti gratia, donatur. Poteſtas omnis a Deo eſt, licet mediis populis in nonnullos proueniat. At hæc, quæ in Chriſtiano reperitur Rege, annexam habet peculiarẽ quandam Dei gratiam. Vnctio tantæ rei eſt teſtimonium ſtatim ac, vnctus eſt a Samuele Rex Saul mutatus eſt in virum alterum, ſpirituq. Prophetico præditus fuit. *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius, & deoſculatus eſt eum, & ait. Ecce vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in Principem, & liberabis populum ſuũ de manibus inimicorum eius qui in circuitu eius ſunt: & hoc tibi ſignum quia unxit te Deus in Principem &c.* deinde paucis interpoſitis ſubnectit dicendo *& inſiliet in te ſpiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* finem ſtatuit Samuel ſermoni, quem habuit cum Saule, qui cum vix diſceſſiſſet, Cor illius immutatum fuiſſe a Deo, narrat ſcriptura. *itaque cum auertiſſet humerum ſuum, vt abiret a Samuele, immutauit ei Deus Cor aliud.* De Dauide quoque hæc leguntur. *Tulit ergo Samuel cornu olei & vnxit eum in medio fratrum eius & directus eſt ſpiritus Domini a die illa in Dauid.* Peculiaris igitur gratia, huic poteſtati Chriſtianorum Principum eſt annexa, qua Paganorum Principes omnino priuantur. hac de cauſſa quæ coueniunt Principibus infidelium, eadẽ omnia Chriſtianis Regibus conuenire, non eſt omnino aſſerendum. Ita e contra, Multa ſunt, quæ Re-

gibus

gibus, ac Principibus noſtris congruunt recte, quæ nulla ratione, Paganis poſſunt adaptari. Regunt Chriſtiani Principes non tantum homines, verum Chriſti Oues. Dominantur non ſolum hominibus, verum hominibus caractere Baptiſmatis inſignitis. Ex hoc corelarie, ſeu conſentanee ſequitur, quod præcepta ab Ariſtotile de regendis populis ſcripta ſimpliciter non ſunt Principatui Chriſtiano accommodanda: Et quæ ab alijs ſcriptoribus ſunt memoriæ poſteritatis tradita (loquor de Gentilibus,) non ſunt veluti Axiomata, & proloquia habenda. Moderanda ſunt, & Chriſtianis moribus accommodanda, aut omnino tamquam falſa reiicienda, vbi Religioni aduerſantur, & Eccleſiæ præceptis ſunt contraria. Hæc omnia innuit Pater Auguſtinus de Ciuitate Dei. Vbi duplicem aſſignat Principumfœlicitatem, ſeiungitque Principis Chriſtiani fœlicitatem ab ea, quæ alterius exiſtit Principis. Felicem reputabit quis Principem, qui diu imperauit, & filios morte placida defunctus Regni hæredes relinquit. Hac ratione Dauid fælix dici poſſet. qui cum trigeſimum ætatis ſuæ annum ageret, regnare cæpit, & quadraginta annis Regno potitus eſt, cum dimidio. In Hebron ſeptem annis, ac ſex menſibus domui Iudæ: Triginta autem Hieroſolymis toti Iſraeli, & Iudæ imperauit. Fælices appellari ſoliti ſunt Principes, qui Auri & Argenti copia affluentes ſumma tranquillitate, & populorum pace, numeroſiis dominantur populis. Talis fuit Salomon, quem diuitijs & imperio, nedum ſapientia, cæteros antecelluiſſe, Imperioq. multos ſuperaſſe, diximus. Fælices quis dicet illos Principes, qui hoſtes Reipublicæ domuerunt, proprioſq. vicerunt; quemadmodũ Dauid, qui Philiſteos debellauit, populo Iſraelitico hoſtes infeſtiſſimos, & vires Saulis cauere valuit. Hæc omnia Principibus etiam Paganis optime conuenire queunt. At Princeps Chriſtianus, ſi fælix debet dici, non tantum ob has, quas memorauimus cauſſas, talis habendus eſt, ac alias eiſdem ſimiles; verum propter iſtas, quæ dicentur, ſcripſit Beatus ille Pater his verbis. *ſed fælices eos dicimus ſi iuſte imperant, ſi inter linguas,* (cum cauſſas ſuperius dictas reijeciſet, quibus reputari ſolet Princeps fœlix, ſic ſubtexuit) *ſublimiter honorantium, & obſequia, nimis humiliter ſalutantium, non extolluntur, ſed ſe homines eſſe meminerint. Si ſuam poteſtatem ad Dei cultum maxime dilatandum maieſtati eius ſamulam faciunt. Si Deum timent, diligunt colunt. Si plus amant illud* Regnum, *vbi non timent habere conſortes. Si tardius vindicant, facile ignoſcunt. Si eandem vindictam pro neceſſitate regendæ tuendaeq.* Reipublicæ, *non pro ſaturandis inimicitiarum odijs, exerunt. ſi eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent. Si quod aſpere coguntur plærumque*

decernere, miſericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compenſant, ſi luxuriæ tanto eis eſt caſtigatior, quanto poſſet eſſe liberior. Si malunt cupiditatibus prauis, quam quibuslibet gentibus imperare. ſi hæc omnia faciunt., non propter inanis gloriæ ardorem, ſed propter caritatem fœlicitatis æternæ. Si pro ſuis peccatis humilitatis & miſerationis, & orationis ſacrificium Deo ſuo vero immolare non negligunt. Tales Chriſtianos Imperatores dicimus eſſe fœlices interim ſpe, poſtea re ipſa eſſe futuros, cum id quod expoſcimus aduenerit. Hæc magnus ille Pater, quibus cõſpicuum eſt alia ratione felices Principes Chriſtianos nuncupari: alia vero Gentilium Duces, & Reges, & quod huic conſentaneum eſt, quæ in Politicis leguntur a Gẽtilibus ſcriptis commendata, haud omnia Chriſtianis Principibus adamuſſim conuenire. illa agant Principes quæ Chriſti lege Eccleſiæq. præceptis ſunt congruentia, & tum demum Iure Principatus recte vtentur. Vana, & a veritate omnino aliena eſt, illorum ſententia exiſtimantium, vt Regna terrena tueantur Princeps, vt proprio vtantur Iure Principatus, eis licere ſacra prophanis miſcere, Epiſcopos promouere, & electionibus illorum ſe inſerere, quæ ſunt fidei, & Religionis declarare, decernereq. omnibus vti medijs, ut populis dominentur. Aſpiciat, quis obſecro Conſtantinum. Diu regnauit, Imperij diu tractauit habenas. Condidit Ciuitatem Romæ æmulatricem. Vniuerſum Romanorum Orbem vnus poſſedit, & tutauit. In bellis gerendis, & adminiſtrandis, ſemper inuictus, ſemper Auguſtus Triumphum reportauit. In Tyrannis debellandis, ac opprimendis, victor ſemper extitit, cuncta proſpere egit, ætate ſenili grandæuus e uita migrauit. Is religioſiſſimus cultui Diuino deditus, timoris Dei plenus, quæ ad fidem, & Religionem attinent, ad Sacerdotes decernenda reijciebat. Virtutes omnes Chriſtianas amplexus, vere Chriſtianorum fuit Imperator. Hunc imitentur dominantes, illius ſequantur veſtigia imperantes, Caſtitatem amabunt, nec cupiditate prolis perciti, vxorem repudiabunt impie, vt olim Henricus Angliæ Rex, luxuriæq. inquinimantis proprios honores non fædabunt. pecuniarum auiditate iniuſta populis haud imponent onera. Superbia elati, non exiſtimabunt a legibus omnibus eſſe immunes. Sumptibus illis erunt contenti, quos Cenſus iuſtus ſuppeditare poterit. Populos regent tamquam ſubditos, quibus ius dicunt, non autem tamquam ſeruos, aut captiuos. Populorum vitæ erunt cuſtodes, non autem Domini. Facultatum populi eam poſſidebunt partem, quam lex Diuina & Naturalis condonant, & neceſſitas patitur, non autem ut illorum tulerit uoluntas. Paſtores, non autem mercenarij, quibus præſto erunt. Memoria ſemper retinentes, abuſu Iurium

Principatus ut nunc dictum fuit, a Iudeis, & Pilato, SALVATOREM noſtrum acerbiſſimis ſupplicijs cruciatum fuiſſe, atque crudeli morte condemnatum. Iudei timebant ſibi ipſis ne Regnum ſcilicet perderent, dicebant, uenient Romani tollent locum noſtrum. Pilatus audiens quod illi Cæſarem dicebant eſſe Regem eorum, ſententiam protulit Regni ratione falſa ductus: Quæ omnia, & alia quæ dicta fuere cum ab illis acta erunt, fælices erunt, in hac uita, & in Cælo corona a Domino ornabuntur. Qui ſua miſeratione donet illis uirtutes omnes, dominium augeat, in omnibuſq. ſecundet, cui laus gloria honorq. ſemper.

FINIS.

INDEX.

A

A Curia qui ſint arcendi. pag. 161
Actio Principis quid operetur in populos
Adulatoribus pœna ab Athenienſibus ſtatuta. 353
Aegiptij cur paſtores ouium abhorrebant. 163
Aegiptiorum Regum lex Magiſtratus præfectis promulgata. 353
Aegiptij Conuiuium cum Hebreis prophanum cur reputarint ibidem. 163
Aerarium Principis ſimile Stomaco. 158
Alexandri Magni liberalitas 207. & 343
Alexandri continentia. 347
Alexandria ſitu, & oraculis olim clara. 279
Amorem ſimilem monſtro finxit antiquitas. pag. 237
Amoris duplex principium Pœnia, & Porus. pag. 364
Amor puer pictus ligatus vitta oculos, cur ibidem.
Anaxageras nomine Mentis dicitur, & cur. pag. 375
Angaria quid. 166
Antigonis reſponſio indigne petenti, 204
Archidamus quos eſſe Ciuitatis præfectos dixerit. 289
Archelai diſciplina in donando mira. 344
Arbores fructuoſæ, & vites in prælio ab inimicis immunes. 230
Aris. errata de legibus ſcribentis. 296
Aris. de immutabilitate legum diſputans ſuccubuit. 311
Armorum diuerſorum Inuentores 181. & pag. 182
Artem militarem prudentiam non eſſe. 183
Artem militarem eſſe mechanicam, & inde non ſequi vt non ſit digna Regibus, & quod non collocetur inter artes dignas. 184
Artis militaris quis fuerit auctor, & quæ prima fuerint arma. 181
Atrium quid ſignificet. 370
Aulici conditiones. 372
Auri vſus neceſſitas. 161
Aurum, Protheum in omnia ſe mutantem. pag. 160
Aurum inſſorem neceſſitatis ab Ariſt. dictum pag. 157

B

BAlaam Conſilium impium Balaac Regi Moabitarum præſtito ad ſuperandos Hebreos. 265
Beatitudo ſingulari numero caret apud Hebreos. 160
Bella prima geſta honoris cauſa. 181
Belli cauſa inſta qua nam ſint. 222
Bellum indicendum quas requirat Conditiones. 208
Bella quis primus occupandi alieni regni gratia geſſerit. 181
Ante principium belli quæ ſint a Principe conſideranda. 219
Bodini doctrina de poteſtate independenti reiicitur. 39
Bodini error de Regnorum ortu. 10
Bombardarum vſus quando inceperit, ac vbi. 102
Bona animi cur altercantes nos efficiat. 368

Brutis an inſint artes. 24
Boni varie ſpecies. 38

C

CAlamitates humanas non ſemper homini ob eius peccata euenire. 252
C. Duo ſunt, expo. 104
C. cum ad verum, expo. 103
Cap quoniam idem, expo. 105
Cap. conuenior, expo. 424
Cap. ſi duobus. expo. 420
Cap. ſoliti, exponitur. 120
Cap. per venerabilem exponitur. 120
Cain primus princeps & Rex. 12
Canum nota, & venationum leges. 410
Cenſus quid. 166
Christus comendans oues Petro dedit temporalem poteſtatem nedum ſpiritualem. 65
Chriſti verbis docemur in eo fuiſſe Regiam temporalem poteſtatem. 129
Chriſtus Regnum ſibi oblatum cur recuſauerit, negaueritq. iudicium adoleſcenti illud petenti 129
Ciuitatis optime belloq. apte ſitur 286
Collectas Eccleſiæ bonis a Principe imponi nō poſſe 420. vſque ad 436.
Conſiliarius primus Deus. 357
Conſiliario Principis ex proprijs aſſumpto quæ pericul à imminent. 363
Conſiliarius malus quæ damna inferat. 353
Conſiliarij obiecta quæ debeant eſſe. 354
Conſiliarij principis qualitates illorumque examen. 352
Continentiam Principi neceſſariam. 345
Continentia ſeruanda Anacharſidis dicto. pag. 345
Conſtantij error peſſimus dum decernit ad fidem attinentia. 417
Conſtantius Imperator labe hæreſis infectus Epiſcopos Eccleſiis præfecit. 422
Conſtantini honor, & reuerentia Sacerdotibus, ac rebus ſacris exhibita. 418
Criſpinus Romanus milites deficientes quomodo ad ſe reuocauit. 225

D

DAuid exiens in pugnam contra Populum Dei, cur non pugnauit. 259
Decimæ ſtipendium ſunt Dei militum. 439
Decimæ quarum rerum ſint ſoluendæ ibid.
Decimas a iuribus Principum immunes, nec poſſe Princ. ſubditos ab illarum ſolutione liberare. 436
Decimas bonorum male acquiſitorum ſolui. pag. 440
Decimarum ſpecies. 430
Decimarum diffinitio. 438
Diffinitio iuris Principatus 38
Diffinitio iuris Principatus a neotericis tradita reiicitur. 22
Diffinitionum peccata, ibidem.
Dei facies quænam ſit. 29
Dentium figura varia cur a natura fabricata. 198
Dictum notabile Alexandri, & Cicer. in ſuperfluas exactiones. 177
Diſciplina militaris Cæſaris 208
Diuitiarum diuiſio 159
Dolum bonum, & malum. 259
Dominici Soto rationes probantes in Papa, vt Papa non eſſe temporalem poteſtatem. pag. 43
Dominiorum variæ ſpecies. 28
Dominiorum multiplicitas a Gerſone Scripta inanis. ibidem
Dominium Angelorum quale. 29
Donatio quid ſit. 129
Ducatus, & Senatus durous in quo differant. 164
Dux exercitus nec nimia maturitate nec immaturitate celerè geſta belli aggredi debet. 207
Dux exercitus litteris, & ſtudijs ornatus eſſe debet. 205
Ducis præſtātia toti exercitui cōparatur 205
Ducis exercitus qualitates. 202
Ducis prudentia victoriam parit, imprudentia exercitus ruinam. 202
Dux primo ſe ipſum tueri, deinde inimicum lædere debet 200
Dux an ex extraneis vocandus. 201
Ducis exercitus prima virtus Religio. 208
Dionisij filij quid paſſi fuerint in contumeliā patris. 347

E

ECcleſiæ bona an Principibus tributa debeant. 431. vſq. ad 436.
Eccleſias iuribus Principatuum non ſubijci. pag. 423
Electio quid ſit. 117
Electionem Epiſcoporum a Iuribus Principatuum eſſe immunem. 419
Epiſcopi cur fratres Papæ dicantur. 117

F

FAbritius non ab exercitu, ſed a Duce victus. 203

Fabri-

Fabritij fides erga Pyrrhum laudata. 228
Fatum Stoicorum reijcitur 295
Fides Romanorum erga hoſtes commendata. pag. 228
Filij quomodo dicantur dæmonibus geniti. 277
Finis Reip. Duplex. 38
Fœderis nomen ponderatur. 262
Fœderis ineundi inſtitutum ibidem.
Fœdus a Principe Chriſtiano quomodo poſſit iniri cum gentilibus a pag. 238. uſq. ad 286
Fœderis conditiones, & quæ tutiores 231
Fœminae bello aptas rationibus probatur. 188
Fortunam iri ſit Euripides. 215
Fortunam vitream cur appellauerit Seneca. pag. 214
Fortuna ſecundum Ariſt. quid ſit. 213
Fortunam quis primus omnium nominauit, et eius Inuentor. 211
Fortitudo Leonida, & Epaminunda commendata. 362
FRANCISCI SFORTIAE *Illuſtr. ac Reuer. Car. S. R. E. virtus commendatur.* 172

G

G*Algala locus cur memoria dignus.* 276
Gladium temporalem Pontificis eſſe. 186. & 81.
Graſſatorum occupantium, & depredantium Prouinciam Romandiola Immanitates, & opera nephanda inaudita. 172
Guelfus Dux Bauariæ aſtu mulierum liberatus ab oppreſſione. 190

H

H*Annibal dictus Phormionis Peripatetici diſcipulus.* 205
Herodes damnatur totam curam adhibendo regimini Populi familia neglecta. 369
Henrici Angliæ Regis error. 418
Homo quomodo finis quaſi omnium ut dixit Ariſt. 147
Hominis bello apti conditiones. 192
Homines a Prinicipibus ditandi quales. 374
Homines quoſdam ad imperandum quoſdam ad ſeruiendum naſci. 7
Honor cur Scribatur cum aſpiratione H. 371
Hugonis rationes probantes in Papa non eſſe poteſtatem temporalem 41. ſolutio illarum pag. 96
Humanam vitam ad dominium Dei non magis hominum attinere. 29
Humanam vitam eſſe Emporio ſimilem. 7
Hymenæus cur pingatur Iuuenis facie decorus. 198

I

I*Deas quomodo poſſimus admittere in nobis fuiſſe.* 24
Imperator Baſiliſcus congregando Concilium errauit grauiſſime. 417
Imperatores Reges, & Duces dominio priuatos a ſummis Pontificibus non tantum obſpectá tiá ad fidem quam ineptudine ad regimen pag. 76
Imago Principis cur imprimatur nummis. pag. 163
Immanitas in Principe nullum locum debet habere. 239
Immanitas diuerſorum 339. & 340.
Inepti ad bellum qui ſint 192
Iudas Machabeus cum Gentilibus fœdus pepigit 231
Iudex vere iudicat animi perturbatione remota. 353
Iudex non poteſt condemnare eum, quem reum nouit extra iudicium, niſi in Iudicio etiam idem agnoſcat. 351
Iuriſdictio quid ſit, 153
Iuris definitio. Quod ſit Ars æqui, & boni, exponitur reiecta Accurſii opinione. 26
Iuris diuiſio ſecundum Theo. Ibidem.
In ius vocari, proprio iure uti, vnde, & quid ſignificent. 26
Iulij Druſi apophtegma dignum. 2
Iuris Principatus duplex definitio. 34
Iura Principatus alieni Conſilij Indigentia. pag. 349
Ius a Deo datum Principi in Commune bonum 36
Iuſtitia definitio explicatur cur vero leges dicant Ius. 26
Iuſtitia in medio eſt conſtituta, vt virtutes morales. 14
Iuſtitiam in ſe continere omnes virtutes 292
Iuſtitia Geometrica ſeruatur in puniendis delictis. 368
Iuſtiniani error in uocando Concilium vnde ortum habuerit. 217

L

L*Audi maior eſt Principi Iuſtitiæ aliquid auferre, quam miſericordiæ* 340
Leo tertius Imperator decernens abſtinentia ad fidem grauiſſime erat. 418
Leone decimo Pontifice, artes liberales, & bonarum ſtudia floruerunt.
Leges cur in Deum ab antiquis fuerunt relata. 101

Leges ab humana prudentia conditas defi-cientes eſſe. 303
Leges loco, tempori, & populis accommodandas fere. 310
Legis ius violentia eſt expers. 161
Legislatorem qualẽ eſſe voluerit Ariſt. 302
Legum Conditiones. 306
Lex Chirurgice ſimilis. 309
Lex humana menſura eſt & menſurata. 308
Lex apud grecos puniens militem amittentem ſcutum in bello declaratur. 205
Lex Principis an obliget cum diſcrimine vita. 326
Lex cur dicatur ratio. 293
Lex triplex vt triplex datur ordo. 297
Leges Principum temporalium obligant ad pœnam corporis. 315
Leges quomodo Immutabiles exiſtant. 313
Legum numeroſa multitudo quid mali pariat. 311
Leges An mutabiles ſint Ariſtot. diſputans quæſtionem in ſolutam reliquit ibidem ſolutio quæſtionis ibidem.
Legi Diuinæ dupliciter hominem ſubijci. 298
Legis Diuina rectitudine, & bono, alias leges bonas, & rectas eſſe. 299
Legem humanam fælicitatis matrem. 290
Leges Principum an obligent ad peccatum mortale 317. vſque ad 328.
Leges Principatus non dependere a voluntate Principis ſola, ſed debere conuenire cum lege Diuina, probatur. 35
Legis æternæ in mente diuina exiſtentis alias leges eſſe pediſſequas. 298
Legislator in litteris diuinis verſatus ſit. pag. 301
Legislatoris conditiones ſecundum Platonẽ. pag. 300
Legislatorẽ ſimilem pictori facit Plato. 301
Loca munita Principibus neceſſaria eſſe rationibus probatur. 287

M

Mandatum cadere a præcepto. 371
Martem quem Bellorum Deum Poetæ fingunt cur adultum pingant 198
Matrimonij inter fidelem, & infidelem cauſa Inconuenientiæ quæ ſit. 280
Macula magis in Principe quam in Subdito conſideratur. 2
Magia duplex quarum vna laudabilis altera omnino culpabilis. 259
Malorum omnium quæ Principi accidere poſſunt quod nam maximum. 345
Manus Inſtrumentum Inſtrumentorum. 160
Magnificentia Ducis erga milites neceſſaria. pag. 207
Manſuetudo Antonini Pij. 377
Maturitas Conſultationi: Celeritas executioni debet annecti. 356
Mechanicas nobiliſſimas eſſe artes, & quæ vere ſint Mechanicæ, quomodoque a Sellularijs diſtent. 186
Media quæ ſint Principi; bona finis grati. 238
Media licita debent eſſe quibus Princeps ſe ipſum tueri ſatagit. 235
Meduſa clypeo Mineruę victa quid ſignificet. 364.
Menandri poſt obitum fama, & honores ob optimum regimen. 346
Membrum ſit meretricis fornicarius, quomodo. 280
Michol aſtu muliebri maritum ſeruat a morte. 400
Modus miſcendi clementiam cum Iuſtitia qualis. 340
Moneta vnde dicta. 163
Monetarij grauiſſime cur puniendi. 163
Miles Ciuis An Ruſticus, eligendus. diſputatur. 194
Milites an proprij an extranei vocandi. 200
Medium ſecundum rem, & ſecundum nos, hinc duplex Iuſtitia Geometrica & Arithmetrica. 15
Merita ſubditorum a Principe conſideranda & honoranda. 342
Mulier cur homo occaſionatus. 184
Mulierum caſtitatem ab omnibus exiſtimatam fuiſſe: quam ob cauſam. 348

N

Natura lex: Vim vi repellere licet vnde oriatur, & quomodo cum Inculpata tutela debeat eſſe exponitur. 258
Natura non facit gladium Delphicum. 349
Nomen Emphiteuſis vnde, quid ſignificet, vt & dictis ſummularijs explicatur. 143
Nomina quomodo a rebus ſumãtur, & ſint ad placitum vnde apparet Concilium, inter Plato. & Ariſt. 163
Noua onera vt poſſit Princeps imponere populis iure Principatus et quæ 175. vſque ad 177
Noua domus qui ædificarunt cur inepti ad bellum. 193

Numiſ.

Numiſmatum pracium in damnum populorum Princeps *iure* Principatus *nequit immutare.* 264

O

Obeli pracium. 433
Obiectionem obiectione reſiſtere, inſtitutum Hebraicum 118
Oldradi de Ponte *rationes probantes fœdus a Principe* Chriſtiano *cum infideli poſſe iniri* 248. *ſolutio illarum.* 257
Onera imponenda ſunt loci natura, & incolarum conſiderata. 177
Onera imponenda iuſtitia Geometrica 177
Onerum a principibus Populis *impoſitorum ſpecies diuerſa.* 166
Operationes Intellectus *anima aſcribantur, & non corpori cur.* 446
Ordo rerum vita, & ortus. 5
Origo Regnorum *vnde ſecundum* Philoſophos. 9
Oſaſchi ſententia, ac rationes de fœdere ineundo cum infidelibus. 241. *ſolutio illarum pag.* 281

P

Paganos, & infideles ſubdi poteſtati Papæ. 99
Palatium vnde dictum. 370
Papam, vt Papam *habere dominium temporale.* 59
Papam totius orbis dominum eſſe. 57
Papa Comites *mediolani confirmans.* 176
Papa Comites Verona, & Vicentia *deputans ibidem.*
Papa Marchionem Mantua Inſtituit *ibidẽ.*
Papa temporalem omnium aliarum poteſtatum eminentiſſimam eſſe, aliaſque ab illa pendere rationibus probatur. 73
Papa depoſuit Reges, & Imperatores, *eo quod inepti eſſent regno, & alios ſubrogauit.* 76
Papa cur dicatur Sacerdos Maximus. 116
Papam totius Orbis Dominum *eſſe quomodo* Intelligatur. 56. & 58.
Papa habens imperium totius orbis non facit quin cæteri Principes *vtantur poteſtate propria in ſuis ditionibus.* 56. & 98
Papa, vt Papa includit apicem vtriuſq. poteſtatis idq. haberi ab illo modo loquendi. pag. 90
Papa Pauli tertij, benignitate diſciplinæ, artes liberales ſcientiaq. omnes Roma, *in* Italia *floruerunt.* 342
Papa Gregorij xiij. munere ſtudium Iuris *Cæſarij ad culmen honorum elatum fuit pag.* 342
Potendum eſt cauto ſubdito. 344
Papa nomine quid ſit accipiendum. 99
Papa Monarchia non aufert Principum auctoritatem, & regendi libertatem. 56
Partes animalis anuloſi a toto ſeparatæ cur viuant. 162
Partes hominis, & animalis perfecti cur a toto diſiuncta non viuant ibidem.
Roner. P. Ceſ. Baroni. 90
Pater amãs pliorum filios intenſe vnde hoc. (367
Patria amor vnde oriatur. 368
Patria, & Religionis *amore milites animari.* 225
Pedes hominis cur in figuram cubicam efformati. 307
Pedites ſimiles manibus equites pedibus ordinem pectori Ducem *capiti faciebat,* Iphicrates. 203
Pecunia vnde dicta. 160
Pepigit Fœdus Ionatas *cum Populo infideli.* 251
Perſæ in memoriam Cyri *amabant eos qui naſo eſſent aquilo.* 346
Phalaridis in vita, & poſt mortem mores Populis odioſi. 346
Philippicus imperator determinando ad ſidem attinentia hæreſi labe erat infectus. pag. 428
Pilatus & Iudei abuſu legum ſtatur morte condemnarunt Saluatorem noſtrum. 452
Pili albi in cute alba equos debiles indicant pag. 4:5
Pili varia temperaturæ in hominibus canibus, & aquis Iditia. 410
Pili Coloris *aquili vulgo caſtanei equos fortes oſtendunt ibidem.*
Pili Ruffi vulgo Sauri *equos animoſos demonſtrant ibidem.*
Platonis Sententia *de* Regnorum *ortu.* Vo
Plato de legibus determinando errat. 296
Plato quatuor genera legum faciens errauit. 295
Plato prohibens Concentum *Phrygium, & lydium iuuentuti, qua ratione id fecerit.* 244
Plantandi vineam Inſtitutum *apud* Hebreos. 193
Plantans nouam vineã cur habitus ſit Ineptus *bello in lege veteri ibidem.*
Pindarus vnam ex Parcis *reputauit* Fortunam. 111
Plebs ſimilis beſtia multorum capitum 375
Populi notitia Principi *eſt neceſſaria.* 378
Potentiam in natura fruſtra dari. 104
Poteſtatis diuiſio omnemq. poteſtatem a Deo *prouenire.*

prouenire. 141
Poteſtatis diſcrimen inter Papam, *&* Epiſ-
copos. 116
Præcepta omnia non obligare ad peccatum mortale. 320
Præſidium tutum contra Tirannum quale nam ſit. 346
Primi verſiculi, primi Pſalmi *enarratio. pag.* 268
Princeps omnia ſuo Capite tractans, culpabi lis exiſtit. 358
Principis quæ tutior ſit poſſeſſio, an quæ in vi armorum, an quæ in ſapientia collocatur pag. 3
Principes repugnantes Papæ auctoritati, mor tem ignominioſam obiere. 58
Princeps non eſt Dominus *facultatum ſubdi torum quouis iure.* 153
Principes vitæ ſubditorum non eſſe dominos. pag. 150
Principes iure principatus extraneos num mos cur licite inhibeant edicto. 164
Princeps ille Crudelis dicitur, qui in punien dis delictis modum ſeruare neſcit. 341
Princeps doctrina debet fulgere. 334
Princeps legem diuinam in manibus debet habere. 337
Princeps proprijs legibus eſt ſubiectus. 329
Princeps quomodo Eccleſias poſſit conſtruere in arces. 288
Princeps notitiam propriæ familiæ debet ha bere. 396
Princeps promouens, & eligens Epiſcopos, *iura Principatus tranſgreditur.* 415
Princeps tractans, & determinans ad fidem attinentia erras ac limites Iurium *Prin cipatus transgreditur* 417
Principem cur non deceat eſſe pauperem 156
Principis ſtatus periculis refertus. 157
Princeps quo iure poſſit ſubditos ad bellum cogere. 153
Princeps non poteſt Iuribus *Principatus ſpo liare ſubditos domibus, hortis, & campis nulla facta recompenſatione ornandi ciui tatem, aut arcem condendi gratia* 153
Principatus iura Iuſtitiæ *non debet opponi. pag.* 427
Principatus iure non poteſt Princeps *aliena retinere, nec alios impedire, vt ſuum con ſequantur, nec ab vno auferre, & alteri dare.* 428
Principatuum ſpecies diuerſæ. 13
Principatuum quis dignior, quiſue accommo datior. 17
Principatuum iura, in bonum, & honorem Populorum *data eſſe.* 341
Principatuum Iura *quid reſpiciant.* 149
Principis familiares cur dicãtur Aulici. 370
Principis familiares electi viri debent eſſe. pag. 372
Propenſio naturæ quæ homines Regem expe tant, quid ſit 146
Prouincia Romandiolæ a Graſſatoribus il lam opprimentibus, & peſſundantibus ab Illuſtr. *& Reu. D.D.*FRANCISCO SFORTIA S.R.E.*Card. liberata.* 172
Prudentiæ multa poſſunt aſcribi, quæ fortu næ tribuuntur. 113
Pugnare an Clericis *liceat, & quando.* 232
Punitur Populus *ob peccata Principis.* 250
Pythagoras in Conſtituendis *legibus erra uit.* 296
Pythagoras, & Plato quas figuras Elemen*tis aſcripſerint, & quamobrem.* 307

Q

QVi *feriis ſunt nihil ad nos, quomodo ſit intelligendum.* 99. *&* 110

R

RAtiones Catharini *probantes in* Papa *non reperiri temporalem poteſtatem* 50. *ſolutio illarum.* 108
Reu. D. *Claudij S.* Geruaſii C. R. Lat. *vir tus commendatur. eiuſdemq. ſententia de legibus.* 427
R*ationis variæ ſignificationes.* 24
Recentioris *grauiſſimi doctoris argumenta probantia Papam non habere poteſtatem temporalem.* 50. *ſolutio illarum.* 254
Regiã dignitatem temporalem fuiſſe in Chri
Reges cur paſtores appellantur. 65 *(&* 66
R*egiam poteſtatem a* Põtifice *emanare.* 118
R*egimine bono felices ſubditos eſſe.* 5
Regna prouenientia a Populorum *electione ſubdi Papæ.* 115
Regna vi incipientia vi quoq. definire. 10
R*egna* Religione *augeri, irreligione peſſunda ri.* 452
Regnorum diuiſio a cultus Dei, *diuiſione pro uenit.* 452
Regna an vi Inceperint. 10
R*egnantibus feliciter, difficile eſt leges pro mulgare.* 2
Regnum meum non eſt de hoc mundo. quomo do intelligatur 98. *&* 103.
R*egnorum ortus ſecundum* Ariſto. 10
Regula vocandi Conſiliarios. 366
Repentinos aggreſſus plurimum prodeſſe in bello 221

Sa-

I N D E X.

S

SAcra a Iuribus Principatuum libera. 15
Salomoni Dei cultu proſpera omnia, Idolatria aduerſa fuerunt multa, Regnumq. temporis lapſu diuiſum. 352
Samaritani Peculiari odio Iudeis Inuiſi. 280
Saulis electio, & abiectio quomodo. 63
Saulis ira, perſecutio iniuſta contra Danidem. 399
Scriptura Sacre varia loca explicantur. 262 vſque, 285.
Sedechias Rex cur a Deo percuſſus 274
Seueritas, & indulgentia Principis quid pariant. 338
A ſecretis, & conſilijs viri, an proprij an Peregrini vocandi 358. vſq ad 369.
Senatus ab Athenienſibus Icone ſiguratus, pag. 355
Senatores vnde dicti. 352
Scipionis pudicitia. 347
Sereniſſimi ALEXANDRI FARNESII Placentia, & Parma Ducis virtutem, antiquorum gloriam ſuperaſſe. 216
Socratis error de legibus differens, & decernens. 296
Soli Papa, Luna Imperator cur comparetur. pag. 79
Solon leges Draconis cur abrogarit. 310
Spartani vnde nomen habuerunt. 256
Spartani quā ob cauſam muros Ciuitatum negligebant. 286
Spes cui debet Dux exercitus inherere, quanam ſit. 2:6
Sponſi cur bello inepti. 193
Stater datus pro tributo a Saluatore, quid ſignificet 433
Status varia acceptiones. 25
Stoicorum, & Peripatheticorum diſcrimen de animi affectibus. 356
Stimulus gloria efficax ad animandos milites. 196
Stateris precium, & Drachma. 433
Suprema Corpora Cœleſtia quanto perfectiora, tanto paucioribus medijs egent ad eorum conſormationem, Inferiora, e contra pag. 161

T

TAmburlani Regnum quando inceepit. pag.
Templa Deo dicata iuribus Principatuum non ſubijci. 424
Temporalis poteſtas Papa quomodo totum Orbem Chriſtianorum, Mundum, & Patrimonium Beati Petri complectatur. 87
Temeritas a Duce exercitus debet eſſe remota. 204
Teſtimonio electorum Germania probatur Imperatoris auctoritatem a Pontifice prouenire. 34
Temiſtocles virtute, Athenienſes amicos humanitate, Inimicos robore vicerunt. 205
Theognis fortuna bona Deo ſuri accepta. 215
Theologi nomen quid ſignificet 64
Theſaurus Incomparabilis Principis, amor Populi erga illum. 373
Theſauri cupiditas a Conſiliario remota, debet eſſe. 357
Terribilis vt Caſtrorum acies ordinata. explicatio. 188
Titi Veſpaſiani Laus. 343
Theopompi ſententia de perduratione Regni. pag. 351
Titulus, & Iuriſdictio quid, & differentia. pag. 37
Titulus Crucis efflagitantibus Iudeis, cur non ammotus. 118
Titulus, & Iuriſdictio quomodo differant. 37
Tributorum diuiſio Silueſtri, reijcitur; 166
Tu ſolus Peregrinus in Hieruſalem, quomodo Interpretandum ſit. 306
Turcorum Regni initium. 13
Tutius viuit ſubditus vbiq. locorum Ciuitatis ſine Cuſtodia, Principe coſtodijs circumuolato. 157
Tutiſſimum praſidium Principis poſſeſſio cordium Populi. 373
Tyranni varia acceptio. 379
Tyranni, & Regis Differentia. 381
Tyrannum inſidiari dignioribus. 382
Tyrannidis duaſpecies ibidem.
Tyrannidis ortus 381
Tyranni vita 381. vſq. ad. 305.
Tyrannus an tollerandus. 386
Tyrannus an occidendus 390. vſq. ad 404.
Tyranno an ſit parendum, & quomodo. 389
Tyranni Ariſtodemi vita Inſtitutum. 380
Tyranni munera mala. 388

V

VAria imagines Deorum. quid doceant: 6
Variarum artium Magiſtra neceſſitas. pag. 7
Varia fortuna Simulacra quid ſignificent. 12
Valens Imperator priuando Eccleſias Epiſcopis, & decernendo ad fidem attinentia hereticus. 417
Verba. pracipere, Mandare Inhibere in legibus, quod habeant roboris. 320
Venationis varia acceptiones, & ſpecies. 405

Vena-

Venationes quæ ſint licitæ. 406
Venationum omnium quæ ſit dignior 408
Venatorum Inſidia, & voluptas. 409
Venationis gratia, an Princeps poſſit partem Camporum reſeruare. 413
Vbi agitur de materia peccati, leges humanæ non ſunt obſeruandæ ſi contradicunt, Diuinæ aut naturali. 241
Vi qua monarchia inceperint. 145
Victoriæ Matres: Iuſtitia, & Religio. 209
Victorioſum Ducem non facit numeroſus exercitus, ſed electus. 208
Virtus priuati viri, & boni Ciuis an ſit eadem. 291
Vniuerſi bonum cognitum ab Ariſto. 5
Vſus humanus legum vita. 322
Vſus. vſusfructus, & dominum quomodo differant. 31
Vtrumq. regimen ad Papam attinere. 103

X

XErſes victus nimia ſui confidentia. pag. 354
Xerſis ruina malorum Conſiliariorum culpa. 354

FINIS.

Loca corrupta ſic reſtituenda.

Pag. 3. vir doctiſſimi. recti viri doctiſſimi. pag 9. expertem at. expertem. at. pag. 13. inſiſta. inſita. pag. 14. vus. vnus. pag. 32. ſubſtantiæ: quæ referuntur. ſubſtantię quæ referuntur abruſis punctis. pag. 20. principatum melius. meliorem. pag. 28. ſauctus. ſanctus. pag 36. recti. recto. pag. 38. vt Princeps eſt. deſunt, & dirigendos in proprium finem. pag. 301. ducum aduenarum reportarunt. legas vicerunt, & triumphum reportarunt. pag. 24. aſſentur. aſſentior. pag. 46. Theologij. Theologi. pag. 53. Conſtituuns. Conſtituunt. pag. 248. S. Antoninus. S. Antonini.

REGESTVM.

* A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn
Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz. Aaa Bbb
Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii KKK Lll Mmm.

Omnes ſunt folia præter, Mmm, quod eſt folium cum dimidio.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

I

LEGATORIA A. PANDIMIGLIO - ROMA -
1921